image
not
available





JH

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 E
41M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

35
F
41

Digitized by Google

HISTORIA
S. HVBERTI,
PRINCIPIS AQVITANI,

Vltimi Tungrenſis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

&

PRIMI LEODIENSIS EPISCOPI,

Eiuſdemque

VRBIS CONDITORIS:

BIBL. SEC. SOC. IESV

ARDVENNÆ APOSTOLI;

MAGNI THAVMATVRGI.

Conſcripta

A IOHANNE ROBERTI, ARDVENNATE Andaino, Societ. IESV *Sacerdote, S. Theol. Doctore.*

LVXEMBVRGI,

Excudebat HVBERTVS REVLANDT.
Sumtibus Monaſterij S. HVBERTI
in Arduennâ.

Anno Virginei Partus M. DC. XXI.
Reformationis eiuſdem Monaſterij, IIII.

Digitized by Google

OPERIS BREVIARIVM,

SIVE IDEA.

Huius Libri PARTES *ſunt tres,*

- PRIMA *exhibet* VITAM, *cuius partes duæ,*
  - PRIOR *à Sancti Ortu, aduſque Epiſcopatum:*
  - POSTERIOR, *ab Epiſcopatu, ad beatum Exceſſum:*
  - *His lucem afferunt* NOTÆ: *incrementum,* PARALIPOMENA.
  - *Huic hærent* ELEVATIO, TRANSLATIO, MIRACVLA.
- SECVNDA *habet* CVLTVS S. HVBERTI PROPAGATIONEM, & ADMIRANDA.
- TERTIA *diſputat* QVÆSTIONES HVBERTINAS, *tum Hiſtoricas, tum Theologicas.*

Epimetri loco adijciuntur.

- DISQVISITIO *de rebus* S. HVBERTI.
- TABVLÆ
  - GENEALOGICÆ, *cum* FASTIS.
  - CHRONOLOGICÆ, *ad lucem Temporum.*

Digitized by Google

SERENISSIMÆ PRINCIPI,

ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ,

HISPANIARVM INFANTI,

BELGICARVM PROVINCIARVM

pro

CATHOLICO REGE NEPOTE,

MODERATRICI.

VEnit ad Te, S. HVBERTVS, SERma DOMINA, qui ad SERmum ALBERTVM, Coniugem TVVM, pientiſſimæ, & celſiſſimæ memoriæ HEROA, properabat. Sed hic, feliciore ſorte, ad illum prior properauit: & eius beatis amplexibus, in cæleſti ſede, dignatus eſt, cuius hîc veſtigijs aduolui, beatum iudicabat. Ibi iam eum, *facie ad faciem*, clarè contuetur, quem non niſi *per Speculum in ænigmate*, hîc dabatur inſpicere. 1.Cor.13. 12

Id agebam, futurorum neſcius, vt, quà poſ-

OPERIS BREVIARIVM,

SIVE IDEA.

Huius Libri PARTES *ſunt tres,*

- PRIMA *exhibet* VITAM, *cuius partes duæ,*
  - PRIOR *à Sancti Ortu, advſque Epiſcopatum:*
  - POSTERIOR, *ab Epiſcopatu, ad beatum Exceſſum:*
  - *His lucem afferunt* NOTÆ: *incrementum,* PARALIPOMENA.
  - *Huic hærent* ELEVATIO, TRANSLATIO, MIRACVLA.
- SECVNDA *habet* CVLTVS S. HVBERTI PROPAGATIONEM, & ADMIRANDA.
- TERTIA *diſputat* QVÆSTIONES HVBERTINAS, *tum Hiſtoricas, tum Theologicas.*

Epimetri loco adijciuntur.

- DISQVISITIO *de rebus* S. HVBERTI.
- TABVLÆ
  - GENEALOGICÆ, *cum* FASTIS.
  - CHRONOLOGICÆ, *ad lucem Temporum.*

SERENISSIMÆ PRINCIPI,

ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ,

HISPANIARVM INFANTI,

BELGICARVM PROVINCIARVM

pro

CATHOLICO REGE NEPOTE,

MODERATRICI.

VENIT ad TE, S. HVBERTVS, SER^{ma} DOMINA, qui ad SER^{mum} ALBERTVM, Coniugem TVVM, pientiſſimæ, & celſiſſimæ memoriæ HEROA, properabat. Sed hic, feliciore ſorte, ad illum prior properauit: & eius beatis amplexibus, in cæleſti ſede, dignatus eſt, cuius hîc veſtigijs aduolui, beatum iudicabat. Ibi iam eum, *facie ad faciem*, clarè contuetur, quem non niſi *per Speculum in ænigmate*, hîc dabatur inſpicere. 1.Cor.13. 12

Id agebam, futurorum neſcius, vt, quà

poſſem, lucis aliquid huic inſpectioni afferrem. Eò hunc libellum adornabam. Quem libellum, quam lucem, gratam ſibi fore, non ſemel AVGVSTISSIMVS PRINCEPS ſignificauerat: non eo dumtaxat nomine (etſi omnino eo maximè) quòd Pietati, ac Religioni velificaretur: ſed & ideo, quòd qui generis, ſapientiæ, armorum, &, quod caput eſt, Sanctimoniæ claritudinem, in quouis homine miraretur, & reuerenter amaret: hæc omnia eminentiſſima, &, vt ita dixerim, vibrantiſſima, in Regiæ proſapiæ Principe, in Sanctiſſimo Antiſtite: poſtremò in COGNATO HVBERTO, non poterat non ſuſpicere impenſius.

NON blandior, dum COGNATVM voco. Oportunè oſtendo: & leget, qui me leget. Hæc demum diuina laus eſt (ſi qua ex ſtirpe peti poteſt) Diuinos homines habere, eiuſdem ſanguinis communione coniunctos. Recenſeant alij, & longo catalogo enumerent Cæſares, Reges, Archiduces, Principes omne genus. Scio id poſſe; & cuiuis perfacile eſt in tantâ copiâ. At me iuuet, oſtendiſſe, ALBERTI progeniem, *Gentem eſſe Sanctam, populum acquiſitionis, Regale Sacerdotium.*

1 Pet. 2. 9.

Eſt

Est hoc, vti dixi, verè glorioſum: ſed quis ſanus dubitet, Alberto, tot Sanctorum Cognato, vtile item, & iucundum, & hîc fuiſſe, & æternùm fore? Quantum fuit, innocenti illi animæ, è corporis domicilio emicanti, occurriſſe Cęleſtium Propinqvam turbam, non illi modò, ſed & ſibi ipſis gratulantium, ſuum numerum tali acceſſione cumulari? O qui audiret alios alias virtutes, & dotes in eo, pro cuiuſque affectu, & ſimilitudine ſui, prædicantes! ſed ſacro, & reuerenti ſilentio, nos puſilli, hæc talia potius deueneremur.

Illvd tamen non ſileamus, ad ſeruandum (vt quis ſuſpicetur) decorum, deductioni Alberti, Imperatoris filij, Imperatorum fratris, nepotis, cognati: cognatum Imperatorem Sanctum, à Deo deſtinatum videri. Equidem ita eius Prouidentiam accipio, dum video, eodem die cum Henrico Auguſto, Sanctiſſimo Principe, Sanctiſſimæ Cunigundis Auguſtæ Cuſtode, potius, quàm Marito, deceſſiſſe. Sed ne vltra de ijs, quæ tanto interuallo ſupra nos. 13. Iulij. Molan. in Natab. SS. Belg.

Ad Te, Ser^ma^ Domina, redeo. Quamquam à Te abijſſe videri non debeo, dum de eo egi, quem, & ſacri coniugij lege, & priuo

amo-

amore, vnum Tecum cenſuiſti. Adeſt ergo S. HVBERTVS, Tuus item Cognatus: & conſolationi gratulationem miſcet. Non vetat TE lugere. Indulget aliquid naturæ. Videt, cuius fueris Coniunx; & acerbum eſſe agnoſcit, mutatâ ſorte, & voce, Eiuſdem nunc eſſe Viduam. Sed non vult TE vltra modum, more aliarum viduarum, luctu procedere: cuius conditio tanto ſit ſupra alias: tum alijs rebus, tum quod ALBERTVS TVVS, hactenus *Sanctorum* tantum Cognatus, iam etiam ſit eorundem *Ciuis, & Domeſticus* DEI. Hanc nimirum conſolationem (etſi aliæ non deſunt) toto pectore hauri: in hâc ſuauiter acquieſce.

Ephes. 2. 19.

PRÆEVNT TIBI plures ſanctæ Cognatæ Tuæ, magnorum item Heroum Viduæ. Ne moleſtus ſim, ſuggero tantum BEGGHAM Anſegiſi Ducis: duas TIBI cognomines ELISABETHAS; Aragonicam, Dionyſij Portugalliæ Regis; & Vngaricam, Ludouici Landgrauij Turingiæ, & Haſſiæ: CVNEGVNDEM Henrici Cæſaris: denique ODAM, Boggis Aquitaniæ Ducis. Quæ poſtrema, vt HVBERTO Sancto Antiſtiti noſtro, indiuidua comes, Nepoti matertera, dum vixit, adhæ-

ſit:

ſit: ſic nullus dubito, quin cum eodem ALBERTVM TVVM gratulabunda exceperit. Hi igitur ambo, TE itidem ſolentur: & vterque hanc, quæ Illum ſcribit, Hiſtoriam Tuam TIBI commendet.

TVAM dico: nam quæ SER^mi CONIVGIS TVI erat, TVAM tum alijs nominibus eſſe oportet: tum etiam ex Teſtamento, quam Priuatam Legem eſſe, ſapientes diffiniunt. In quam Legem ne peccarem, ac ſic impius eſſem; venerabundus adſum, & reddo Tuum TIBI. Neque aliorum ſcriptorum more, quod affero, extenuo. Quinetiam vltro profiteri audeo, Munus eſſe, quamuis magno, & Auguſto Principe dignum. Id vt ſit, ſatis eſt, eſſe SANCTVM HVBERTVM, tot Principum, maximè AVSTRIACORVM, propinquum. Venit quidem vili ſchemate contectus, ſtylo, & opellâ meâ. Sed nihil hoc de eius dignitate detrahit. Potius, ſi fas dicere, tanto amandus, & honorãdus magis, qui nihil afferat amore, aut honore dignum, niſi ſe, aut ſolidè ſuum.

NOVIT vniuerſum Belgium, FVRAM Tuam vnicè TIBI adamatam: ſed non nôrunt omnes tam ſuauis amoris cauſam. Nempe ante annos nongentos, beatam animam eo loco S.

HVBER-

HVBERTVS Conditori reddiderat. Tantæ rei memoriæ propagandæ, excitatum pridem pro domo Sacellum, hominum incuriâ, temporum iniuriâ, in ruderibus ſuis ſepultum iacebat. TV, indignum rata, proſtratum eſſe, quod æternum ſtare oportebat, vnà cum ALBERTO TVO, excitaſti, amplius, auguſtiuſque reddidiſti, & ornatum, doteque auctum (omen audiat, & ratum habeat DEVS) æternaſti.

QVÆ ſic locum mortis Eius coluiſti, Codicem Vitæ, Exceſſus, Potentiæ, Maieſtatiſque Eiuſdem conſeruatorem, benigno vtique animo amplectêris. Sic TE, SERma DOMINA, Magnus DEVS, Magnus HVBERTVS amplectatur. Vouet hoc animitus

SERmæ CELSIT. T.

Seruus in Chriſto, infimus

IOHANNES ROBERTI
Societ. IESV *Presbyter.*

Luxemburgi, Ferijs DEI-MATRIS
Virginis, ſine peccati labe Conceptæ,
M. DC. XXI.

ADMODVM

ADMODVM REVERENDO,
AC RELIGIOSISSIMO PRÆSVLI, NOBILI,
atque Ampliſſimo Domino,

D. NICOLAO FANSONIO,

ANDAÏNENSIS CELEBERRIMI COENObij, & Ditionis S. HVBERTI Abbati,
ac Domino, &c.

SI FATVM *aliquid eſſe crederem, Religioſiſſime, atque Ampliſſime Antiſtes, ac Domine, Fatale dicerem, humana omnia idemtidem*

In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Quod in ijs quoque obtinet, quæ Pietati ac Religioni excitandæ, & promouendæ, DEO *ipſo Anthore conſtituta ſunt: &, quò minus illam defectionis gangrænam aliquando ſentirent, Sanctis hominibus, & diuinitus inſpiratis, ab eodem ſtudioſè, ſuggeſtis multifariam adminiculis, commendata. Cæterum fatendum eſt, vbi hæc in peius ruunt,* Fatum *eſſe nullum, præter humanam ignauiam, & libidinem, cum*

——ſua cuique deus fit dira cupido.

Exempla, ſi lubeat, repetere licet, ab antiquiſſimâ primorum ſeculorum memoriâ, & ipſius naſcentis Mundi incunabulis; eaque perpetuâ ſerie ad hanc noſtrorum temporum facem deducere. Cain primus huius impietatis ſignum ſuſtulit, primo auſu ad fratris innocentis parricidium immaniſſimum progreſſus. Nec defuerunt deinceps, qui alijs, atque alij ſceleribus, peſſimum Ducem, velut varijs itineribus, ſectarentur. Gen. 6. 4. & 9. 22. *Tales Gigantes; talis Cham cum filio Chanaan: tales turris Babel temerarij molitores:* Gen. 11. & c. 18. 20. *Tales Pentapolitani hominum impuriſſimi. Et, vt tot alios omittam, tales dura illa cum Regibus ſuis Iudæorum Gens, toties ad Idololatriam prolapſa, & relapſa, vt ſine nauſeâ legere, & audire non poſſimus, quæ clementiſſimus* DEVS, *quæ* longanimis, & multum miſericors, *per aliquot ſeculorum volumina, in ingratiſſimis filijs tolerauit.* Baruch. 3. 38. *Neque diſſimiles, poſtquam Seruator* in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, *tot faces, & faces Hæreſiarcharum, & Hæreticorum. Licet addere & eos, qui ſine numero, & nomine, rectæ fidei retinentes, improbiſſimorum morum diluuium terris inuexerunt, quo & ipſi, & tam pernicioſis gubernatoribus ſtultè confiſi tot alij, infami naufragio perierunt. Quæ peſtis, vtinam peculiari ratione, & vitæ inſtituto, Sacratorum DEO hominum coetus; vtinam tot Monaſteria, & Cœnobia, non aliquando itidem inuaſiſſet: vtinam non hodieque, eiuſdem extarent, non modo veſtigia, ſed & ipſa cubilia!*

SED

SED *qui* nihil odit eorum, quæ fecit, *generis noſtri miſertus, non ita paſſus eſt eſſe mala, quin mitteret remedia: neque ſic tulit improbos zizaniorum ſatores, quin excitaret, qui eruncarent. Antiquiſſimis illis temporibus datus eſt* Enos, *qui* cœpit inuocare nomen Domini: *datus* Noë, vir iuſtus, atque perfectus, *&* qui cum DEO ambulauit. *Dati deinceps Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, Ioſue, & reliqui Iudices, Reges, Sacerdotes, Prophetæ. Recentioribus porro miſſi Apoſtoli, & Apoſtolici homines: miſſi Doctores, & Pontifices: qui ſcriptis, doctrinâ, authoritate, ſe opponerent impietati, tamquam* muros pro domo DEI: *conuocatis etiam, vbi id opus fuit, œcumenicis, aut nationalibus Concilijs. Et quidem hæc quoad Eccleſiam totam.*

Gen. 4. 25.
Gen. 6. 9.
Ezech. 13. 5.

PORRO *Religioſorum hominum Cœtus, vbi, primigenio illo ſanctitatis calore deficiente, tepeſcere, aut frigere cœperunt: noluit idem ille bonus* DEVS, *ita deſtitui, vt deeſſent, qui* Spiritus *ſancti ignem propè extinctum, redaccenderent. Cur eam per ſingulos Ordines? res omnibus in promtu eſt. In* Sanctiſſimi *Patriarchæ Benedicti Familiâ, toto Orbe quàm latiſſimè fusâ, quot Congregationes, & Vniones fuerunt, & hodieque ſunt, quæ vnum hoc egerunt, & agunt? Quot Monaſteria, & Cœnobia, quæ priuatis, vt ſic dicam, ſuis opibus, id, inuito* Satana, *vrgent, & præſtant, vt huius Diuinæ flammæ loco* accenſa tela nequiſſimi ignea reſtinguant?

Epheſ. 6. 16.

SANE *in iſto* S. HVBERTI *ſacro Domicilio, cui, DEO Authore, plures iam annos praes; vt cum admiratione aliquot Defectionum periodos notaui, quibus declinare Religioſa Diſciplina cœperat: ita cum voluptate conſideraui Sanctorum hominum induſtriâ factas inſtaurationes, &, vt vulgo vox obtinuit,* Reformationes. *Cum res ſit, quæ propius Te, Tuoſque attingat; non poterit non eſſe gratum, ſi inſigniores tres, quatuorue, totidem verbis attigero.*

AC *primùm, ſi omnes antiquæ chartæ ſilerent; vnica illa* chartula *cælo miſſa, &* Plectrudi *Pipini Principis vxori obiecta, abundè fidem facit, primorum in* Andaïno *Religioſorum ſanctitatem fuiſſe quàm eminentiſſimam: quandoquidem ipſa cæleſtia verba diſertim id ſonabant,* Locum illum à DEO electum; & multas inde animas in cælum dirigendas. *Ad hanc* Directionem *pro viribus iuuiſſe, & eam omni ope promouiſſe* S. Beregiſum *primum Archimandritam, tam nefas eſt dubitare, quàm* DEVM dire-
1. Paral. 26. 5. xiſſe eum in omnibus: *& ipſum* Beregiſum di-
Ibid. c. 27. 6. rexiſſe vias ſuas coram Domino DEO ſuo; *&*
Pſal. 118. 7. *eidem totâ vitâ* Confeſſum in Directione cordis: cum didiciſſet iudicia iuſtitiæ eius: *vtique & doceret.*

Ea Directio, *& inde orta ſanctitas, non perennauit: ac ne diu quidem conſtitit. Antiquus Author in* Translatione *Corporis* S. HVBERTI: Cella antiquo nomine vocata ANDAGIVM:

GIVM: quæ olim quidem inhabitatoribus habitus canonici floruit, ſed per exceſſum temporis, vetuſtate nimiâ collapſa, & deficientibus habitatoribus, penè fuerat annulata. *Quantam eam* vetuſtatem *fuiſſe dicemus? quot annis diffiniemus? O ſocordiam noſtram! non plus centum, & quatuordecim: vt ad illum locum doceo. Sed vt hoc triſte eſt, ita lætum, quod ſequitur.* Adductis regularis vitæ optimis Præceptoribus, Monaſticæ ordinem vitæ eos edocuit, & bonorum operum exercitijs operam dare, tam voce propriâ, quam & lectione diuinâ, ſuaſit. *De VValcando Epiſcopo Leodienſi loquitur. De quo & ſubdit:* Vnde & actum eſt, vt eius ſtudium non inani labore caſſaretur. *Et mox:* Cœperunt igitur vndequaque in eundem locum, religioſitatis cultóres confluere; & maximè nobiles viri, ex Monaſterio S. Lamberti, Apoſtolicæ vitæ deſiderio accenſi, illuc conuolare. *His porro ſanctis viris, VValcandus Epiſcopus* S. Abbatem Alueum præfecit, *vt Abbatum Catalogus refert, ſub quó Monaſtica diſciplina, recens inſtaurata, mirabiliter profecit, & floruit.*

Tum, vt alias periodos omittam, cum iterum nonnihil refrixiſſet; eam religioſus feruor Abbatis Seuoldi, *circa annum Chriſti 836. excitauit, & accendit; qui* vir fuit magnæ in Eccleſiam DEI reuerentiæ, *ait idem Catalog. Et Scriptor antiquorum Miraculorum, Miracul. 6.* Sub

 vene-

venerabili Abbate Seuoldo, *inquit*, tanta in loco erat religionis reuerentia, vt quibuſdam ſecularibus difficilis eſſet ibi conueniendi licentia: nullusque ingrediendi aditus concederetur fœminis, niſi in annuali feſto ipſius Pontificis. *Ea religionis reuerentia, quouſque ſe extenderet, hinc colligas licet, quòd in immaniſſimarum tempeſtatum ſæua debacchatione*, Sacerdotes cum populis, *in tanto publico malo, vix nihilominus aditum ad Monaſterium, ſperare auderent. Nec immeritò dubitabant. Nam* audito periculo communi, Abbas, & fratres cœperunt anguſtiari, ne vel infracto conſuetudinis vſu, arguerentur temeritatis: vel deeſſe viderentur tribulantium deuotioni, & iuſtæ petitioni. *Quid igitur?* Tandem compulit inuitos caritatis affectus, vt fraternæ neceſſitati compaterentur, & ex communi conſultu, permiſsâ licentiâ veniendi, indixerunt, & hoc ipſum fieri, cum grauitate, & reuerentiâ.

Quid dicam de S. Abbate THEODORICO, *qui anno 1055. Andaïnenſis Religioſi cœtus Præfecturam inijt? Equidem, ſi Epiſtolæ modus ferret, digniſſimum iudicarem, cuius totam vitam hîc deſcriberem, tamquam à propoſito meo minimè alienam. Sed ſatis erit paucula è quàm plurimis, ex* Cantatorio *deſcripta, huc tranſferre compendio. Igitur vir iſte, & eruditione, & ſanctitate celeberrimus, adminiſtrationis*

nis ſuæ initio, non omnes Monachos æquè habuit obſequentes.

Sed multotiens ab his aduerſatus, qui in veteri mente noua meditari cogebantur: licet patienter, & tacitus eadem perferret aduerſa: in enutriendis, & erudiendis; in conuertendis etiam, quos poterat, ſagaciter, & conſtanter elaborabat. *Subdit deinde Author, ab eodem Sancto Præſule, Iuniores ab ipsâ* infantiâ, *timorem DEI, & Religionem edoctos, qui poſtea in magnos viros euaſerunt. Quàm autem DEO ſanctum hoc ſtudium cordi eſſet, miraculo aliquando oſtendit. Audi eumdem Scriptorem.* Quendam verò Lambertum, nimis nobilitatem ſuam extollentem, cum pateretur (*Theodoricus*) infeſtiorem, non tamen deficiebat, vt reſipiſceret, exhortando, DEVMQVE vt ei daret ſpiritum compunctionis, exorando.

Hic in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, lecturus ad vigilias nocturnales: cum ante Abbatem, ſine reuerentiâ inclinationis tranſire cogitaret: ſubitò expauit, ſe videre inter brachia illius, puerum glorioſæ habitudinis, Abbati quidem ſuauiter congaudentem; ſibi verò minaciter indignantem: qui dum tremens in legendo vix ſubſiſteret, rediensque humillimam inclinationem Abbati exolueret: mirantibus cunctis, adeò reſolutus eſt in lacrymas, vt nullo modo ceſſaret à ſuſpirijs, & ſingultibus. Poſt vigilias, affuſus Abbatis pedibus, con-

confeſſus eſt peccata ſua ad purum, petens ab eo, indicendum pro pœnitentiâ, ſibi exilium, voluntariâ mendicitate à ſe tranſigendum. *Tum, vbi narrauit*, ventrem, brachia, & tibias ferro vinctum, Moſonium abijſſe; & expletis duobus fere annis, in luctu, & pœnitentiâ obijſſe: *ita concludit*: Cuius exemplo, quidam ex his, qui in loco remanſerant, compuncti; & ſuæ ſalutis facti ſunt ſolicitiores, & Abbati ad obediendum, ſubiectiores. *Sat multa de S. Antiſtite Theodorico primo.*

De IOHANNE *tertio, circa annum Domini* 1302. *Abbatum* Catalogus *hæc notauit.* Iſte, cum eſſet vir zeloſus, & videret gregem ſuum per abrupta incedere: vt bonus paſtor, ad Ouile Chriſti Monaſticam inſtitutionem reduxit. *Hunc ſecutus* HENRICVS de Viel, *anno* 1344. Zelo veræ nobilitatis inſtinctus, cum videret ſuorum religionis caritatem refrigeſcere, & piam vitam Monaſtici inſtituti, per D. Iohannem tertium, inductam deficere: gregem ſuum, ad viam religionis reduxit. Ipſe Priorem S. Theobaldi, ſibi opponentem compeſcuit.

NICOLAVM A MALESIIS, *anno* 1538. *defunctum, ipſum eius* Epitaphium *in Cryptâ Odeo ſubiectâ, non ſine ingenti eius gloriâ, vocat* ORDINIS REFORMATOREM.

Hos tales viros, Maiores, & Præceptores Tuos, in mente, & oculis Te habuiſſe crediderim, Religio-

gioſiſſime, atque Ampliſſime Præſul, cum ante hos aliquot annos, Diligenter agnoſcens vultum pecoris tui, tuoſque greges conſiderans, *muneris Tui eſſe iudicaſti, vt, ad exemplum Magni Paſtoris,* iudicares inter pecus pingue, & macilentum, *& vtrumque* paſceres in paſcuis vberrimis, in herbis virentibus, in paſcuis pinguibus. *Explicentur ſanè hæc* paſcua *& aliter : ego Maiorum ſanctiſſima* Exempla *meritò ita dici exiſtimem. Ibi* Aqua refectionis: *ibi* ſemitæ iuſtitiæ: *ibi* mala timenda non ſunt, *ijs, cum quibus eſt bonus Paſtor; quos* eius virga, & baculus conſolantur. *Etſi in illâ, quam paulò antè dicebam, humanæ infirmitatis calamitate, difficile vtique eſt, nihil in Tuo pecore fuiſſe* infirmum, *nihil* ægrotum, *nihil* confractum, *nihil* abiectum; *ac proinde nec* conſolidandum, *nec* ſanandum, *nec* alligandum, *nec* reducendum: *tamen rectiſſimè illum cæleſtis Medici aphoriſmum, Tibi cenſuiſti exercendum*: Ante languorem adhibe medicinam. *Adhibuiſti : idque ita peritè, vt, etiam qui antè non vſquequaque probabant, qui indignabantur, qui de ſucceſſu deſperandum cenſebant: iam non ſine Tuâ, ſed maximè DEI Opt. Max. Paſtoris gloriâ, vltro laudatores, & præcones agant. Ea fuit* Seuoldi *felicitas : quam gaude, Te aurigante, reductam, &, cum fauſtis acclamationibus, optari, & ſperari in dies maiorem.*

Prouer. 27.23.

Ezech. 34.20. v. 14.

Pſal. 22.

Ezech. 34.

Eccli. 18. 20.

Neque te moueat, ſi fors in quem incidas, qui aduerſetur; *qui* in veteri mente, noua meditari, *ægrè*

grè adducatur, vt velit. Paſſus id Sanctiſſimus Theodoricus: *cuius tanti Patris ſortem, non degener filius, recuſare non debes. Illud optimum, quod ab eodem didiciſti, vt* Iuniores *aſciſceres, &* timorem Dei, *ac* Religionem *eos doceres. Hunc Tuum tam pium conatum, cum plauſu approbarunt (nota loquor)* Principes & Eccleſiæ, & Seculi; *atque in illis, omnium maximus,* Pontifex ipſe Max. *In his vero Sereniſſimi, ac pientiſſimi Principes* Albertus, *&* Isabella *qui pro notiſſimo illo ſuo pietatis, ac Religionis propagandæ ſtudio, ad authoritatem ſuam interponendam, vbi opus eſſet, propenſiſſimam voluntatem oſtenderunt: datis etiam, (vt seriò ſe agere declararent) Conſilio ſuo Luxemburgenſi, ſuper eâ re, grauibus mandatis. Vnde meritò Tu, vt, quà poſſes, gratum Te oſtenderes, non modò conſilium meum de dicandâ illis hâc Hiſtoriâ, approbaſti: ſed vltro etiam ad id me hortatus es. Ac memini Te addere, hoc Te, ac Monaſterium Tuum debere,* eximiæ, tum illorum erga D. Hvbertvm *(verba Tua ſunt)* eiuſque Domum, deuotioni; tum etiam Prædeceſſorum: vt ſic ſaltem grati animi aliquod indicium exhiberes ijs, à quibus & iam tantam accepiſſes; & propenſiorem etiam gratiam, tempore oportuno expectares.

Hæc Te pio, gratoque animo agnoſcentem (ita nos credere dignum eſt) & DEO, tantorum bonorum Authori, gratulantem; inter viciſſim Tibi gratulantium greges, ego quoque cernuus accedo, vota iun-

iuncturus: & accedo non ſine munere. Audeo dicere, Munus affero, quod non poſſis non habere gratiſſimum; imo cenſere debeas maximum, & ſplendidiſſimum. Neque me iacto, neque laudo. Munus eſt non meum, ſed Maiorum noſtrorum, ac maximè tuorum, à quibus non nolentibus, mutuò accepi, & partim methodo, atque ordine commodo diſpoſui, quod à varijs conſcriptum repereram: partim quæ vel nunquam ſcripta; vel hinc inde, vt ſic dicam, diſiecta, & diſſipata, in vnum corpus compoſui, aſſignato cuique loco, qui illi quaſi naturaliter debebatur. Non ſunt hæc ænigmatica, maximè Tibi. Scis me loqui de illâ, de quâ modò dicebam, Vitâ, & Hiſtoriâ S. HVBERTI, *Domus Andaïnenſis Tuæ Patroni, Rectoris, Vindicis. Scis, Te ante hos aliquot annos, hanc mihi prouinciam ſcribendi detuliſſe, atque etiam rogaſſe, ne eam declinarem. Ego viciſſim ſcio, quo ſtudio, quoque affectu in toto hoc negotio verſatus ſis; vt libros, & veteres membranas, è Tuâ Bibliothecâ vltro obtuleris, & detuleris; vt vulgatâ meâ, de huius Diui rebus,* Diſquiſitione, *vndique terrarum ſubſidia venatus ſis, & quæ obtigerant, gratulabundus ad me miſeris: vt ſumtus neceſſarios, & chirographicos, & Typographicos, liberaliter, & hilariter ſuggeſſeris. Denique vt nihil omiſeris, quod hanc meam ſcriptionem vel pleniorem, vel ornatiorem poſſet efficere. Meritò itaque ad Te ea redit, à quo fere vnico tota profecta eſt. Nam etſi ego quoque aliquid præſtare conatus ſum, inueſtigando, tum epiſtolis miſſis, tum ſuſceptis iti-*

 neribus

neribus, tum adhibitis amicis: vel ſcribendo, diſputando, docendo: tamen, quia hoc ipſum, quantulumcumque eſt, Te potiſſimum hortatore, & impulſore, præſtiti, Tibi itidem debetur acceptum.

Poteram alia in Te memorare, vel Religioſarum virtutum, vel ſecularis Nobilitatis, & gloriæ. Sed hæc quidem, cum ipſo Seculo omnia reliquiſti, & abiecisti, tum, cum Egreſſus de terrâ tuâ, & de
Gen.12. 1. cognatione tuâ, & de domo patris tui; veniſti in terram, quam *Seculi conditor* monſtrauit tibi: *illa verò, quantò in Te ſunt maiora, & ampliora, tantò minus audire vis, aut prædicari. Itaque, vt Tibi morem geram, ſilentio ea premam. Gratus, vbi oportebit, prædicabit* S. Beregiſus, *prædicabit Venerabilis* Seuoldus, *prædicabit* S. Theodoricus: *quorum veſtigijs gnauiter inſiſtis. Prædicabit* S. HVBERTVS, *cuius patrimonium recuperas, auges, tueris: cuius familiam regis, & ad optima quæque manuducis: cuius* VITAM *&* HISTORIAM *Orbi Chriſtiano vulgas: cuius* CVLTVM *dum* PROPAGATVM *oſtendis, magis, magiſque propagas. Prædicabit denique cæleſtis Agonotheta Chriſtus, qui his omnibus robur animi, fortitudinemque contulit ad certandum: certantibus victoriam conceſſit: victores immortalitatis diademate coronauit.*

IDEM *iiſdem itineribus, eodem te, Tuoſque porrò deducat, & Victori, ac Triumphatori, concinentibus beatiſſimis Spiritibus, æternum illud Acroama accinat:* Dabo tibi coronam pro cine-
Isai.61.3

re;

re; oleum gaudij, pro luctu; pallium laudis, pro ſpiritu mœroris. Et dicat omnis *Cæleſtium* populus, FIAT, FIAT.

Luxemburgi, XI. Decemb.
M. DC. XXI.

Admod. Reuer. atque Ampliſſ.
D. T.

Seruus in Chriſto,

IOHANNES ROBERTI
Societ. IESV.

CHRISTIANO LECTORI.

PRAEFATIONVM ſatis præſcriptum videbatur, Chriſtiane Lector, niſi de paucis quibuſdam monendus eſſes. Id paucis hoc loco faciam.

I. PRIMVM illud eſto. Etſi ſatis ſcio, à multis hanc Hiſtoriam pridem expectatam; à quibuſdam etiam clamore, & propè conuitio flagitatam: tamen non potuiſſe à me citius expediri. Nam, vt primâ inſpectione colliges, pleraque eiuſmodi ſunt, quæ è nullis codicibus petere licebat: ijs, inquam, qui vel in manibus haberentur; vel in Bibliothecis obuij eſſent. Nam quæ ex vetuſtis Membranis MSS. hauſimus, non temere vbique reperias. Multa etiam nunquam litteris commendata, non iudicauimus ex cuiuſuis hominis ore deſcribenda: ſed vel inſpeximus ipſi, vel publicâ famâ accepimus, vel Eccleſiaſticorum, aut ſecularium Magiſtratuum authoritate, rite teſtata. Iam, quàm id genus inueſtigatio, & annotatio, lentum negotium ſit; nôrunt, qui ſimile quandoque aliquid experti. Quid, quod aliquoties magnificis promiſſis onuſti, tempus fruſtra expectando contriuimus, vanâ ſpe luſi? Taceo valetudinis incommoda, nec leuia, nec breuia. Taceo itinera neceſſaria, & alias occupationes, ne hoc vnum me egiſſe tibi perſuadeas.

II. IAM, quia in eiuſmodi operâ, Scriptoris ſtudium, & diligentia meritò requiri ſolet, cuiuſmodi mea fuerit, præterquam, quod ex ipſâ libri lectione colligere promtum tibi fuerit; hinc etiam diſce. Quo non licuit inueſtigandi causâ, accedere; litteras miſi, non meas modò, ſed & amicorum, quos authoritate plus poſſe iudicabá. Teſtetur fragmentum litterarum Clariſsimi *Viri Marcelli Vrankheimij*, quibus Reuerendo P. *Arnoldo Boecop*, (qui meo rogatu ad eum ſcripſerat) Societ. noſtræ Sacerdoti, Viennâ reſpondet. Verba eius ſunt: *Super vitam, & cultum S. HVBERTI, egi cum Archiepiſcopis Strigonienſi, & Colocenſi; cum Epiſcopis Zagrabienſi Sclauo, VVaradienſi, Boznenſi, Zaladienſi, Sirmienſi, &c.* Ab his intelligi potuit, eſſetne aliqua Sancti noſtri memoria apud *Pannones*, *Dalmatas*, *Croatas*, *Sclauos*, *Moeſios*, alioſque populos finitimos. Quiſquis hæc leget, facile credet, me viciniora terrarum minimè neglexiſſe.

III. AD IDEM meum ſtudium pertinet, quòd *Diſquiſitionem Hiſtoricam* de rebus geſtis S. HVBERTI, quatuor linguis edi curaui, Latinâ, Gallicâ, Germanicâ Superiore, & Inferiore: & tum ad eruditos viros miſi, aut mitti curaui, tum vſquequaque longè, ac latè ſpargi. Quinetiam in Secundam Editionem intentus, ad huius libri finem eamdem Diſquiſitionem recudendam iudicaui.

IIII. DE FIDE eorum, quæ ſcribimus, illud audacter profiteri audemus, nihil nos debere vlli alteri ex ijs, qui in eodem genere elabora-

borarunt; cuiuſmodi noſtrâ memoriâ fuerunt *Chapeauille*, *Molanus*, *Surius*. Neque cum his, alijſue componi refugimus: parati ſemper eorum, quæ prodimus, rationem reddere, vel ex vetuſtis, iiſque probatiſsimis *Chartis*; vel longâ piorum Chriſtianorum *Traditione*; vel vſu & *Experientiâ* publicâ: vel denique eorum *Teſtimoniis*, quibus, in Diuinis, humaniſque, nemo fidem detrahat, niſi qui Diuina, ac humana pariter, iudicio ſuo procaciter ſubijciat.

V. VTI vides, non ſolam S. HVBERTI *Vitam* damus, ſed integram, quà licuit, *hiſtoriam*. *Antiquam Vitam*, quam Surius ediderat, auctiorem, & correctiorem edimus: eidemque *Notas* addimus. Et, cum ea manca eſſet, &, vt ſic dicam, ἀκέφαλος, quippe, quæ ante eius Epiſcopatum totos quadraginta annos ſileret: è non minus probatis Codicibus, id tempus vtcumque ſupplemus additis paſsim, ſupplementi loco, quæ *Paralipomena* vocamus. Neque omittimus ſanctarum eius Exuuiarum *Translationem*, & nobilia Miracula hactenus nunquam edita. Secundum hæc, ne mors, cum vitâ, etiam eius memoriam extinxiſſe gloriari poſſet, eiuſdem Sanctiſsimi Præſulis Maieſtas, & *Cultus* quantopere propagatus ad hanc vſque diem fuerit, & porrò propagetur, multifariam oſtendimus. Denique, vt quædam plenius explicentur, & dubitationum nebulæ diſsipentur, *Quæſtionum*, & *Diſputationum* lumen, & quaſi Solem addimus, è quibus *Hiſtoricas* alias, alias *Theologicas* leges. Quibus ad extremum eâdem fini *Tabulæ* accedunt, tum *Genealogicæ*, tum *Chronicæ*.

VI. IAM, ſi minuta quoque nonnulla addenda ſunt: vt in ijs, quæ ex antiquis membranis edo, ſtylum Scriptoris retinui: ita Orthographiam quoque intactam reliqui; excepto, vbi in manifeſtam Kakographiam abierat. Locorum antiqua vocabula raro ſum interpretatus: tum quòd ægrè quædam attigiſſem, quæ adeò mutarunt, vt veſtigium nullum appareat; tum quòd non videbatur mihi res tanti: nam vicinos conſentaneum eſt, præ me nôſſe, vt proinde à me docendi non fuerint: remotiores verò, neque magni facient ea ſcire; neque ignorare graue ducent.

VII. QVID attinet, te monere, Digreſsiunculas binas, ternaſue in Notis, mihi excidiſſe? *non quia adſectarim* (Lipſij verbis vtar) *ſed quia dabant ſe ſub manum. Vt in ſegete flores quidam internaſcuntur ſuâ ſponte: ſic in his ſcriptis, alieni generis notæ.* Si quis moroſior Cato improbet, in promtu ſunt nobis exempla Veterum Authorum, recentiorumque, quibus nos tueamur. Cæterum tute ipſe facile videbis, dum hunc librũ HISTORIAM voco, non ita me eam vocem accipere, vt accipit Cicero, dum à *Commentarijs* diſtinguit: neque vt Lipſius, aut alius Criticus aſtrictè diffinit: ſed laxiore ſignificatu, quamuis rerum narrationem, vtcumque expreſſam, ſic appellare.

Sed hæc ſatis ſunto.

VVLGANDI LEGITIMA Permiſſio.

EGO FLORENTIVS DE MONTMORENCY, Prouinciæ Gallo-Belgicæ Societatis IESV Prouincialis, poteſtate ad hoc mihi factâ à Reuerendo admodum P. N. Generali; facultatem concedo, vt Vita Sancti HVBERTI, cum NOTIS, & QVÆSTIONIBVS in eandem, à P. IOHANNE ROBERTI conſcriptis, eiuſdemque Societatis Patrum iudicio approbatis, Typis mandetur. Inſulis, 18. Septembris 1621.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

VITÆ

VITÆ

1. *S. HVBERTI

Pars Prima.

DE EIVS STIRPE, EDVCATIONE, ADOLESCENTIA, ET PRODIGIOSA AD DEVM CONVERSIONE.

2. HVBERTO, * virtute, ſan- HVBERTI ſtirps.
ctitate, rebus geſtis, miracu-
lis illuſtriſſimo; ne qua cla-
ritudo deeſſet, origo quoque
nobiliſſima fuit. Quippe
& Patre & Matre è *Regio*
3. * *Francorum ſanguine*, lon-
gâ ſerie propagatis.

4.5. Pater illi *Bertrandus* * *Aquitaniæ* * *Dux*, Prin- Pater,
6. ceps pacis, * bellique artibus clariſſimus, no-
nus à *Pharamundo*, qui primus Francis Regio
nomine imperitauit. Mater *Hugberna*, pari Mater,
gradu eumdem Pharamundum ſtirpis autho-
rem contingens.

Quinam vel rectâ lineâ interceſſerint; vel ad latera diffuſi, Regiæ arboris ramos occuparint, tum ſeculi gloriâ; tum maxime ſanctitate celebres: ne legentis intentionem, ipſo huius ſcriptionis aditu morer; tabulis genealogicis oſtendi, quas opportuno loco, cui libitum erit, reperiet.

Cognati,

Ortus tempus,

Ortus eius tempus diſtinctè aſſignare non perinde in procliui eſt, quod à nemine proditum lego. In re parum certa quod propius vero videatur, ponam. Arbitror igitur, HVBERTVM eo anno natum orbi, quo Lambertus eius Magiſter Tungrenſi Eccleſiæ datus eſt: id eſt, quo Epiſcopus factus. Vt videatur Numinis Prouidentia, eodem tempore & illi Eccleſiæ Lambertum aſſignaſſe Rectorem; & huic, poſt quaternas annorum decades, per glorioſiſſimum Martyrium humana relicturo, HVBERTVM tanto antè deſignaſſe ſucceſſorem. Accidit hoc anno Dei-Hominis ſexto * & quinquageſimo ſuprà ſexcentos: Rom. Eccleſiæ habenas moderante vel Eugenio, vel Vitaliano; Imperij vero Conſtante Conſtantini filio. Quâ eâdem tempeſtate Franciæ Regnum tenebat Chlodouæus Dagoberti filius; Auſtraſiæ vero Childericus ipſius Chlodouæi filius, & poſtea in Franciæ Regno ſucceſſor. Quibus porro argumentis in hanc ſententiam inductus ſim, tum in Notis meis; tum in alijs Tabulis quas Chronologicas vocamus, com-

modius

modius leges. HVBERTI infantis, & pueri educationem eam fuiſſe ſuſpicari licet (nam & hoc veteres chartæ ſilent) quæ & iuuentutis Principem decebat, & quam credibile eſt à talibus eius progenitoribus adhibitam. Eius educationis tria capita eſſe ſolent, Pietas, litteræ, Arma. Pietatis curam, etſi par eſt credere, à Parentibus *Bertrando*, & *Hugberná* minimè neglectam, Sanctiſſima Matrona *Oda*, Educatio.
8. * HVBERTI amita, vtique ſingulari ſtudio nepotulo inſtillauit. Litterarum, Armorumque exercitationem, antiquæ membranæ non ſiluerunt; è quibus deinceps, ſeruatis religioſè earum verbis, HVBERTI Adoleſcentis, Viri, Principis, Epiſcopi; denique Sancti vitam, tibi deſcribimus.

9. Prologus *

IN GESTA S. HVBERTI, præſertim de ipſius Conuerſione,
10. * ac poſt mortem Tranſlatione

EX MS. CARTHVSIAE LEODIENSIS & Monaſterij Rubra-Vallis.

SECVLARIBVS, & Spiritualibus perſonis ſalutare exemplar proponendo, B. HV-

BERTI primo Comitis regalis palatij, poſtea vero Pontificis Eccleſiaſtici conuerſionem & tranſlationem retexere cupientes, ſponſæ Chriſti vtcumque ſatisfacere contendimus: quæ ſatis queruloſe dicit in canticis. *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Quod verbum exponens B. Gregorius: ita dicit. *Quia ſunt nonnulli vitæ ſecularis: qui habent aliquid imitandum de actione virtutis.* Habent namque huius ſeculi fideles ipſum Beatum Virum intuentes, quod imitentur: Vanitatem videlicet tranſitoriam declinare, atque ad diuinum conuerti ſeruitium per voluntatem bonam & virtuoſorum operum abundantiam. Hoc ſiquidem exemplum ſecularibus ipſe adhuc ſeculariter viuens exhibuit: nam mutabātur ſtatim, vt audiemus, in virum alterum, induens nouum hominem in Chriſto, Vitamque ducens ſpiritualem ſub ſpecie habitus & dignitatis ſecularis. Formas ſcilicèt viuendi in eo repe.iunt religioſi & ſpirituales: dum conſiderant hunc Sanctum erga ſeipſum ſatis rigidum: erga proximum valdè beneficum; & erga Deum, iuſtum & rectum. Ipſum igitur in communi omnes laudemus, & glorificemus, qui largus in miſericordiâ; ita mirificauit ſanctum ſuum, vt in eius conuerſione mirabili, ſimul & virtuosâ conuerſatione ipſius demonſtraret meritum: in gloriosâ vero eius tranſlatione quodammodo notificaret virtuo-

ſitatis

Cantic. 3. 2.

Homil. 25. in Euang.

ſitatis eius præmium etiam in præſenti: nos quoque in hoc miraculo conſolans & in fide confortans, vt de exhibitione præſentium munerum, firma ſit exſpectatio futurorum: quam firmitatem etiam corroborat ſingulorum ſignorum diuerſitas.

EXPLICIT PROLOGVS.

Incipit conuerſio

11. * S. HVBERTI COMITIS, POSTMODVM EPISCOPI LEODIENSIS.

12. CAPITVLVM * I.

HVBERTVM COMITEM, VENANtem Chriſtus vocat. Hic Ebroinum fugiens, ad Pipinum ſe confert.

13.14 TEMPORE * illo, quo Ebroini * crudelitas, regnum Francorum grauiter opprimebat, erat quidam adoleſcens nobilis
15.16 Aquitanicus * genere, ſub Theodorico * Re- HVBERTVS Aquitanus.
17. ge, Comes * palatij, HVBERTVS nomine:

& litterarum ſtudijs eruditus, & armorum exercitatione ſtrenuus. Fertur autem quod quadam die ſolemni, * quando alij Chriſtiani ſeu Vicini eius pergebant ad Eccleſiam: 18.

Venationi inſiſtit.

ipſe vanitatibus mundi deditus pergebat ad venationem. Et ecce apparuit ei quidam ceruus * qui infra cornua ſua geſtabat ſignum S. Crucis. Audiuit inſuper quamdam vocem dicentem ſibi. *Niſi conuertaris ad Dominum, per ſancta vita propoſitum, deſcendes velocius ad infernum.* quo audito, deſcendit ilicò de equo ſuo: adorans Dominum qui ſibi apparuerat, & promptum ſe exhibens ad faciendum quod monuerat. Hic quia prudentis erat ingenij, conſiderans *Ebroinum* ad omnem malitiam * promptiſſimum, execratus omnes actus illius, Franciam ſequanorum * deſeruit: & in Auſtriam * ad *Pipinum* Ducem, * cuius iuſtitia & induſtria ac virtus bellica Tyrannos omnes * oppreſſerat, ſe contulit. Adhærebatque illi, quaſi Comes indiuidua, Amita ſua *Oda*: * quæ extitit *Boggis* * Aquitanorum Ducis recens defuncti, relicta vidua.

Loquitur ei Chriſtus. 19.

Ebroinum fugit, & 20. 21.

Pipinum petit, 22. 23.

24.

Comite Odâ amitâ. 25. 26.

CAPITV-

CAPITVLVM II.

HVBERTVS A S. LAMBERTO INſtitutus, in alium virum mutatur.

27. CVM igitur in Parochiâ Tungrenſi * apud
memoratum Principem HVBERTVS
28. Vir illuſtris aliquamdiu * conuerſaretur:
B. *Lamberti* Pontificis celebre nomen famâ — Lambertum adit.
diſcurrente cognoſcens: cupienſque ipſum vi-
29. dere, deſcendit * Traiectum. Quem *Lamber-* — A quo humaniter excipitur, habetur,
tus Vir Dei gratanter excepit: multis quoque
diebus ſecum detinuit. Huius autem ſancti
Viri colloquio felici, & exemplo, cor clariſſi-
mi Principis HVBERTI adeo immutatum, — ad cælestia inflammatur.
penituſque ſuccenſum eſt cæleſtis patriæ deſi-
derio: vt abiecto militiæ cingulo: calcatâ mun-
30. danæ potentiæ gloriâ voluerit adſcribi * diui- — Clericorum vitam affectat:
nis obſequijs. & hoc quoque effectui manci-
31. paſſet, ſi non eum copula * legitimi connu- — ſed coniugium impedit.
bij detinuiſſet. Denique totus in virum a-
lium mutatus. nouo viuendi genere, ſolo habi-
tu mundanam dignitatem profitebatur. re au- — Vitâ tamen talis eſt.
tem verâ non *miles*, ſed *clericus*: & effectu non
Comes, ſed Sancti *Lamberti* erat diſcipulus.
Iam enim occultè taciteque operabatur in eo
Spiritus Sanctus per miniſterium ſui Sacerdo-
tis S.

tis S. *Lamberti*; quod ad ſalutem multorum poſtea latius propagatum eſt manifeſtè, cum per Euangelicam * iuſſionem in Epiſcopali regimine beato magiſtro dignus heros * ſucceſ- 32. 33.
ſit, quod quomodo actum ſit breuiter narrabimus.

CAPITVLVM III.

DEI IVSSV EPISCOPVS TVNgrenſis Romæ à Sergio ordinatur: à D Virgine Stolâ: à B. Petro, claue donatur.

Lamberti conſilio Romam petit.

SIQVIDEM Vir memorabilis HVBERTVS per omnia S. *Lamberti* vſus * conſi- 34.
lio, propoſuerat triumphalia Apoſtolorum
viſitare * limina: vt religionis feruorem con- 35.
ceptum, mundique contemptum per eorum merita perduceret ad effectum. Quo Romæ conſiſtente, Cum venerabilis Pontifex *Sergius*

Sergio Pontifici Lamberti Martyrium Angelus indicat.

poſt matutinorum * officia fatigatus ſomno ſe 36.
dediſſet, circa ipſius diei obdormiebat auroram, quâ * Sacerdos Chriſti *Lambertus* pro- 37.
pter veritatis teſtimonium, per manum ſcelerati *Dodonis* conſecutus eſt martyrium. Et
ecce Angelus * Domini in viſione ei aſſiſtens 38.
ait. Attende diligenter, & fidem verbis meis adhibe,

39. adhibe. *Lambertus Tungrorum* * *Epiſcopus*, hâc
40. horâ intra ſanctuarium * Domini ab impijs eſt
pro pietate immolatus. Propterea cum Sanctis
in cœleſtibus meruit coronari. En eius paſto-
41. ralem baculum, * à loco paſſionis tibi ſubitò
42. allatum ſuſcipe. Et in hoc * ſubſtitues ad Re- &HVBERTVM iubet ſubſtitui.
gimen *Tungrenſis* Eccleſiæ, Diſcipulum eius,
HVBERTVM nomine, quem ad Apoſtolo-
43. rum limina deuotè venientem * inuenies ho-
die. Statimque Pontifex euigilans, cum de vi-
ſione adhuc hæſitaret, iuxta ſe, ſicut ab Ange-
lo ſuſceperat, B. Martyris baculum paſtora-
ralem inuenit. Factâ itaque oratione, & im-
molatâ hoſtiâ, ad exequendum viſionis præ-
ceptum, circa limina Apoſtolorum ſtudioſus
perſcrutator conſedit. Et fortè Vir Domini
HVBERTVS, in proximo Vrbis Vico man-
ſionem acceperat peregrinus, qui ſtatim de-
uotè ad diu deſideratam B. Petri Apoſtoli ac-
ceſſit Eccleſiam. Quem vt Pontifex *Sergius*
vidit, ſciſcitatus eſt, quis ſit, & quo nomine
appellaretur. Cui Beatus HVBERTVS re-
ſpondit: Ego quidem HVBERTVS vocor,
Veſtræ Sanctitatis famulus. Statimque Ponti-
fex *Sergius*, eum gratanter manibus recipiens,
adduxit ipſum iuxta altare Principis Apoſto-
lorum, eidem reuelans mortem dilecti Magi-
ſtri ſui *Lamberti*, quemadmodum ab Angelo
didicerat. Quo audito, B. HVBERTVS do-
lenter lachrymatus eſt. Cumque eum Ponti-

HVBERTVS tergiuerſatur: fex inſtanter moneret, de ſuſceptione Regiminis Eccleſiæ *Tungrenſis*: & B. HVBERTVS nullo modo conſentiret, ſed indignum ſe affirmaret: Ecce omnibus diuinitus pontificalibus * B. *Lamberti* induitur, quæ ſubitò à loco 44.
Sed diuinitus ſacris induitur,

Martyrij ab Angelis tranſlata ſunt ei. Cumque iſtis induto ſola *ſtola* defuiſſet; ſtatim *ſtola* * Serica alba, auroque contexta HVBERTO per 45.
Stolâ etiam à DEI Matre, miſſâ.

Angelum à B. Virgine Mariâ Eccleſiæ *Tungrenſis* * patronâ, eſt tranſmiſſa: per quàm plurima miracula DEVS ad declarationem meritorum B. HVBERTI, quotidie operatur. Videntes hæc qui adſtabant, mirati ſunt, agentes gratias Deo. A Pontifice ergo in Epiſcopum conſecratur B. HVBERTVS. Cum ibidem miſſam celebraret, apparuit ei B. Petrus Apoſtolus, tradens ei *clauem* quaſi * auream, in manu geſtandam, in poteſtatem ligandi * ac ſoluendi, & lunaticis, furioſiſque * ſanitatem conferendi: *Clauis* autem ipſa vſque hodie ſeruatur in Eccleſiâ B. Petri * Leodij. Dum autem exequiæ B. *Lamberti* agerentur in Eccleſiâ B. Mariæ Traiecti, audita eſt vox deſuper, * eâdem horâ, à Summo Pontifice, Deo reuelante, eis prouiſum de condigno Paſtore, B. *Lamberti* Diſcipulo, HVBERTO nomine. Acceptâ autem licentiâ & benedictione à Summo Pontifice, qui venerat peregrè; Præſul factus remeauit cum honore.

46. 47. 48. 49. 50. 51.

S Petrus Clauem addit,

quæ hodieq; ſupereſt.

HVBERTVS Pontifex ſuis Traiectenſibus diuinitus indicatus.

Ad quos rediens,

Huic honor obuenit, cui Viſio cœlica fauit,
A Ro-

A Româ autem Vrbe, cum *baculo*, & *pontificalibus* B. *Lamberti* rediens, ſecum ferens *clauem*, à B. Petro ſibi traditam, à Clero & Populo *Traiectenſi* honorificè ſuſcipitur, & in Cathedrâ Pontificali reuerenter inthronizatur. honorificè excipitur.

VITÆ S. HVBERTI Pars Secunda.

AB AVTHORE CONTEMPORANEO, DISCIPVLO, ET DOMESTICO, CONSCRIPTA.

Ab EPISCOPATVS eius exordio, vſque ad beatum Exceſſum.

52. INCIPIT *Epiſtola Ionæ * Epiſcopi ad Walcandum * Epiſcopum.*
53.

DOMINO honorabiliter venerando, & venerabiliter honorando Fratri, & coëpiſcopo Walcando, Ionas, vltimus famulorum Chriſti famulus, æternam in Domino ſalutem. Cum animus modernorum

venerabilium Præſulum, ad imitationem excitatur Domino placentium priſcorum Sacerdotum, id maximè fieri reor ex aſſiduâ lectione Sanctiſſimæ vitæ eorum. Vnde non dubium eſt, vel eſſe, vel fieri velle vos Sanctorum Paſtorum participem, cuius paſcit aſſidua lectio, referens actuum eorum probitatem, inſatiabilem mentem. Et quia proprium eſt ingenuę menti, nihil his, quæ vtilia ſunt, interſerere velle imperfectionis, quâ offuſcari, vel in aliquo poſſit ſtudium bonitatis: in vitæ Sancti HVBERTI deſcriptionę, cum vobis placerent Domino digniſſimi, ac prorſus imitabiles qui referuntur actus; diſplicuit tamen ſermo incultus. Quem veſtra benigna Paternitas à noſtrâ paruitate corrigi, & ſecundum regulas loquendi voluit conſtringi. In quâ re veſtram admiror vehementem prudentiam: quia cum adſit vobis Palatina * ſcholaſticorum facundia; à me vix vel tenuiter ſcientiam communem literarum ſciente, id fieri voluiſtis. Quod etſi neſcio cur acciderit, ſententiâ cuiuſdam me edoceri puto, qui dixit, *Amantium ſemper cæca eſſe iudicia.* Ideoque quia plurimum, licet nullis meritis præcedentibus, me à veſtrâ piâ Paternitate diligi ſcio: ad hoc opus me idoneum, amore priuato iudicari cognoſco. Sane de impoſſibilitate virium conqueſtus, apud vos ab opere tanto me excuſarem, ſi vobis negare ſaltem aliquid potuiſſem. Erit ergo ve-

54.

ſtræ

ſtræ piæ Paternitatis, ſi quid bene, & rationabiliter in hoc opere factum, ordinatumque repereritis; largitori omnium Chriſto dignas perſoluere grates: ſi quid vero ſecus quam decet; id impoſſibilitati meæ, atque inſipientiæ attribuere; &, vt pace veſtrâ dixerim, veſtræ iuſſioni pæne indiſcretæ. Si autem noſtra incorrecta emendatio in manus cuiuſcumque docti deuenerit, humiliter efflagito, vt non mihi ſuccenſeat, quia imperito ſtylo tantum opus aggredi auſus ſim: ſed conſideret caritatis fraternæ ad id me compulſum precatione; cui aliquid negare nefas ducit, quiſquis plenus eſt fraterno amore. Si vero incorrecta, ſaluâ pacis vnitate, corrigere libuerit, libenter charta mea perferet correctorem: cum ego ipſe humiliter ſuſcipere paratus ſim morum meorum à doctioribus, & ſanctioribus, correctionem. Debet ergo abſque inuidiâ ferre charta, quod gratum habet conſcientia. Sed neque compilatoris vel nomen, vel officium mihi debet imputari; quaſi qui alienum opus verbaque peruaſerim. Satius enim mihi fuerat, eius, à quo primum compoſita eſt, lectione refici, quam labore huiuſce rei fatigari: quia, etſi offenditur auris vitio ſermonis, ædificatur tamen mens nobilitate virtutis. Potuit namque, quiſquis ille fuerit, ſanctiſſimi viri operum deuotiſſimus ſcriptor, cum Apoſtolo gloriari, quia *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ.* 2.Cor.11.6.

Fidem ergo dictorum illi attribuimus, nec alia cudimus, quam ab eius relatione comperimus. Nobis tantum ſufficit, ſuperficiem litteraturæ, vel modico decoraſſe ſermone, cuius ille aut contemptor fuit, aut inſcius. Veſtrum tamen erit, hunc noſtrum qualemcumque laborem, deuotis quibuſque, pro vtilitate, legendum committere; & non ſuperborum ſupercilijs ſubſannandum, inuidorumque dentibus corrodendum exponere: & laborem, quem veſtræ iuſſioni parentes, in eo habuimus, orationum retributione compenſare. Bene ſemper in Domino vale, vir venerande & honorande; mearumque virium imbecillitatem, orationum tuarum baculo ſuſtentare dignare.

Explicit Epiſtola Ionæ Epiſcopi ad Walcandum venerabilem Epiſcopum.

INCIPIT PRAEFATIO EIVSDEM in vitâ Sancti HVBERTI.

CVM conſtet, propagatricem fore Dominicæ laudis, relationem, famulorum Domini geſta referentem, æquumque ſit, non inficiari præconia, laudes creatori dicentia: ea, quæ de operibus illuſtris HVBERTI Præſulis, noſtræ patuêre dinoſcentiæ, noſtra quoque exigui-

exiguitas ſtylo mandaret, ni huic intentioni
55. propter duo * collimitarent. Nam nec facun-
dia vires ſuggerit: & materiam tantam eſſe
perſpicio, cui ſuccumbere poſſit vel doctiſſi-
mi cuiuſque dictatio. His igitur veluti gemi-
nis expoſitus diſcriminibus, videor mihi vide-
re, hinc ſcyllæum frangorem, exitium mini-
tantem: illinc inexpletam Charybdim, ſæuis
voraginibus hiantem. His additur, quia nec
ipſa taciturnitas, cui in tantis periculis, manus
dare ſatius putaueram, tutâ me tenere ancho-
râ valet: cum fere æque illicitum ſit, aut men-
dacium conſeruiſſe, aut veritatem occuluiſſe.
Vnum enim horum hoſtem veritas patitur,
alterum ingratum. Inter hos ergo, vti præfa-
tus ſum, ancipites, & penè inextricabiles, de-
prehenſus cunctationum anfractus; ſupereſſe
nil ratus ſum tutius, quam vt conatus noſter,
ſummotis proprijs, audere inciperet viribus
diuinis: quia & forſan præſumptio noſtra hinc
citam inueniet veniam, dum non metuit, ob
ampliandam Dominì gloriam, ſuam cunctis
exponere inſcientiam. Licet enim mens hu-
mana, quanquam dicendi facunda, magnitu-
dine operum preſſa diuinorum, in ſemet re-
torta deficiat, & gutture areſcenti, fluuius elo-
quentiæ victum ſe conqueratur materiæ maie-
ſtate: non tamen vſque adeò percelli meticu-
loſam mentem fas eſt, diuina potentia fretam;
vt ſilentij carcere trudat opera diuino inſtin-
ctu

ctu peracta; quæ non ſunt furuarum denſitate ſupprimenda tenebrarum, ſed clariſſimâ voce prædicanda litterarum. Nam Dominus, fons, & origo operum iuſtorum, *linguas* etiam *infantium diſertas facit*; & ad audendum quodammodo noſtram excitans infirmitatem, manu verbi ſui torpentem commonefacit dicens. *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Redundat ergo in laudem Domini, quicquid generoſitatis, atque nobilitatis paret in factis deuotiſſimi ſerui: maximè cum & Dominus in mirabilibus factis famulorum ſe tributorem ac liberaliſſimum commendauerit datorem dicendo. *Sine me nihil poteſtis facere.* Erit ergo eius munificentiſſimæ pietatis, vires tribuere, ſancti viri opera ſtilo ſignanti: qui adiutor eius extitit digna relatu peragenti. Nec vereor ruſticitati imminentes Grammaticorum ferulas, cum mihi non ſit animo orationem oblinere Rhetoricæ melle dulcedinis, vel Dialecticis aſtringere nodis, aut declamationibus ludere comicis, ſed potius veritatem qualibuſcumque perſtringere verbis. Quod dum meos ſodales cerno * perhorruiſſe, tantum opus eos video, vt pace eorum dixerim, timore victos intermiſiſſe. Erit autem prudentis, ſtudioſique lectoris, inſcientiæ compati, ſuperflua quæque diſcreto confodere calamo, hiantia ſupplere, incorrecta corrigere, &, vt bona bene dicantur, fructuoſo ſtudio elaborare. Sed noſtrum tandem

Sap. 10. 21.

Pſal. 80. 11.

Ioan. 15. 5.

56.

dem eſt vela pandere flaminibus Sancti Spiritus, & narrationem operum eius aggredi cupientes, quaſcumque vult, ipſo gubernatore, feramur in oras. Neque enim illi mos eſt, incomitatum iter relinquere de ſe præſumentibus, & illo comite, nulli locus erit læſuro diſcrimini. Igitur primum qualiter initium eius Præſulatus Domini ſe dedicauerit voluntati, dicamus; exin quibus, & quantis floruerit miraculorum inſignibus, ſubnectamus: tum deinde ad glorioſum eius tranſitum, verbi pedem transferamus. Quod tanto tutius, Deo fautore, poterimus peragere, quanto narratio noſtra, non rumuſculis quorſumlibet aucupatis
57. conſeretur; ſed, quæ coram * fuit cernere, par fuit etiam poſteritati legenda contradere.

EXPLICIT PRAEFATIO.

INCIPIVNT CAPITVLA.

CAP. I.

Qualiter poſt deceſſum egregij Antiſtitis Lamberti, beatus HVBERTVS *ſit electus, eiuſque ſedi, conſenſu fidelium, Præſul ſurrogatus.*

II.

Qualiter in initio Præſulatus ſui, ſanctis operibus inſiſtendo, ſit conuerſatus.

III.

De oraculo, anno ordinationis ſuæ duodecimo, diuinitus ſibi oſtenſo, quo admonitus eſt, vt oſſa Beati Lamberti, à Traiectenſi Oppido ſuſtolleret, & in locum, vbi ille paſſus fuit, referret. Quod & ille cum magno venerationis honore, & amore executus eſt.

IIII.

Qualiter, poſtquam oſſa beati Lamberti, venerabiliter terræ mandauit, de virtutibus in virtutes magis magiſque beatus HVBERTVS *excreuerit, Idolaque confregerit, & in eorum locis, Chriſti Baſilicas conſtruxerit, multoſque Idolorum erroribus deceptos, ſuâ prædicatione ad Chriſti gratiam reuocauerit.*

V.

De Muliere, cuius manus, propter inhonorationem diei Dominicæ, ſunt contractæ, & per orationem eiuſdem Sanctiſſimi viri, priſtinæ ſanitati reſtitutæ.

VI.

De pluuiâ diu terris negatâ, & per eius orationem, mirabiliter redditâ.

VII.

De Muliere à Dæmonio liberatâ.

VIII.

De eo, quod igneis aciebus viſis, diem extremum vitæ ſuæ, proximum eſſe prædixit.

IX.

De domo illius, caſuali incendio flagrante, eius

eius præſentiâ & oratione, liberatâ.

X.

De ſuorum naufragoſâ periclitatione famulorum, eorumque per interceſſionem eius, liberatione.

XI.

Qualiter per quietem, Angelo ſibi nunciante, exceſſum ſuum cognouerit, & quòd, quanto ſe viciniorem morti didicit, tanto promptiorem, deuotioremque diuinis obſequiis ſe amplius mancipauerit, ac ſuperni Iudicis optutibus præſentandum exhibuerit.

XII.

Qualiter locum ſepulturæ ſuæ, in Baſilicâ beati Petri principis Apoſtolorum, iuxta altare beati Albini Confeſſoris Chriſti, præſcius futurorum, deſignauerit, qualiterque, inſtante vocationis ſuæ tempore, rogatu quorumdam nobilium, quandam Baſilicam Domino dedicaturus, Bracbantum perrexerit, indeque acerrimè febris ardore correptus, ad domum propriam remeauerit.

XIII.

De eo, quòd cuidam Diſcipulorum ſuorum dixit, in eadem, quâ quieſcebat, domo, hoſtis antiqui adeſſe præſentiam, & quod eius iuſſu, aſperſione aquæ benedictæ, ab eadem domo eius ſint fugata machinamenta.

XIIII.

De tranſitu eius, & his, quæ in deceſſu, & erga exequias, ſepulturamq; illius acta ſunt.

X V.

Qualiter à Carlomanno glorioſo Rege, eiuſdem ſancti Viri corpus à loco primæ ſepulturæ ſit elatum, & in alio loco honorificè collocatum.

X V I.

Qualiter ſub piiſſimo, atque orthodoxo Luduvvico Imperatore, eiuſdem ſancti viri corpus à Walcando Venerabili Epiſcopo, à ſecundo loco ſepulturæ ſuæ ſit effoſſum, & in Monaſterium Andagium tranſuectum, ibique honorificè reconditum.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT VITA SANCTISSIMI HVBERTI, ECCLESIÆ *TVNGRENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS. 58.

CAPVT I.

QVALITER POST DECESSVM egregij Antiſtitis Lamberti, Beatus HVBERTVS *ſit electus, eiuſque ſedi, conſenſu fidelium, Præſul ſurrogatus.*

POST glorioſum beatiſſimi, ac præcellentiſſimi Antiſtis Lamberti, rebus humanis exceſſum, qui Pontificalem apicem, apud Vrbem,

59. Vrbem * Tungrenſem, quadraginta annis ſtrenue ferens, vitæ quidem exempla poſteris dereliquit, mortis autem acerbæ viriliter ferendo diſcrimina, & ſummi paſtoris veſtigijs inhæſit, & quantum amoris circa Dominicas oues haberet, aperuit; vtpote quibus & viuens vitæ contulit paſcua, & pro quibus non metuit mortis ſubire diſpendia; HVBERTVS venerandus Præſul eius ſedi ſurrogatur Epiſcopus: cui non erat virtute ſecundus; Namque Paſtor ille pius, qui deuicto mortis Tyranno, oues ſuas ſolari dignatus eſt dicendo, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, eidem gregi talem, ac tantum prætulit Paſtorem, per cuius opera, vera ſua eſſe verba oſtenderet, virtuſque in eo pollens, Chriſtum in ſe & loqui, & operari clamaret. Egitque, vt aſſolet; diuina prouiſio, vt, quia optimi Paſtoris deſtiruebantur ſolatio, non rictibus luporum territæ, per diuerſa diſpergerentur, dentibuſq; dilacerarentur: ſed ſuccederet eis Paſtor, qui humilis gregis curam gerens, feſſas ſubleuaret, fractas alligaret, laceratas ſanaret, Luporumque rabiem ab earum inſectatione, procul proturbaret; nec iam Eccleſia Domini fieret luſtrum ferale, ſed expiatum à ſorde nocentium, & ſerenatum ab angore luporum, redderetur Domino templum herile.

Lamberto ſuccedit HVBERTVS.

Matt. 28. 20.

Paſtor optimus.

Iuuabatur namque prædictus Domini famulus, non modo Chriſti exemplis, ſed & præde-

ceſſoris ſui nuperrimis inſtitutis, quia & huma-
nam mentem non tam inſtruunt priſca, quan-
tum præſentia; nec eo infirmi conualeſcunt
exemplo, multo ſibi ſuperiorum, quo ad æmu-
lationem prouocantur, ex viſione coæqualium.
Vnde actum eſt, vt iſdem venerandus vir, & le-
ctione ſcripturarum, quæ ſibi agenda forent,
addiſceret; opuſque lectionis paterna æmulan-
do opera, perageret, operiſque paſtoralis non
ſegnis executor exiſteret, atque ideo officij E-
piſcopalis non incongruus Miniſter fieret. Igi-
tur vt vox veridica, veritatis ore prolata, com-
Matt. 18.20. pleretur dicentis, *Vbi ſunt duo, vel tres congrega-
ti in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, con-
ſenſu * vnanimi fidelium, talis ac tantus vir, 60.
Cathedrâ, vt dictum eſt, Præſulatus Dominici
gregis, dônatur, vt, qui eatenus ſibi tantum
profuerat, & ſub ſchemate priuatorum delitue-
rat; *candelabro* Domini, quaſi quidam clariſſi-
Matt. 5.15. mus lychnus, *imponeretur*; quatenus eius exem-
plo, *cunctis in domo Domini* poſitis, luminis cla-
ritas præberetur.

CAPVT II.

QVALITER IN INITIO PRAESVLA-latus ſui, ſanctis operibus inſiſtendo, ſit conuerſatus.

SCIENS namque memoratus, & ſæpe me-
morandus vir, aliam legem eſſe ſubdito-
rum,

tum, aliamque prælatorum, ſcilicet vt ſubditus quiſque curet ne pereat, neue ſui exemplo alios perdat; Prælatus autem, vt non ſolum ſuperintendat ſuæ, ſed & Iudex, prouiſorque cogatur vitæ fieri alienæ: non ei ſufficiebant ea, quæ ſibi olim ſectanda propoſuerat, ſed in arctiora tendens, magnopere ſtudebat antiquorum Patrum ſectari veſtigia. Vnde non quemlibet ſibi in æmulatione propoſuit, aut virtutum ignobilitate degenerem, aut inſcientiâ vecordem, aut mollitie ſegnem; ſed illos potiſſimum, qui voce Domini auditâ dicentis, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo & veni, ſequere me*; ſtuduerunt nihil mundiale appetere, ſed exploſis terreis cupiditatibus, ſi quid eis rei familiaris ſuperfuit, curauerunt ſub vno congerere, & ſingulis pro neceſſitate ſubminiſtrare. Vnde factum eſt vt initium eius Præſulatus, talibus, tantiſque dedicaretur auſpicijs, in quibus non initium bonæ intentionis, ſed perfectio fulgeret operis. Diſtractis igitur, ſi qua ei ſuperfuere in re priuatâ, ſtudebat ea, non ſub cauo terræ ceſpite abſcondere, aut ærugini conſumenda tradere, furibuſue diripienda relinquere; ſed *amicos* Euangelicos de his conquirere, qui ſe *in æterna tabernacula* valerent *recipere*. *Matth. 19. 21.* *Luc. 16. 9.*

Erat namque largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperum, & ſecundum Scriptu- *HVBERTVS in pauperes profuſus.*

Eccli. 4.10. In miſeros miſericors.

Scripturam, *Pater Orphanorum, & pro viro matribus eorum.* Oppreſſis adminiculabatur, inopum miſerebatur, ſuaque pro Domino relinquentibus, pio affectu patrocinabatur. Tribulationem patientibus, ſtrenuus conſolator aderat, & carcere præcluſis, nec non diualium
* pœnâ ſubactis, eius viſitatio atque ſubmini- 61.
ſtratio non deerat. Sed & quocumque pedem ferre libuiſſet, in manu illus, eleemoſyna deſudabat, quouſque pauper occurreret, cui eam tanquam Chriſto, committeret. Et quia moris eſt proficientium, præterita boni operis exercitia à mentis acie ſubducere, quo acutius ad ea, quæ ſunt arctiora mentem valeant defricatam ignire, atque iam iamque feſſam, appetitu noui operis recreare; viro beato non ſatis erat, talibus ac tantis virtutum inſignibus cluere; ſed reminiſcens perfectionis deceſſoris ſui,

Martyrij auidus,

ardebat cupiditate Martyrij, minus ſe deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino morti tradidiſſet etiam officia corporis. Doloris namque illius interni amaritudiniſque animi, quo flagrabat amore Martyrij, teſtes erant lacrymæ, quæ ſolent prodere intima conſcientiæ, quas in recordationem Beati Lamberti, ſolitus erat dolor elicere, genarumque orbes aſſidua humectatione alluere. Vnde inter pias exuberationes fletuum, alta ſuſpiria pulmonum, crebro talia conqueſtus eſt. O me infœlicem, terque miſerandum, cuius ſe peccata in tan-

in tantam ſuſtulere congeriem, vt non idoneus, dignuſque poſſim reperiri conſortio tanti viri, Martyrij triumphum ſubeuntis, palmamque victoriæ inuadentis. Sic ſic, nimirum imperfectionis ſeſe arguebat; vt quo magis perfectus, eo ſibimet videretur exiguus. Minuſque oculum mentis tendebat in his, quæ in ſe iam & victore Chriſto ſubegerat, & ſatore bona nutriuerat: ſed ad capeſſenda aciem irreuerberato tendebat obtutu, quæ nondum ob conſeruationem humilitatis, Chriſti ei diſcreta largitas attribuerat: attendens illud, quod à Sanctâ præcipitur Scripturâ. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiam.* His igitur, & talibus exercitijs, in gymnaſio ſanctæ Eccleſiæ, per annos duodecim exercitatus, his paleſtricis certaminibus, contra carnis hoſtes, aëriſque Principes eſt præliatus. Eccli. 3. 20.

CAPVT III.

DE ORACVLO, ANNO ORDINATIONIS ſuæ duodecimo, diuinitus ſibi oſtenſo, quo admonitus eſt, vt oſſa Beati Lamberti à Traiectenſi Oppido ſuſtolleret, & in locum, vbi ille paſſus fuit, referret. Quod & ille cum magno venerationis honore, & amore executus eſt.

Oſſa S. Lamberti tranſferre diuinitus iubetur.

ANNO autem ordinationis eius * duodecimo, crebras ſibi prodidit perlâtas, ſub noctis quiete, viſiones, quibus ſe commonitum fatebatur, vti à Traiectenſi oppido, oſſa Sancti Lamberti leuaret, & in locum, quo celebratam eius paſſionem noſſet, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæſtimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio poſitus, cum neque viſioni certam fidem tribueret; neque omnimodis ei diffideret: quod ſibi erat occultum, iudicauit à Domino quærendum. Nam indicto cunctis, tam monaſterialibus, quam è Ciuitatis clericis, nec non & laicis, ieiunio, quæ ſibi diuina voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere ſtuduit. Tandemque edoctus, ancipiti ſummotâ ſententiâ, tertio decimo * anno ſui Præſulatus, cœtu Clericorum ſibi adiuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Epiſcopis, * & Sacerdotibus, tumulum venerandi Viri adijt: ibidemque ſpirituales * obſeruantes excubias, diuinitatemque pulſantes precibus, honorantes laudibus; rogabant, vt, quæ Antiſtiti ſuo, facienda mandauerat, quo perficerentur, cœptis annueret: ſecundoſque prouentus attribuendo, ſuam voluntatem vt taliter fierent, cunctis palam oſtenderet. Quorum pijs votis omnipotentiæ diuinitatis annuere libuit. Nam cum maximâ veneratione vrnam,

62. 63. 64. 65.

66. vrnam, quâ Sanctiſſimus * cinis conditus ſer-
uabatur, adeuntes, abſque aliquâ difficultate, Ea transfert Leodium,
buſta beati viri ex loculo protulêre, & cum
magno gaudio, quà venerant, pedem referen-
67. tes, in loco, * quo paſſus eſt, terræ mandauê-
re. Quantis autem, qualibuſue miraculis,
68. * ſuum velle Dominus, in tali facto, per omne
iter reuerſionis eorum, commendârit, ſedula
geſtorum eiuſdem Sancti Pontificis annotata
continent. Fabrica autem eiuſdem baſilicæ,
69. * quâ Beati Viri conditæ ſunt reliquiæ, quali-
ter ab eodem viro Sancto HVBERTO ordi-
70. nata ſit, quia oculis videntium * ſe offert, de
ea aliquid dicere ſuperſedi.

CAPVT IIII.

QVALITER POSTQVAM OSSA BEATI Lamberti venerabiliter terræ mandauit, de virtutibus in Virtutes magis, magiſque beatus HVBERTVS *excreuerit, Idolaque confregerit, & in eorum locis, Chriſti Baſilicas conſtruxerit, multoſque Idolorum erroribus deceptos, ſuâ prædicatione ad Chriſti gratiam reuocauerit.*

HIs peractis, vir Domini HVBERTVS, vt ſcriptura clamat, *de virtute in virtutem* Pſal. 83. b.

HVBERTI progreſſus in virtutibus. proficiens, ardebat *videre* D E V M *Deorum in Syon.* Et ſciens dictum ab Apoſtolo, *Ea, quæ retro ſunt oblitus, in ea verò quæ ante ſunt, ex-*
Philip.3.13.14 *tendens me, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis*; magis magiſque ieiunio, & vigiliæ, caſtitatique animæ & corporis operam dabat, & ſubditorum curam gerens, tanquam fideliſſimus diſpenſator, verbi triticum conſeruis ſuis, toto niſu ſubminiſtrabat. Nec tamen Dominici immemor exempli, de quo legitur, *Cæpit*
Act.1.1. I E S V S *facere, & docere*, ea, quæ Diſcipulis obſeruanda voce prædicabat, quâ diligentiâ operanda eſſent ſuis actibus prætendebat, inſta-
2 Tim.4.2. batque iuxta Apoſtoli mandatum, *prædicans oportunè importunè.* Tantaque eum verbi gra-
Sermonis vis. tiâ, * & dulcedine ſermonis virtus Spiritus 71.
Sancti donauerat, vt non modo è vicinis, verum è longinquis, & à ſe valde ſemotis partibus, ad eum populi concurrerent, ac de poteſtate, faucibuſque Diaboli, ſe erui atque in
Populorum conuerſio, & Baptiſmus: regnum Chriſti, gremiumque Sanctæ Eccleſiæ, per baptiſmi gratiam transferri gauderent; Idolorumque cultum, nec non profanum eorum obſeruationis ritum, cum authoribus eorum, reſpuentes, ita olim ſibi veneranda templa terræ coæquarent, vt puluerem eorum, veluti immunditiam, deteſtantes, per diuerſa
Arduennæ in primis: diſpergerent. Omnem namque * Arduen- 72.
nam, hiſce cultibus hactenus * mancipatam, 73.
in breui ſacrilegâ ſeruitute liberatam, famulitio Do-

tio Domini ſubiugauit. Si qui autem, faceſſente generali Idolorum cultu, ſupereſſent, qui more ſacrilego, aut pulueri eorum reuerentiam haberent, vel cætera huiuſmodi obſeruari debere, vſu nefando putarent: hos ad ſe dedu-
74. ctos triennij * pœnitentiâ plectebat. Sicque præliator Domini, ſtrenuè aduerſarias inſequendo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longè lateque amplia-
75. 76. uit; vt in Taxandriâ, * & Bracbante, * eorum detegendo inſidias, eos penitus annullaret; effigieſque eorum, populi Chriſti gratiâ illuminati confringerent, penituſque abdicarent. Ab his autem, à quibus Deorum, immò Dæmoniorum templa ſubuertebantur, Chriſto Domino, præclara in honore Sanctorum
77. Martyrum templa, * per Sanctum HVBERTVM conſtruebantur, & honorabantur. Sic itaque vir Domini, circumquaque Chriſti prædicando myſteria, populos ab altâ cæcitate leuatos, lumine ſcientiæ reddidit conſpicuos, vt de eis veraciſſimè dici poſſet, *Populus, qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux orta*
78. *eſt eis*, Regnoque Francorum * à DEO donatus lucerna luminis, ei ſuperadderet ornamenta ſalutis.

eum & Taxā-driæ & Brabantiæ.

Matt. 4. 16. Iſa. 9. 2.

CAPVT V.

DE MVLIERE, CVIVS MANVS, propter inhonorationem diei Dominicæ, ſunt contracta: & per orationem eiuſdem Sanctiſſimi viri, priſtinæ ſanitati reſtituta.

Gregem ſuũ Paſtor bonus viſit.

INTEREA dum ſacratiſſimus Domini famulus, curam gregis gerens, parochiamque ſuam circuiens, ouilis ſibi commiſſi curam gereret, ne qua luporum verſutia in eâ aditum inueniret: & in villam, cui Viuoch * vocabu- 79.
lum eſt, deueniſſet, & ſecunda Dominica temporis quadrageſimalis adeſſet: mulieris cuiuſdam pulſatus eſt neceſſitate, vt & cum quantâ reuerentiâ dies Reſurrectionis Dominicæ coli debeat Dominus oſtenderet; & cuius ſanctitatis Præſul iſdem eſſet, declararet. Nam cum iam dicta mulier, poſthabitâ Dominici diei reuerentiâ, panifico, quanquam iuſſa, deſeruiret miniſterio; manus illæ, quæ ſacram ſolennitatem, ob ſui inſolentiam, temerare tentauerant, ſubitò obriguere, areſcentibuſque à ſanguinis humectatione, venis, ac neruis ſiccitate contractis, adeo ſtupidæ ſunt redditæ,

Mulieris diei Dominicæ ſanctitatem negligentis.

manus obrigeſcunt.

ditæ, vt vngues eius palmis ambabus viderentur infixi. Quæ tantâ neceſſitate aſtricta, vnum ſibi ſolummodo reſtare remedium credidit, vt virum Dei adiens, cuiuſmodi vrgeretur neceſſitate, exponeret; atque eas, quas ſibi temeritas abſtulerat, per eius orationem, ſibi reddi manus flagitaret. Neque ſpes eam fefellit. Nam exeunti viro Dei ab Eccleſiâ obuia mulier, ad pedes proruit, quæ eam vrgeret neceſſitas, expoſuit, ſubſidiumque, quo ab eo poſſet erui, poſtulauit. Cui vir Domini, Vade, inquit, & deinceps à tali præſumptione abſtineto, & emendationem tuam ſanitas conſequetur. Cuius promiſſionem non Dominus in longum diſtulit, ſed ſtatim opere compleuit. Nam manus illius dudum pallido perfuſæ colore, in genuinum ſunt reuocatæ repentè, ſiccitaſque peregrina ſoſpitati ceſſit. Et receptâ ſanitate priſtinâ, Creatori omnium benedixit, atque DEI famulo pro ſe oranti, gratias reddidit.

S. HVBERTVS rogatus, reſtituit.

CAPVT VI.

DE PLVVIA DIV TERRIS NEGATÂ, & per eius orationem mirabiliter redditâ.

HVIC mirando operi ſucceſſit aliud, veterrimis Heliæ atque Heliſei miraculis conferen-

Moſam propè areſactum

ferendum. Nam cum operi cuidam in vico Gabelio inſtaret, atque ſiccitate ſui, fluuius Moſa curſum nauibus denegaret, vt pote tempore Autumni inſtante, quo permaximè ſolent fluuiales aquæ detrimenta ſentire: difficultate ſibi operis cœpti nunciatâ, primo paululum mœroris concepit, ſed deinceps in omnipotentiâ diuinâ confiſus, diſcipulis ait: Noſtiſne, quiſnam ille fuerit, qui tribus ſemis annis, clauſos cœlos verbo aperuerit, aridumque aërem humectauerit, ac terram diu negatâ prole fœcundauerit? Tunc vnus Diſcipulorum ſe bene noſſe reſpondit, Heliamque id feciſſe confeſſus eſt. Ait vir Domini. Equidem ipſum & nos Dominum colimus, ipſiuſque virtus, quæ in veteribus potentialiter emicuit, nequaquam in noſtro tempore, vetuſtate aut impotentiâ emarcuit. Ideoque nos ieiunio, atque orationibus eius omnipotentiam pulſemus, & eius miſericordiæ, quæ ſibi fuerint viſa de his agenda, relinquamus. Igitur mox vt poplitibus curuatis, orationem fudit, cœli ſerenitas tetrâ caligine obducitur, coactoque in nubes aëre, ſenſim pluuia cæpit demitti. Poſt verò, paulatim, & per incrementa gliſcendo, in tantam nimborum excreuit magnitudinem, quoadvſque fluuius, qui dudum etiam bidentibus tranſmeabilis erat, ripas alueì ſui, ad ſummum vſque compleret, voluntatique ſerui Dei, adeo facultatem præberet, vt opus

3. Reg 17. 1. & 18. 45.

Ieiunans, & orans

aquis ditat.

vt opus quod cæperat: abſque vllius rei difficultate lætus perficeret.

CAPVT VII.

DE MVLIERE A DAEMONIO LIBERATA.

80. ALIO itidem tempore, cum ieiunium * tri-
81. duanum, quod more * ſanctæ Eccleſiæ vniuerſaliter celebratur, & Græco vocabulo *Litaniæ*; Latinè vero *Rogationes* nominatur, inſtaret, glorioſus Domini Pontifex, iuxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, per Oppida & Caſtella cepit diſcurrere, ſemenque verbi Dei in agro cordis audientium ſeminare. Venienſque Traiectum, iuxta conſuetudinem, cum clericis, populique agmine, & victorioſiſſimis Saluatoris inſignibus, crucis videlicet vexillis, nec non & Sanctorum pijs reliquijs, ab Oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, vt Dominum tantò precaretur ambitioſius, quanto id faceret humilius. Cum igitur ſolitò verbum Domini ſeminator egregius, in agro cordis humani iaceret, intonando ſalubriter, Si me, inquiens, ſuperni Iudicis præconem attentâ cordis aure audieritis, & ea, quæ vobis loquor authore Deo, ſupernâque

Rogationum tempore, de more

vicina loca,

cum ſacrâ pompâ,

agroſque obit;

& concionatur.

que gratiâ adminiſtrante, Sanctorum operum executione complcueritis; nulli dubium, quin æternæ patriæ hæreditatem ſorte fœliciſſimâ, mecum adepturi ſitis; repentè inuidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditus, volucrum more, rapere aut certè ei zizania ſolet interſerere: quantum ſibi ea, quæ à ſeruo Dei gerebantur, diſplicerent, coactus eſt inuidiâ cogente, monſtrare. Nam ſubitò vas olim ſibi appetibile, mulierem ſcilicet, per præuaricationem primam, amiciſſimam, ingreſſus, magnis, inconditiſque vocibus cepit perſtrepere, & ſilentium, quo verbum Dei audiebatur, ſui importunitate clamoris perturbare. Hâc itaque vociferatione tetricâ vir Dei auditâ, & cognitâ, ad ſe quidem decurrenti, primo ſignum crucis obiecit, deinde * alapam eidem impreſſit, atque ſilentium impoſuit: Statimque mulier in terram corruit, ita vt crederetur exanimis. Sed cum diuinitus iaceret, ab ore eius quædam ſanies diu profluxit, atque poſthæc Dæmone caruit.

Inuidet Diabolus, mulieremq; inſidens clamore concionem turbat.

Eum HVBERTVS Crucis ſigno & alapâ pellit.

82.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE EO, QVOD IGNEIS ACIE-
83. *bus viſis, diem extremum vitæ* ſuæ proxi-*
mum eſſe prædixit.

INDIDEM autem Domini famulo diſceden-
84. te, & in Villam cui Haimala * nomen eſt,
adueniente; cum iam ſolis iubàr terras deſe-
reret, atque ſui receſſu vmbris tellurem obdu-
ceret; artus diutino labore defeſſos voluit re-
leuare lectulo ſuperpoſitos. Cum ecce quidam
eius puerorum, aforis venientes, nunciant,
cœli faciem à ſolito mutatam, ignearumque Acies igneæ in cœlo viſæ:
85. acierum * rubore perfuſam. Quod ille audiens,
intima domus liquit, acieſque illas diu conſi-
derauit, & alta ſuſpiria trahens dixit. En ſignis
86. euidentibus ruinam * mundi iam iamque im-
minere elementa teſtantur, diemque extremi è quibus HVBERTVS extremum imminere Iudicium ominatur.
examinis ea etiam quæ voce carent, proloquun-
tur. O beatum illum, quem tantum examen
non reppererit imparatum, & qui, conſcien-
tiâ ſe defendente, ſecurus operietur illum
vltimum maximumque con-
uentum.

CAPVT IX.

DE DOMO ILLIVS, CASVALI incendio flagrante, eius præſentiâ, & oratione, liberatâ.

Incendium domi ſuæ ortum

HIs dictis, alij adſunt nuncij, qui dicerent, domum illius incendio conflagrare. Quo audito, vir Domini concitè illuc pergit, obicemq; ſe igni intrepidus oppoſuit, dicendo: Si diuinæ * voluntatis eſt, vt hoc cremandus 87.
occumbam incendio, in poteſtate eius, cui nemo mortalium reſiſtere poteſt fore non ambigo. Eleuatiſque manibus ſignum * crucis inie- 88.
cit, Dominumque ſibi adiutorem fieri inuocauit, canendo; *Deus * in adiutorium meum intende*: & reliqua. Mirumque in modum ignis ille 89.
permaximus, qui aduenienti Sacerdoti, aditum oſtij, flammas vomendo, negauerat; repentè, eius ſuffragantibus meritis, vires perdidit, ſubitoque in ſoporem conuerſus, nil detrimenti, aut læſionis eidem ædi reliquit. Tunc vir Dei addidit: Cernitis, inquit, quod inuidus ille totius bonitatis, qui hodie auditorio noſtro perturbationem excitauit; nunc nos nec pauliſper quieti indulgere ſinit. His dictis officium
* Completorij cecinimus, cubitumque ſeceſſimus. 90.

S HVBERTVS, Crucis ſigno, *Pſal. 69. 2.* & oratione obiectâ, ſopit.

CAPVT

CAPVT X.

DE SVORVM NAVFRAGOSA PEriclitatione famulorum, eorumque per interceſſionem eius, liberatione.

POST hæc, cum opus Apoſtolis familiare, id eſt, capturam piſcium, in prædio quodam * Niuiella cognominato, conſtrueret; & ipſe cum cæteris eidem operi inſtaret, ſudeſque cum multâ vi, vtpote ſilicum denſitate, & duritiâ obſtante infigerentur; vir Domini ad momentum ſuper vnam earum, manu ſuperpoſitâ, ſuſtentari voluit. Vnus autem famulorum toto niſu ictum eidem ſtipiti iam librauerat; cuius impetum retinere non valens, manui illius illiſit, digitoſque confregit. Talique læſurâ ſuſceptâ, domum ſub celeritate rediit. In craſtinum verò, eidem operi curam nobis impendere, atque inſtare præcepit. Cuius dicto parentes, conſcensâ naui adnauigauimus, eaſdem fixuri ſudes. Sed paululum à terrâ ſecretis, mox violentia venti, nimborumque procella ſeſe obuiam tulit, valideque nauim ſui impetus violentiâ contorſit; intimoque gurgiti demerſit, omneſque, qui in eâdem ad-

911.

Piſcationi intereſt S. HVBERT.

Cui fortuitò digiti conquaſſantur.

Poſtridie eius familia ibidem,

ventorum procellâ

naufragium facit. Sed S. HVBERTO orante, *Mar. 6. 48. Matt. 8. 26.*

uecti fueramus naui, ilico profunditas miſerabiliter obſorbuit pelagi. Sed pius Sacerdos, noſtri periculum naufragij audiens, ægrè tulit, ſuſpirijſq; ingemuit, lacrymis oculos atque ora rigauit, Dominumque his vocibus exorauit: Tu Domine IESV CHRISTE, cui calcanti mare ſicca dorſa præbuit, æſtumque ſuum tuo verbo coërcuit, nimbus etiam fremens tumorem depoſuit, atque ſpiritus violentia tui imperio oris ceſſit; quæſo, ſuccurre famulis tuis, naufragia patientibus, ſaluenturque tuâ potentiâ quos iam iamque obſorbuêre procelloſa diſcrimina. Mihi quoque, qui hæc ſcripſi, in eodem naufragio tale quid accidit. Cum eiuſdem periculi particeps, ſub aquarum mole preſſus, huc illucque aquæ violentiâ voluerer, pars tunicæ meæ palo cuidam inhæſit, libertatemque exeundi bis terque conanti denegauit. Subitoque ad memetipſum conuerſus, dixi: Succurrat mihi, quæſo, per interceſſionem Patris mei, virtus tua, Deus, cuius manus formauit mare, & aridam. His dictis, ab impactione illâ ſum ſolutus, & cum omnibus condiſcipulis meis, à profunditate illâ pelagi liberatus, atque luci redditus. Sacerdos interea Domini, grauiter accepti vulneris doloribus cruciabatur, ita, vt nec ſomni quiddam, dolore inſtante, percipere permitteretur, tribuſque menſibus, ex digitis eius tabo fluente, acerrimo cruciatu vexaretur. Nec tamen dolor,

huius Hiſtoriæ ſcriptor, grauius periclitans, Sanctique Patris merita precibus interponens; cum Condiſcipulis liberatur. At ipſe Sanctus, dolore nequicquam cruciante,

ſor, quamquam acerrimus, eius impediebat intentionem, ſed magis magiſque in laudibus Domini, atque pſalmorum ſeſe occupabat de- orationes,
92. cantantione, illum pœnitentiæ * pſalmum, crebris iterationibus, lacrymoſiſque rugitibus, humiliter canendo, *Miſerere* inquiens, *mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* & Pſalmorum cantus multiplicat. *Pſal.50.3.*

CAPVT XI.

QVALITER PER QVIETEM, Angelo ſibi nunciante, exceſſum ſuum cognouerit, & quòd, quanto ſe viciniorem morti didicit, tanto promptiorem, deuotioremque diuinis obſequiis ſe amplius mancipauerit, ac ſuperni Iudicis optutibus præſentandum exhibuerit.

VNA autem noctium, dum tribulationis magnitudine preſſus, in ſoporem membra ſoluiſſet, quidam ei cælicus nuncius aſtitiſſe viſus eſt, & talia protuliſſe. *In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, & exaudiui te.* Et Afflictum HVBERTVM ſolatur Angelus, *Pſal.80 8.*
93. ſimul hæc dicendo, oſtendit illi aulam * pergrandem, nouitate, atque pulcritudine præſtantem, & ait: Multis equidem manſionibus pollet domus Patris mei, è quibus omnibus iſta delecta eſt tuæ habitationi, vt cedat tibi perpetua & Aulam cæleſtem ei paratam oſtendit;

excessumque prædicit. petuâ hæreditate. Exceſſum vero eius in hæc verba prædixit: Poſt anni vertentis circulum, ſoluam tribulationis tuæ vinculum, & *eripiam* Pſal.49.15. *te, & magnificabis me.* Hoc vir Domini oraculo percepto, altâ mentis indagatione conſiderabat viſionis magnitudinem, vimque dictorum. Viſionem HVBERTVS conſiderat, quibuſdam ſuis indicat. Sed & tempus, & horam ſollicitè corde notabat, quo ſibi hæc delata ſuſceperat. Viſionem autem eandem quibuſdam diſcipulorum ſuorum tunc tempôris enarrare curauit. Sui autem non immemor, quo propinquiorem ſui Intentius pijs operibus dat operam. cognouit reſolutionem, eo ſeruituti diuinæ reddidit promptiorem: inſtabatque in orationibus attentius, in ieiunijs enixius, in eleemoſynis profuſius, per ſpatium prænunciati ſibi anni totius.

CAPVT XII.

QVALITER LOCVM SEPVLTVRAE ſua, in Baſilicâ beati Petri principis Apoſtolorum, iuxta altare beati Albini Confeſſoris Chriſti, præſcius futurorum, deſignauerit, qualiterque, inſtante vocationis ſuæ tempore, rogatu quorumdam nobilium, quandam Baſilicam Domino dedicaturus, Bracbantum perrexerit, indeque acerrimè febris ardore correptus, ad domum propriam remeauerit.

Igitur

IGITVR cum ſciret imminere tempus, quo S.HVBERTVS imminentem mortem ſuam
anima eius ergaſtulo corporis reſoluenda fo- ſanctis commendat:
94. ret, diſcurrens per memorias * ſanctorum,
& loca orationum, per eorum interceſſionem
Domino commendabat ſuam reſolutionem.
Nam veniens ante ſepulcrum beati Lamberti, ac in primis S.Lamberto,
in Baſilicam, quam ipſe condiderat, & pia oſſa
inibi terræ mandauerat; orationi diutiſſimè in-
cubuit, ſolitoque fonte lacrymarum genas riga-
uit, aramque deoſculans, fratribus circumſtan-
tibus ſemet humiliter commendauit. Progre-
dienſque inde, Baſilicam, quam ipſe ſub honore
beati Petri Principis Apoſtolorum, Domino S.Petro,
dedicauerat, oraturus adijt, inde etiam ante al-
tare, quod in honore beati Albini, in eâdem ba- S.Albino:
ſilicâ, Domino conſecrauerat, diutius curuatis
genibus, orationem profudit. Itaque ab oratio-
ne ſurgens dixit: *In memoriâ æternâ erit iuſtus*: *Pſal.* 111.7.
& reliqua. Conuerſuſque ad parietem, & pro- ad cuius Altare, ſepulcro ſuo locũ deſignat:
tentis per eum brachijs, locum ſepulcri ſui per-
menſus ait: Hic defoſsâ humo locus meæ ſepul-
turæ paretur; nam iſtud corpus miſerrimum
iſtic collocari diſpoſui; precorque, vt meæ mi-
grationi veſtris precibus adminiculemini. In-
ſtat enim tempus, quo hæc torpentia membra
ſpiritus relinquat, Iudicique ſuo præſentandus quod paulò
occurrat. Non multum igitur temporis inter- poſt eius Diſcipuli parant:
fluxit, quo id, iuxta quod vir Dei ſuper ſepultu-
ræ ſuæ celebratione, more præſago actitandum & inter eos,
fore diſpoſuerat, nos fideliſſimi, ac deuotiſſimi huius Hiſtoriæ ſcriptor.

 eius

eius famuli flebiliter executi ſumus. Nam triginta dierum ſpatio euoluto, ſpiritu eius in aſtra ab Angelis fœliciter euecto, ſacrum corpus illius ad eundem, tumulandum aduoximus locum.

Vocatus, in Brabantiam proficiſcitur;

Per idem vero tempus, licet vocationis ſuæ haud procul vicinus, rogatu tamen quorumdam illuſtrium virorum, Bracbantum perexit, baſilicam nouo opere conſtructam Domino dedicaturus, Cumque quò precabatur, vt pote nomen laudemque Domini propagaturus, lætabundus aduenisſet, & domum illam, ſicuti petebatur, ſanctificaturus eſſet, diſcipulorum quidam, Officio præpoſitus, eius voluntatem, atque poſſibilitatem requirere ſtuduit, dicendo: Vis ne, Pater, longè protrahi Officij moras? anne ſuccingi? At ille, cuius cor perfectionem ſemper deſiderabat, Nihil, inquit, remaneat perfectionis, quin, prout vales, & moroſè, & cum integritate cuncta compleantur.

vbi magnâ reuerentiâ,

Cœpto ergo Officio inſiſtens, adiunctis ſibi Presbyteris, * Diaconiſque, nec non omni 95.
Eccleſiæ gradu, cum magno illud honore & reuerentiâ, ſicuti & reuera idem Officium poſtulat, ad finem vſque perduxit, domumque

Baſilicam ſolemni ritu

illam, tam in hoſtiarum * oblatione, quam & 96.
Sacerdotali benedictione, nec non incenſi ſuper aram thurificatione, acceptabilem Domino prorſus reddidit.

DEO dedicat,

Sciens autem, illud potiſſimum amplecti à Domino templum, quod non latomorum diligilitiâ compactum, aut cœmen-

cœmentariorum arte leuigatum, pictorumue diligentiâ comptum: ſed illud potius, quod virtutum exercitijs eſt conſpicuum, de quo ipſe dixit, *Qui diligit me diligetur à Patre meo,* Iohan 14. 21. *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniam, &* 23. 2.Cor.6.16. *manſionem apud eum faciam*; & de quo per Prophetam dicitur: *Inhabitabo in eis, & inambulabo*; Leuit.26.12. & de quo Apoſtolus; *Templum enim Domini ſanctum eſt, quod eſtis vos*, 1.Cor.3.17. & item: *Corpora* 1.Cor.6.19. *veſtra templum ſunt Spiritus Sancti*; & multa his ſimilia: admonendo, ſermonemque exhortationis ab horâ tertiâ vſque in horam ſextam & longam exhortationem addit, pertrahendo, ſatagebat verbo ſuæ prædicationis, parare in cordibus credentium, Domino templum decoris, dicens, cum Ioanne: *Parate* Matt. 33. *viam Domino, rectas facite ſemitas eius.* Itemque: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim* Matt.3 2. *regnum cœlorum.* Admonebat etiam vnumquemque attendere mortis vicinitatem, & mortalium curſum labilem, & conſilium ſalubre ſuggerebat dicendo: Quiſquis veſtrum, ô chariſſimi, atque amantiſſimi filij, criminis cuiuſcumque ſe ſentit perpetratione maculatum, atque foueâ maioris peccati abſorptum, cito ſalubre medicamentum ſuo ſuperponat vulneri, dum Iudex manum miſericordiæ porrigit pœnitenti. En patet, dum aduiuitur, ianua miſericordiæ, quæ poſt mortem obſtruetur, ſolâ patente, quæ contemptores, Præceptorumque Dominicorum deſertores, punien-

F 2 dos

dos ſuſcipiat, portâ Gehennæ. Altâ quiſque conſideratione quid fuerit, quid ſit, quiduc poſt modicum futurum ſit perpendat, & in quo ſe à præceptis Domini exorbitaſſe perſpexerit, digna pœnitentiæ opera faciendo, diuinitatem ſibi conciliet. Nam & mihi non mediocris inſiſtit angor, reminiſcenti, miniſterij mei iniuncti quanta debeat eſſe perfectio, & è contra quam ſit contemtibilis vitæ meæ inofficioſa incorrectio. Ecce Iudicis mei, iam iamque conſidero à nuptijs reditum, cum tamen mihi deſint lampades oppletæ bonorum operum perfectione, caritatiſque luce irradiatæ, quibus eius terribili, atque ſplendifluo dignè valeam occurrere aduentui. En rationem poſiturus de talentis redit: mihique timeo dici
Luc.16.2. quod ſeruus negligens audiuit: *Redde rationem*
Matt.25.27. *villicationis tuæ.* Itemque, *Serue male, & piger, oportuit te pecuniam meam committere nummularijs, vel ad menſam, & ego veniens, recepiſſem vtique quod meum eſt, cum vſuris.* Gregis mei te poſui Paſtorem, exercituſque Eccleſiaſtici Ducem. Lactis eorum vbertate famem, lanarumque tegmine frigoris conſueuiſti propellere algorem. Præſentes ergo neceſſe eſt eorum ſaluationem, quorum te propoſui Præſulem. Perpendite, quæſo, quod mihi reſponſum, quæue reſtet excuſatio coram Iudice tanto, cuius aduentum comitabuntur Angelorum, Archangelorumque agmina, Sanctorumque ſpirituum

ſpirituum præclaræ phalanges. In cuius aduentu *cœlum vt liber plicabitur*, *terra ignis ardore concremabitur*, iniuſtiſque pereuntibus, iuſtorum chorus miſericorditer, ac ſublimiter ſe à Domino coronatum gratulabitur. Nempe, ſi qui ex vobis fuerint inuenti digni cœtui illi cœleſti connumerari, hos Iudici meo præſentaturus dicam. En, Domine, iſti ſunt, qui, me lituo verbi perſonante, in procinctu fidei, contra aduerſarias virtutes, tui nominis amore ſe armauêre, atque triumphantes, tibi victorioſiſſimo Domino, per quem vincere, quiuêre, coronas ſuæ reportant victoriæ. Tunc, quiqui illi fuerint, læte ſuos offerent Chriſto venienti manipulos, mecumque illâ gratulatoriâ honorabuntur ſententiâ, quâ dicitur: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Et iterum *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* In quod regnum ille vos inducat, qui pro vobis ſanguinem ſuum fudit, & vt vos ad cœlum leuaret, terrena petiuit. Cuius vos miſericordiæ hodie commendo, vt quia hactenus, illo opem ferente, vos prout potui rexi, ab eo deinceps regamini, & fœliciter coronandi, in paradiſi amœnitates inducamini. His, & talibus adhortationibus, cœleſtis curiæ acerrimus, atque facundus orator, concionis ſuæ populos adhortatus eſt, intentoſque ad audienda

Iſa. 34. 4. 2 Pet. 3. 10.

Matt. 25. 21.

Matt. 25. 34.

[auditoribuſque benedicit.] cœlica iura reddidit, atque benedictionibus
* confirmauit. Explicitoque Officio, ad pran- 97.
dendum ſe, cum ſocijs ſuis, & diſcipulis vertit.
[Tum prandet.] Ingreſſus conuiuij domum, oratione ſuper
menſam fusâ epulas benedixit, Eulogiaſque
*omnibus dedit. Ipſe autem ad prandendum, 98.
[non tam cibi,] quaſi pranſurus diſcubuit; ſed cibo quidem
carnali paululum indulſit. Cum vero prande-
retur, oculis creberrimè ad aſtra ſurrectis, ſupe-
[quàm DEI memor.] rorum, inferorumque Creatorem, tam animi
intentione, quam verborum proſecutione, aſſi-
duè benedicere ſtuduit. Interea, die ad veſpe-
ram vergente, occaſuque Phœbeæ lampadis, te-
nebras vocante, vir Domini à menſâ ſurrexit,
[Prandio abſoluto,] iterque carpere delegit; cum ecce vnus* Ana- 99.
choritarum, duodecim iam habens in eodem
habitu annos, ſuggerendum ei arbitratus eſt,
vt paululum adhuc mero indulgeret. Sed ipſe
his illius precibus renitens, reſpondit: In re-
gno Domini te videre merear. Scito verò cer-
tiſſimè, nequaquam hodie me amplius hic po-
[nauigat, & & repentè] tui indulturum. His dictis, nauim * aſcendit, 100.
ab eodemque loco, ſecundo miliario ſecedit.
Exeunte autem eo de naui, protinus omne
[febri corripitur.] corpus eius frigore corripitur, & ſitis ardore
validè aduritur, & quieturo lectulus loco * de- 101.
[Eo quieſcente, oritur inter domeſticos rixa:] lecto aptatur. Sed dum altus ſopor feſſos illius
irrigat artus; inter eius pueros repentè inexo-
rabilis ſe diſcordia ingerit, ita vt enſibus di-
ſtrictis alterutram quiſque mortem peteret.

Et qui

Et qui citius poſſet, comparis ſui animam
ereptam ſuperis, dimittere gauderet inferis.
Sed hiſce perturbationibus, viro Domini ſo- quam excita-
pore ſoluto, protinus faceſſit omne litigium. tus ſedat.
102. Indidemque equo * conſcenſo, & vſus clien- Deinceps
103. tum ſuſtentatione, tandem domui * propriæ equitat, & noctu do-
inducitur, noctis tranſactâ non miminâ par- mum ſuam
te. Quo perueniens, conſuetis orationum attingit,
ferculis, lacrymarumque poculis reficitur,
ſanctique altaris cornua deoſculatur, & nimiâ vbi, creſcente
preſſus grauedine, lecto ſuperimponitur. Sic- morbo,
que à primâ feriâ vſque ad ſextam, eius febre
augmenta capiente, expers ſomni, ſolummo-
104. do ſemet ſolabatur, * decantione pſalterij.
Sed cum infuſus corpori dolor, nullo fine co- Sancto cre-
ërceretur, Sacerdos Domini, ſecundum A- ſcit animus,
poſtolum, quo amplius *infirmabatur, eo for-* 2.Cor.12.10.
tior reddebatur; & quo citius videbat ſe lucem
mortalium relicturum, eo indefeſſius à Do-
mino poſcebat auxilium, vt ſcilicet citius æ- & preces.
rumnis præſentis vitæ exemptus, inter-
eſſe mereretur Angelicis
ciuibus.

CAPVT XIII.

DE EO, QVOD CVIDAM DISCIpulorum ſuorum dixit, in eâdem, quâ quieſcebat, domo, hoſtis antiqui adeſſe præſentiam, & quod eius iuſſu, aſperſione aquæ benedictæ, ab eâdem domo eius ſint fugata machinamenta.

Morbo grauius cruciatum S. HVBERTVM Diabolus terrêre aggreditur: quem Sanctus ſacro cantu, *Pſal.* 90.

QVADAM autem nocte, cum eum flagellorum ardor amplius adureret, ſubitò inimica generi humano fraus Diaboli affuit, minaſque, & figuras ſibi competentes prætendit, & pueris illius dormientibus, vocibus beluinis frequenter increpuit. Sed Athleta Domini huic non parmam teretem obiecit, nec contum vibrauit, ſpiculumúe contorſit, ſed pſalmi vnius decantatione verſutiam eius perculit. Cantabat enim, *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi*, & reliqua. Tunc puerorum quendam aduocans, noctis horam requiſiuit, & quia media nox eſſet audiuit, atque adiecit: O vtinam tanta mora noctis iam ſubduceretur, & lux diurna noſtris ablata conſpectibus reueheretur. His etiam adiecit. Ne dubites, hâc in domo Sathanæ adeſſe præſentiam, qui, humani exitij auidus, diuini operis ſemper ſe inſidiatorem,

(cum rem puerorum vni indicaſſet)

torem, ac perſecutorem aſſiduis probat incurſibus. Cui puer inquit: Paſtorum optime, quorſum iſta proſequeris, cum certum ſit, cum tuæ virtuti obuiare non poſſe, noſque omnes tui præſentiâ ab incurſione eius ereptos, & ſaluatos, inſuper & multos eorum tartareis vocibus eiulantes, coram te adductos tuamque præſentiam ferre non valentes, pro tuis meritis ſanctis, ex diu obſeſſis corporibus abſtractos, & caligini æternæ damnatos? Et licet ſuâ ſubtiliſſimâ; ac ſagaciſſimâ calliditate vſus, aliquid tuæ Domino amabili innocentiæ impugnationis ingerere conatus fuerit; te tamen fidente in
illum, qui dixit, *Venit enim Princeps huius mun-* Io.14.30.
di, & in me non habet quicquam; nihil prorſus ſui iuris inuenit. Cui venerandus Pontifex, hæc, inquit, optimè locutus es, quoniam quæ corde optabas, ſermonis officio proſecutus es.
Cæterum iam nunc vade, aquaque Sacerdo- & aquâ luſtrali, benedictoque oleo,
tali conſecratione, ſale admixto, benedicta, &
ad effugandam inimici nequitiam, orationum
105. virtute imprægnata, liquorque * oliui itidem Apoſtolicâ authoritate benedictus huc deferatur.
106. Quorum aſpergine * atque liturâ, mox in fugam vertit.
ita effagabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, vt amplius nobis ſua non audeat inferre machinamenta. Quo peracto, ipſe conſueto orationum operi conſtanter inſiſtebat,
107. ſacrumq; officium * ſepteno numero dicatum, antequâ lux diurna fieret, Domino perſoluebat.

CAPVT

CAPVT XIIII.

DE TRANSITV EIVS, ET HIS, quæ in deceſſu, & erga exequias, ſepulturamque illius acta ſunt.

Aurorâ emicante, ſuis circumſtantibus, animam agens, eorum preces petit.

IAMQVE ſe aurora diei * ſextâ feriâ, paulu- 108.
lum decreſcentibus furuæ noctis tenebris, roſeo repræſentabat ſplendore, cum nos thorum eius circumambientes, vnaque nobiſcum egregius filius eius * Florebertus, præſto- 109.
labamur glorioſam ipſius migrationem. Conuerſus autem ſacer Pontifex, circumſtantibus ita proloqui cepit. Mei perdilecti, atque amantiſſimi filij, apud Chriſtum iam nunc pro meis interuenite fragilitatibus. Iam enim terminus irreuocabilis vitæ meæ adeſt, quo iubeor luteum hoc habitaculum linquere, & rationem ante Iudicem, actuum meorum poſiturus, apparere. Et quia me imparem tanto examini, obſiſtente meorum mole peccaminum, perſentio, vtpote cui exeunti vitiorum acies, triſteſque phalanges offenſionum occurrent; peto, precum veſtrarum clypeos opponite, & vt piam Chriſti maieſtatem propitiam habere merear, depoſcite. Hæc beato viro, iuxta quod ſcriptum eſt, *Iuſtus in principio*

Prou. 18. 17.

pio ſermonis accuſator eſt ſui, proloquente, perſentiens pallidæ mortis proximam iam eſſe præſentiam, manibus ad cœlum eleuátis, & veſte rugatâ, oculis à lacrymarum fonte ſiccatis,
110. dixit: Oppandite ori * velamen, quia depoſitum animæ, quod nunc vſque vaſe fragili retentum eſt, oportet tandem reſolui, atque ab eo liberum egredi.
111. Canebatque * ſymboli verba quo continentur fidei Sacramenta; dicendo, *Credo in* DEVM *Patrem omnipotentem*, & cætera; iterumque orationis Dominicæ verba ferendo, *Pater noſter, qui es in cœlis.* Inter quæ verba ſpiritum efflauit, Angeliciſque admixtus cœtibus, & euectus manibus, cœlum penetrauit, Sanctorum iungendus agminibus. Eius autem migratio intulit ſuperno conuentui gaudium: eis autem, qui eius conſortio eatenus fruiti fuerant, grauem, & pene interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, & Paſtoris ſe conquerentium deſtitutos opimâ præſentiâ: Monachorumque greges, ieiunijs pallida ora gerentes, incultoque habitu deſpectum mundi proteſtantes; ad viri Domini inferiatum exequias deducendas concurrere. Quamque piè, & ſanctè, Pontificis ſui vita decurrerit, ſedulum eorum officium, altaque deuotio teſtabatur. Sanè, eo ſpiritum Chriſto reddente, Euangelium Chriſti perlegitur, & eo perlecto, quæ
112. mortuis * debentur, piè officia ſepulturæ præſtantur.

Denique canens fidem profeſſus, inter orandú defungitur.

Hinc populi luctus,

Monachorú ad exequias concurſus.

Quæ celebrantur, lecto in eius morte Euangelio;

abluto, & inuoluto corpore, loculoque impoſito: qui Fura Leodium defertur. Concurrentium per iter, pompa:

Lacrymæ,

Querelæ, cum ſancti laudibus.

Cleri. & Populi Leodienſis occurſus;

ſacra pompa,

ſtantur. Etenim corpus eius ablutum lymphis, atque circumdatum triſtibus peplis, loculo ſuperponunt, atque elatum à loco eius obitus, qui vocatur *Fura*, Leodium transferunt, quæ loca à ſe differunt millibus * triginta. Sane 113.
per omne iter reuerſionis, piæ oues funebria, exuuiaſque ſui audientes deferri Paſtoris, ex omnibus villis, & locis confluentes, vltimum vale dicturi adueniunt. Omnis ætas, vterque ſexus, curuus arator, pannoſuſque bubulcus, dolorem lacrymis confeſſi, accedentes, atque cominus ſalutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant: Eheu quid nobis iam nunc reſtat ſalutis? en deſtituimur periclitantes benigniſſimo periculorum noſtrorum propulſatore, qui doloribus noſtris conſolator aderat, inopiæque miſerator, orphanorum altor, viduarum defenſor, doctrinæque cœleſtis eximius Doctor. Huius præſentiâ Diaboli fugabatur ſæuitia, ſæculi calcabatur pompa, & in vno iſto omnia nobis erant doctrinæ, atque operis ſancta emolumenta. Hiſce vocibus planctibuſque ſimiles iungebantur querimoniæ, quouſque ſupra ſcripto emenſo ſpatio, in locum deſtinatum Sancti oſſa aduexêre Præſulis. Cum autem prope eundem locum aduentarent, plebis multitudo, graduſque omnis Eccleſiaſticus, cum reuerendo habitu, obuiam ſanctis proceſsêre exequijs, ferentes crucis vexilla, Sanctorumque patrocinia,

nia, nec non candelabra lumine radiantia: ſed & aromata in Thymiamaterijs redolentia, pſallentes quæ moris eſt talibus officijs decantari carmina. Vt autem feretro viri Domini ſe iunxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, & luctum indixit, ita vt à fletu nemo poſſet temperare, ſed conquerebantur de ſui Paſtoris, dolore magiſtro dictante, intempeſtiuâ ſubtractione. O bone, inquiunt, Paſtor, necdum in viri perfectionem, animíque robur euaſimus, & iam tui fraudamur præſentiâ. Te doctore inſipientiæ locus non erat: te medicante, morbo cuiquam noſtris ſedibus animi aſpirare fas non erat. En quid nobis reſtat? niſi lacrymæ noſtræ ſolummodo, teſtes, & ſolatrices miſeriæ. Agnoſcimus noſtri degeneroſitatem animi, quâ præualente, caruimus tanto Paſtore miſerrimi. En tibi pro meritis iam redduntur honores; nos autem grex tuus, orbati patre proſtituimur cunctis diripientibus, velut inutiles oues. Sed petimus, vt tua interceſſio pia nos iuuet Chriſto adhærens; quæ nos cunctis bonis imbuit, terrâ conſiſtens. His, & ſimilibus dolori ſatisfacientes, Sanctiſſima membra in Beati Petri intulêre Baſilicam, quam ipſe beatus vir ſuâ conſtruxit munificentiâ. Ibique facibus accenſis, peruigilem noctem ducentes, Dauidicíſque canticis operam dantes, vſque quo Sol iubare ſuo poli, terræque faciem perfunderet, perſeuera-

Planctus,

Preces,

Vigiliæ,

Pſalmi. Sacri Corporis veſtitus. ſpecies.

uere pſallentes. Poſthæc autem, induunt eum, prout erat ſolitus indui diuino altari aſſiſtens, ſubuculâ ſcilicet lineâ, atque planetâ. Tanta autem vultui eius inerat pulchritudinis gratia, vt potior videretur, atque venuſtior mortuus, quam olim fuerat viuus. Quæ cum fierent, diſcipulique eius vultum ſibi dudum optabilem, atque amantiſſimum oculis perluſtrarent, internum amorem animi non ferentes, lacrymis teſtabantur, amicumque dolori luctum aſſumentes, hæc permixta ſingultibus verba reddebant: O columna, & tutamen, decuſque Eccleſiæ; ſed & noſtrarum animarum cuſtos egregie, tuam exoptatam, atque ſubtractam ſitimus præſentiam; & quia in præſenti noſtris profectibus inimicam, tui ſuſtinemus abſentiam, neque datur nobis ſuauiſſimam, ac mellifluam tuam audire eloquentiam; queſtus noſtros lacrymis reſtat ſolari vberrimis, atque pietatem tuam ſummiſſis obſecrare precibus, vt qui hactenus te, prauitatis noſtræ exigente miſeriâ, contemſimus docentem; te apud Dominum intercedente, mereamur videre faciem noſtri Iudicis propitiam, atque miſericordem. Omnes etiam aſtantes, genibus curuatis, ſummiſſiſque ceruicibus, plantis eius grata oſcula libant: & quia doctrinæ eius ſegnes executores fuerint, proclamant; ob idque ſibi indulgentiam dari ſuppliciter poſtulant. Deinde officia, prout res poſtulat, ſuper eum peragunt, cantio-

cantionemque aptam depromunt, odoramentiſque & lampadibus, cum omni honeſtate, vt res funebria poſtulat, præeuntibus loculo, quo ipſe prædixerat, humandus inducitur. Vt autem Diuinitas cunctis palam oſtenderet, ſemper apud ſe viuere, quem ab oculis hominum occuluerat terra, ſub arido ceſpite: locum ſepulchri eius tali dignata eſt miraculo venuſtare. Sepultura.

14. Virga namque ſuper * ſepulchrum eius inciſa eſt, quia ita res exigebat, contractior tamen quam vtilitas popoſcerat: ſed poſtea inuenta eſt duorum palmorum longitudine ſuperexcreuiſſe. Quam nos, ob ampliandam Chriſti gratiam, & ſancti viri perpetuam memoriam, ab eodem loco leuatam parieti inſeruimus conſeruandam. Poſthæc autem cœperunt Sancti viri reliquiæ virtutibus florere, locuſque eius ſepulturæ crebris miraculis enitêre. Nam creberrimè quidam inter diurnum nocturnumq; officium inibi peragentes, crebro ſe confeſſi ſunt, Angelicas voces exaudiſſe de tumulo: quas, vti humanæ moris eſt imbecillitati, audientes timore nimio perterriti, fugæ ſeſe credidêre, timoriſque magnitudinem mutatione loci declinauêre. Quod nos audientes, innumeras Domino perſoluimus grates, qui tali modo voluit commendare precioſam mortem ſui Præſulis; fidentes, quod eum altâ beatitudine donauerat, quem tantâ prærogatiuâ ſignorum commendabat.

Ea miraculo illuſtratur,

& deinceps pluribus.

Quin & vocibus Angelicis.

CAPVT

CAPVT XV.

QVALITER A KARLOMANNO glorioſo Rege, eiuſdem ſancti Viri corpus à loco primæ ſepulturæ ſit elatum, & in alio loco honorificè collocatum.

ANNO autem ſexto decimo fœliciſſimi eius exceſſus, vt vocis Saluatoris veridicentia probaretur, dicentis; *Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non ſciatur:* Paſtor Paſtorum vicarium ſuum, quanti apud ſe eſſet meriti voluit oſtendere, quatenus lux virtutum eius coram hominibus fulgeret, & populi perfruentes ſuauitate ſignorum, glorificarent Dominum patratorem tantorum operum. Et quia membrum, parſque magna erat Ciuitatis ſupernæ, noluit eum Dominus ſepoſitum deliteſcere, ſed cunctis eius ciuibus in exemplum proferri.

Mat. 10. 26.

Mat. 5. 16.

Karlomanno Rege, tertio * iam anno regni 115.
Francorum ſceptra regente, Æditui Baſilicæ, quâ ſancti viri HVBERTI membra tegebantur, detexêre, ſibimet mandatum fuiſſe cælitus: vti corporis beati viri * buſta indidem leuarentur. 116.
Nec ſoli illi talia ſibi referebant mandata diuinitus, ſed & aliæ quamplures perſonæ ſpectabiles,

Iubet DEVS, S. HVBERTI Corpus eleuari.

ſtabiles, & nobilitate animi conſtantes. Quique ad alterutrum ea quæ viritim viderant, conferentes, quæſitu opus eſſe dicebant, quod ſibi in talibus conſilium, quidue foret agendum. Et diu quaquauerſum potuêre, ſententiam trutinantes, ad id tandem conſilij peruenerunt, vt diuinitas ſuper his conſuleretur, & ſuper hac re eius voluntas, atque ſententia præſtolaretur.

Igitur ad amica ſibi ſubſidia ſe vertentes, orationi, atque ieiunio ſeſe triduano mancipauêre, vtque voluntatem ſuper hoc negotio Domini noſſe poſſent, ab eo totis niſibus popoſcêre. Ac tertio tandem ieiunij die inſtante, duos Conſulitur ſuper eâ re DEVS,
117. libros * ſuper altare depoſuêre, quorum vnus Sacratiſſimum Euangelij retinebat textum; alter verò benedictiones atque conſecrationes, adhibitis ſacris libris:
118. quibus * Miſſarum peragitur Sacramentum; ſcilicet vt à diuinis libris addiſcerent, quæ ſibi de his agenda forent. Reſeratum autem Euangelium hanc primum legenti ſententiam obtulit: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominum.* Liber etiam Sacramentorum in ſui apertione, hoc primum videnti obiecit. *Dirige viam famuli tui.* qui animum inquirentibus addunt. Luc. 1.30.

Quibus peractis, noctem ſuperuenientem vigiliarium celebratione, hymnorumque decantatione reddunt feſtiuam. Sed poſtquam croceæ luci noctis ceſſit pallor, ſoliſque ſplendori ſtellarum itidem fulgor; ſacerdotes qui- Sequitur Peruigilium, cum hymnis.

Poſt frequētes tumulum adeunt:

que, iunctis ſibi aliorum Eccliaſticorum graduum turmis, itemque populi, ac procerum Palatij agminibus, manè primo, Dominicâ illuceſcente, Baſilicam beati Petri adeunt, quo Sanctiſſima viri membra ſilicea * continebat 119.
vrna; ferentes in manibus vexilla Sacratiſſimæ crucis, & candelabra; ſed & diuerſa odoramentorum genera. Quo peruenientes, operculum à ſarcofago ſuſtulêre. Attamen grauitate pauorem cum reuerentiâ indicente: non audebant plenius locum ſepulturæ eius oculis viſitare. Putabant namque, more mortalium, illud Sacratiſſimum corpus à ſoliditatis compage ſeiunctum, & pulueri redditum.

& Sancti corpus incorruptum reperiunt.

Ne tamen, quia tantum opus cæperant, ſi relinquerent, imperfectionis argui poſſent; grauitate magiſtrâ, leniter quique acceſſerunt, & introſpicientes, glorioſum eius corpus nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione, atque putredine reppererunt; & pro tabo, atque putredine, quæ mos eſt mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more, illud ſenſerunt odorifico odore feruere. Caput autem illius oculis perluſtrantes, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile eſt) ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ, roſcidulis perfuſum guttulis: coronam * verò capillorum 120.
alienam prorſus ab omni læſione; Cæſariemque auctam, & prolixitate & pulchritudine. Neque enim candore ſenili albebat, ſed colo-

re &

re & viſione ſui, iuuenis caput repromittebat: ita vt quanquam de reſurrectionis redintegratione veraciſſimè à Saluatore dictum, & fideliter à fidelibus conſtet ſuſceptum, *Capillus de capite veſtro non peribit*; tamen & in hoc tempore, in huius ſancti viri corpore videretur impletum. *Luc. 21. 18.*

Quod videntes omnes, vnde vnde conuenerant, gaudio inæſtimabili, corde concepto, etiam vocibus conclamabant; O mundi fabricæ inæſtimabilis conditor, O fili DEI generis humani in initio mundi, ſociâ Patris virtute, factor, eiuſdemque in fine redemptor; quis ſenſus tuæ poterit inueſtigator eſſe potentiæ, atque enarrator miſericordiæ, qui in tuis ſeruientibus tanta dignaris virtutum miracula oſtendere? En hic, quem cernimus tantorum prærogatiua miraculorum pollere, nobiſcum educatus, nobiſque Doctor eſt præfectus. Nos ſegnes & tepidi, vitam duximus ſub torpenti negligentiâ, hic autem tuis mandatis obediens, per vitæ præſentis agones, triumphaleſque labores, à te coronatus exultat in gloriâ. **Hinc DEI & Sancti laudes:**

Ideo namque mentis impotes, vecordiâ hactenus ſumus hebetes, vt nullius noſtrum cogitationem talia tangerent, nec vt id fieri poſſet, confidentia armaret. Quid ergo in examinis vltimi die dicturi, quidue facturi ſumus, qui tanti viri conſortio, corpore quidem adhæſimus, virtutem autem minimè contigimus? **& propriæ ſocordiæ,**

Vnum ergo, & ſingulare remedium nobis reſtat, tibi omnia ſcienti actus noſtros impuros confiteri, veniamque ſummiſſis animæ ceruicibus deprecari. Quis namque tibi ſimilis in miſericordiâ, qui non ſolum animas ſeruorum tuorum in Paradiſi ſedibus collocans, æternam eis fœlicitatem attribuis; ſed etiam corpora eorum, naturæ quodammodo vim afferens, illibata cuſtodis?

peccatorumque confeſſio.

Cuius enim meriti apud te iſte nitet, cuius exuuiæ tanto honore, tantâ gratiâ pollent, vt præcluſæ terræ ventre vim, quodammodo ei intulerint, ne quod ſuum eſt ei liceret, ſcilicet ne caro de terrâ ſumpta terra fieret, ſed contra legem mortalium etiam terræ mandata, caro maneret. Ecce enim ad augmentandam tui nominis magnificentiam, non modo corporis integritas, vultuſque venuſtas, ſed & indumentorum eius conſeruata eſt pulchritudo, & quodammodo antiqua nouitas. Eodem vero die huiuſce rei fama circumquaque decurrit, & per cunctorum ora volitans, ad * Palatium 121.
vſque peruenit. Venit enim & illuc nuncius, referens, beatiſſimi viri corpus, in conditorio, quo olim exanime eſt conditum, nunc oculis viſentium ſe offerre, ab omni prorſus corruptelâ alienum; veſteſque illius, tanquam miraculi participes, nequaquam reperiri aliquâ deformitate degeneres. Quod poſtquam, famâ vulgante, per cunctorum aures diſſeminatum

Fama miraculum vulgat.

Itaque concurrit populus:

tum eſt, certatim tàm proximi, quàm & longinqui quique viri ſtuduerunt illuc aduentare, & miraculum, quod Chriſtus in ſerui ſui corpore monſtrauerat, intueri.

Vt autem in tanto miraculo Domini potentia potiſſimum magnificaretur, & virtus nota redderetur: pars permaxima Princeps clariſſimus, atque orthodoxus extitit Karlomannus. Qui, talibus auditis, regali ſolio exiluit, vnaque cum vxore, & primoribus Palatij ſui, ad viri Domini corpus peruidendum acceſſit. Et admirans potentiam Domini, virtutem eius magnificauit, miſericordiam collaudauit: &, quia in diebus ſuis talia oſtendere dignatus ſit, glorioſum nomen eius benedixit; nimioque gaudio permotus, inter pias laudes, & gratiarum actiones, gaudio eliciente, lacrymas fudit. Sed aduenientum itidem quiſque fecit: gaudebantque oſculari manus, & pedes beatiſſimi viri, quem Dominus honorare dignatus eſt tanti prærogatiuâ miraculi. Rex

etiam Karlomannus, cum vxore, & Primorib.

122. * interea memorabilis Karlomannus, vna cum optimatibus proceribuſque ſui Palatij, Sanctiſſimi viri membra, ſuauiſſimis, &, vt ita dixerim, inenarrabilibus odoribus redolentia, ſuſtulit ex vaſe ſepulchri, & loculo impoſuit, & cum magnâ lætitiâ atque honore, necnon hymnorum decantatione, ſed & candelabrorum lumine, aromatumque ſuauiſſimo odore,

qui Corpus Sancti eleuat

multo cum honore,

123. detulit ante ſacrum * altare, ibidemque maxi-

maximis etiam attributis munerib. eius cultui,

ma ei munera deuouit, atque attribuit: vaſa ſcilicet argentea, & pallia peregrino opere elaborata; nec non fundos, fundorumque reditus, itemque ſeruos prædiorumque incolas. Quæ ſingula teſtamento mandauit, & Eccleſiæ, in quâ ſanctum corpus intulit, in perpetuam hæreditatem delegauit, ſanctique viri oſſa nobiliter inibi collocauit. Per cuius interceſſionem, piamque interuentionem, tuam, Domine, ſupplices expoſcimus pietatem, vt qui noſtris exceſſibus grauamur, tuâ gratiſsimâ opitulatione, à reproborum numero ſecerni, iuſtiſsimâque damnatione liberari, atque in electorum conſortio mereamur connumerari; cui eſt honor, & imperium, poteſtas ſumma, pietas immenſa, bonitas inexhauſta, quem decet laus, & gloria per cuncta ſæculorum ſæcula.
Amen.

& Eccleſiæ: quæ & Teſtamenti tabulis firmauit.

EXPLICIT VITA SANCTISSIMI HVBERTI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Hæc

124. *HAEC* DE VITA, ET MIRABILIBUS B.* HVBERTI, *Antiſtitis Almi, & de his, quæ circa corpus eius, ob ipſius reuerentiam, & Domini immenſam gloriam prædicandam, priſcis temporibus celebrata fuit, quamquam infacundo, fideli tamen ſtylo, exarata, ad nos ſcripta commearunt. Abhinc autem, quomodo, qualiterue, monente, imò compellente Chriſti honore, & amore: creſcente etiam, & flagrante, erga diuiniſſimum cultum, pijſſimamque ſanctorum* DEI *venerationem, fidelium deuotione, ſub pijſſimo,* DEIQVE *amantiſſimo Ludouico Imperatore, in transferendo memorati, & ſæpe memorandi Sanctiſſimi viri corpore, ſit actum, breuiter, fideliterq; conſtat eſſe ſubnexum.*

INCIPIT TRANSLATIO CORPORIS EIVS, A LEODIO AD LOCVM ANDAGINVM.

CAPVT XVI.

QVALITER SVB PIISSIMO, ATque orthodoxo Ludouico Imperatore, eiuſdem ſancti viri corpus, à Walcando Venerabili Epiſcopo, à ſecundo loco ſepulturæ ſuæ ſit effoſſum, & in Monaſte-

Monaſterium Andagium tranſuectum, ibique honorificè reconditum.

Karolo Imperatori defuncto

ANNO ſiquidem octingenteſimo * tertio decimo fœliciſſimæ incarnationis Domini noſtri IESV CHRISTI, exempto rebus humanis famoſiſſimo, Imperatore Karolo, victorioſiſſimo, pijſſimo Auguſto, qui Regni Francorum ſpatia longè lateque dilatauit, & Chriſti gloriam in ſuis finibus ampliauit, inſuper & multarum gentium cæcitatem, quantâ potuit virtute perculit, ereptaſque profundis tenebris; lucis claritate conſpicuas reddidit; Ludouicus, glorioſus filius eius, ſceptra Imperialia ſibi debita, atque à Domino tradita, poſt eum fœliciter ſuſcepit. Decebat namque Chriſtum talem, ac tantum Imperio ſuo præficere Principem, in quo, non modò auiti ſpecimen luceret Imperij; ſed qui mentis nobilitate inſignis, prudentiâ ſingularis, moribuſque innocuus, cunctis ſibi ſubiectis fieret tot virtutum excellentiâ imitabilis. 12

ſuccedit Ludouicus filius,

pietatis Chriſtianæ amantiſſimus:

Hic ergo Imperij ſui primordia talibus, tantiſque dedicare inſtituit auſpicijs, vt incorrecta corrigerentur, bona collapſa erigerentur, & ſtantia ſolidarentur; & quiſque ordo in regno ſibi tradito, non paſſim leuitate iactatus à propriâ regulâ exorbitaret; ſed laicus ordo iuſtitiæ deſeruiret, atque armis pacem ſanctæ Eccleſiæ defenderet; monaſticus ordo quietem di-

qui omni Ordini profuit,

tem diligeret, orationi vacaret, & qui ſe ſeculi actibus ſecreuiſſet, eiſdem iterum nec voluntate, nec neceſſitate ſemet ſubderet. Epiſcopalis autem ordo vt his omnibus ſuperintenderet, ſcilicet vt ſi qui ab his aut voluntate, aut neceſſitate deuiarent, eorum ſollerti iudicio, prudentique conſilio ad lineam rectitudinis correcti redirent.

In quibus, vt reuera decet, cum multi imitatione digniſſimam talibus eius monitis præberent obtemperantiam; pars horum non minima exſtitit *VValcandus* venerandus Epiſcopus; Is enim partim diuinitatis inſtinctu, & mercedis intuitu; partim verò huius Sacratiſsimi Principis talibus monitionibus incitatus, ſtudebat magnopere, plebem ſibi à Domino traditam, bonorum operum exercitijs nobilitare, & de bonis ad meliora ſemper euehere; ac ſi quid in Epiſcopio ſuo reſediſſet emendatione dignum, totis niſibus in meliorem ſtatum recuperare.

ac in primis VValcando Epiſcopo.

Is VValcandus, præter alia,

Vnde inter cætera, quæ emendationem poſtulabant, obtulit ſe eius munificentiæ cella
126. * quædam, antiquo nomine vocata * Anda-
127. gium: quæ olim quidem inhabitatoribus ha-
128. bitus Canonici floruit, ſed per exceſſum temporis, vetuſtate * nimiâ collapſa & deficientibus habitatoribus, pene fuerat annullata. Hæc ergo ſe materiam quandam obtulit eius munificentiæ,

Andagio ſtudet,

ficentiæ, in quâ liberalitatis ſuæ laxatis habenis, quam vacuus tenacitatis eſſet, non inanibus verbis, ſed executione oſtendit operis.
quod reſtaurat, Namque hâc penè à fundamentis reſtauratâ, in melioremque ſtatum denuo renouatâ, poſthabitâ auaritiâ, nobiliter eius ſtatum compo-
ornat, poſuit, ædificijs honeſtis nobilitauit, & exceptis prædijs, quæ olim religioſorum virorum
ditat, largitate poſſedit, alia de Epiſcopio ſuo ſuperaddidit, incolaſque loci illius Monachos * eſ- 129.
& pro Clericis, Monáchos inducit; ſe voluit. Qui vt nullius rei inopes, indigentiæ manus darent, atque à propoſito ſancto deficerent, vt dictum eſt, ſtrenuè præuidit, & nobiliter ordinauit. Egit namque, vt quæ forent neceſſaria, nulla deeſſent, procurauitque, vt,
quos ſeriò diuino cultui vacare iubet. quia vſibus eorum neceſſaria ſubminiſtrabat, ipſi quoque quæ diuina forent, gratâ voluntate peragerent, & quantum ſibi poſſe Diuinitas conferret, nequaquam ab eo declinarent.

Huic rei Magiſtros attribuit. Adductis namque regularis vitæ optimis præceptoribus, Monaſticæ ordinem vitæ eos edocuit, & bonorum operum exercitijs operam dare, tam voce propriâ, quam & lectione diuinâ ſuaſit. Vnde & actum eſt, vt eius ſtu-
Inde fructus, dium non inani labore caſſaretur, ſed ſuper optimam terram iacto verbi ſemine, citius centuplicato verbi fœnore, fructus multiplicare-
concurrente multitudine, tur. Ceperunt igitur vndequaque in eundem locum religioſitatis cultores confluere, & maximè

130. ximè nobiles viri, ex Monaſterio * Sancti
Lamberti, Apoſtolicæ vitæ deſiderio accenſi,
illuc conuolare, viriliterque eiuſdem ordinis
vitam, morum actuumque probitate tenere.
Qui, poſtquam detritâ ſanctæ conuerſationis
viâ, quæ olim ſibi fuerunt aſpera, Chriſto du-
ctore, ceperunt fieri leuia; augmenta ſuæ per-
fectionis, & deuotionis requirentes, adierunt
præfatum venerabilem ac deuotum Antiſtitem
Walcandum, vti beatiſſimi HVBERTI Præ-
ſulis oſſa, eis à loco eius ſepulturæ, permitte-
ret transferre, & in cellulam ſuæ habitationis,
ob ſui conſolationem, & Confeſſoris Domini
ampliorem honorem, tranſportare.

etiam nobilium aſcetarum.

Pietati augendæ,

petunt hi S. HVBERTI Corpus.

Qui vocis eorum petitionem, vt pius Pater,
clementer exaudiuit, indignumque locum,
131. * quo ſancta membra iacebant, tanto Confeſ-
ſore iudicauit; ſed & piam petitionem eorum
impleri poſſe, atque debere non abnuit. Atta-
men, ne incautè, ac paſſim leuitatis errore di-
ctante, id feciſſe videretur, ferme tribus an-
nis eorum petitionem diſtulit. Sed cum ab
ipſis venerandis viris magnopere, vt id èis con-
cederet, exigeretur; prudenti conſilio cuncta
132. peragens, Adebaldum * venerabilem virum,
Metropolitem ſuum ſuper hâc re conſuluit.
Qui & ipſe in tanta re, conſilium ſuum, vt
decebat ſummæ humilitatis virum, reputans
minimum, ratum dùxit, vt vnà Chriſtianiſſi-
mum, atque orthodoxum Principem LV-

Probat petitionem VValcandus:

ſed petitum differt.

Andainenſibus vrgentibus,

Metropolitanum conſulit:

& vterque Ludouico Principi rem proponit.

DOVICVM Imperatorem adirent, & quæ eos pulſaret, fratrum petitio, pariter edicerent.

Hic porrò ad Concilium reijcit.

Qui & ipſe glorioſus, atque inuictus Auguſtus conſiderans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine ſui tranſcendentem, ad Concilium venerabile * Epiſcoporum, quod tunc temporis apud Aquaſ-Grani congregatum erat, ſtatuit conferendum; & quid de his eſſet agendum, à ſententiâ ſancti conuentus magnopere flagitandum. Iſdem autem venerabilis, ac prorſus Deo amabilis conuentus, conſideratis vndique partibus, ſcilicet qui, & quam rem peterent; ſed & reuerentiâ Domini Confeſſoris, ſanxerunt tot religioſorum virorum voto ſancti viri oſſa committi, & in Monaſterio ſupradicto, vbi religioſius honorarentur, collocari. Quorum ſententiæ ſæpe dictus Pontifex obedientiam præbuit, conſilio aſſenſit, & petentibus iam dictis viris venerandis, ſanctiſſimi viri HVBERTI corpus attribuit. 133.

Quod Andainentibus Corpus concedit.

Nam anno ordinationis ipſius * ſextodecimo, qui eſt Incarnationis Dominicæ octingenteſimus viceſimus quintus, vndecimo Kalendas Octobris, ad Beatiſſimi Confeſſoris ventum eſt vrnam, atque à Sacerdotibus cum maximâ reuerentiâ, à loco ſepulturæ eius effoſſa, indidemque cum religioſi populi, graduſque Eccleſiaſtici frequentiâ, in beati Lamberti 134.

Corpus ex Eccleſiâ S. Petri ad S. Lamberti transfertur.

berti Eccleſiam Sancti viri oſſa ſunt tranſuecta. Vbi triduo orationibus, & vigilijs proſecuta, pridie Kalendas Octobris, ad memoratum Monaſterium, cum loculo ſuo ſunt perlata; ibidemque Chriſto annuente, vt tanto Confeſſori competebat, ſunt decenter condita. inde poſt Orationes, & vigilias, Andainum, vbi decenter conditur.

Sed quoniam inſignia Chriſti miracula, quibus multifariam ſanctos ſuos glorificat, nullo modo ſunt occulenda, ſed magis magiſque, quantum fari mortalibus datur, ob eius laudem,
135. & gloriam propagandam, fideliter * præconanda: valde indecens, indignumque iudicauimus, vt eius magnificentiam, quæ noſtro ſæculo circa memorati ſancti viri corpus mirabiliter effulſit, ſilentio tegamus.

Verum ſicut ſæpe fati venerabilis Antiſtitis
136. * Walcandi, & quorundam aliorum religioſorum virorum veraci relatu didicimus: prorſus ab illâ corruptione, quæ ob præuaricationem primi parentis, iuſtiſſimè naturæ humanæ pœnaliter inflicta eſt, eiuſdem beatiſſimi viri, totius corporis compago, ita aliena, immuniſque eſt reperta, quemadmodum tempore Karlomanni legitur fuiſſe inuenta, & terræ mandata. Quod quantum ſub ipſius Principis tempore, erga præfati ſancti viri corpus, per tot elapſa ſæcula, incorruptè ſeruatum virtus diuina claruerit, ſi quis plenè noſſe deſiderat, ſeriem huius libelli paulo ſuperius repetendo, Ab omni corruptione liberum ſacrum Corpus, vt antè in primâ Eleuatione.

perſpicaciter legat, ibique quanto honore, quantaue illæſione, & incorruptione protectio diuina illud donauerit, rationabiliter comprehenſum, fideliterque annotatum perfacile colligere quibit.

Cum igitur nil detrimenti, nihilque corruptionis, in corporis eiuſdem ſancti viri primâ translatione, quæ facta eſt ſub memorato Principe, compertum fuiſſe didicerit; nullo modo quod in hâc ſecundâ quæ facta eſt à Walcando Præſule, ſub pijſſimo, Deoque amabili Ludouico Cæſare, ſæpe dicti ſancti viri corpus ſolidum, illæſumque, eâdem Chriſti gratia protegente, inueniri quiuerit, dubitabit. Ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatiſque luce perſpicuè perfuſus, nil niſi quod miretur, & vnde diuinæ potentiæ multiplices grates dignè perſoluat, inueniens, Dominum procul dubio *mirabilem*, glorioſumque ſicut *in* cæteris *Sanctis ſuis*; ita quoque in huius fideliſsimi ſeruuli ſui corpore, tot tantorumque donorum prærogatiuis, legi naturæ vim inferentibus, honorato, & glorificato, toto anniſu prædicandum, cernuis vocibus exclamabit.

Pſal. 67. 36.

Tempus interiectum à primâ, ad ſecundam Translationem.

Matt. 28. 20.

Interfluxit autem ſpatium temporis à primâ vſque ad ſecundam translationem, annorum circiter * ſeptuaginta quinque, regnante Domino noſtro IESV Chriſto, & pollicente *ſuis ſe vſque ad conſummationem ſæculi adfuturum* 137.

futurum fidelibus, eorumque agonibus miſericorditer opitulante, triumphoſque fœliciter, atque ineffabiliter remunerante, qui viuit cum DEO Patre, & regnat DEVS in vnitate Spiritus Sancti, per infinita ſæcula ſæculorum.
Amen.

EXPLICIT TRANSLATIO SANCTI HVBERTI A LEODIO AD LOCVM ANDAINVM.

Incipiunt

Incipiunt
*MIRACVLA 138.
EIVSDEM.

MIRACVLVM I.

CAECVS RELVMINATVS ANNO 825.

IN ipſo anno Translationis beati HVBERTI, cæcus quidam peregrinus, ſed fide deuotus, de longinquo venit ad Monaſterium, & ſecundum morem, hoſpitio ſuſceptus, reſpectum diuinæ miſericordiæ, per eius merita præſtolabatur. Eo per triduum in precibus perſiſtente, nox aduenit Dominica; fratribuſque ad vigilias ſurgentibus, & ipſe fideliter adeſſe maturauit. Exorſo autem à canente Reſponſorio duodecimo, repentè illuminatus, cœpit conclamare: Gratias DEO, & beato HVBERTO, quòd poſt laborem

rem tanti itineris, viſum metuiſſet recipere. Cumque fratres eum ad Sancti ſepulcrum, ſine ducatu currere viderent; laudibus diuinis inſtabant attentius, eiſque expletis, cecinerunt hymnum, *Te Deum laudamus.* Hoc vicini comperto, congratulabantur de præſentiâ tanti Præſulis, quem ſuis quoque neceſsitatibus, ſpecialiter affuturum ſperabant: vnde & conceptâ deuotione, frequentius ad eum confluebant.
139. Venerabilis verò * Alueus, qui tunc præerat Monaſterio, cæcum illuminatum Walcando Epiſcopo direxit, eumque gratanter exhilarauit, quia ſic diuinitus magnificaretur locus ſuæ conſtitutionis. Vnde & aſiſtentibus ſibi referens frequentius rei iocunditatem, apud ſe hominem retentum veſtibus nouis iuſsit indui, eique rerum ſufficientiam vſque ad obitum conſtituit.

MIRACVLVM II.

ITEM CAECVS VISV DONATVS.
Anno 827. circiter.

140. IN * Marlida quoque, quæ Villa erat Eccleſiaſticæ poſſeſsionis, fabrum quendam nomine Anglemarum, ob ſuæ artis ſtudium, contigit cæcari. Qui comitante fide, poſt

quinquennium à filio perductus ad Monaſterium, ne vacuus veniſſe videretur, duas * ferri fuſuras, ad limen Eccleſiæ ſecum detulit. 141.
Biduo autem retentus, in hoſpitio pauperum manſit, & tertiâ ductus ad Eccleſiam, longius orationem protraxit. Fratribus verò iam poſt meridiem * pauſantibus, filius eum hortari 142.
cœpit, vt ad hoſpitium rediret, & benedictionem * à fratribus præparatam, cum cæteris 143.
ſumeret. Ad quem pater conuerſus, homines eminus gradientes ſe dixit intueri, ſtructuramque ædificiorum mirari. Cui cum filius reſponderet, eum vera videre; ille verſus ad Orientem * contra Sancti ſepulcrum, voce 144.
quâ poterat cepit laudare Dominum, & tam * exaudibilem Patronum. Quo fratres audito, debitas pro miraculo, laudes exoluerunt, 145.
& homini ex conſulto ſtipem conſtituentes, vt vſibus Monaſterij in arte ſuâ deſeruiret, quamdiu ſuperfuit, detinuerunt.

MIRACVLVM III.

ABIGEVS EQVVM FVRTO SVBductum diuinitus cogitur reducere.

Anno fere eod.

QVIDAM de Villâ * Brattis, quæ proxima eſt Monaſterio, fratrum vſibus deſeruiebat, 146.

ſeruiebat, eiuſdemque ſeruitutis procuratio-nem ſollicitè agebat. Qui ad hoc ipſum exequendum, vt expeditior intereſſet foro rerum venalium, quod circa feſtum Sancti Pontificis agitur, equum ſuum ſine cuſtode emiſit ad paſtum. Expleto negotio, cum requiſitum non inueniret equum, familiare patroni ſui reclamauit patrocinium: cui etiam deuouit
147. * candelam, ſi eius meritis reciperet equum, quem perdiderat. Interea qui equum rapuerat, nullo modo ſyluam circumiacentem exire poterat, quam, vt ſibi videbatur, iam diu prætériſſe gaudebat. Facto manè, cum hebetato diuinitus ſenſu, tanto ſibi videretur ſecurior, quanto elongatior, repente in foro, quo ſubterfugerat, ſe poſitum recognouit, ibidemque hominem pro equo à ſe ablato, anxiantem offendit. Ille, viſo equo, iam lætior factus, cum rubore diuertere volentem inuaſit, & equum recipiens, cum gratiarum actione patrono ſuo votum exoluit.

MIRACVLVM IIII.

CONTRACTA MVLIER DIRIGITVR eod. fere tempore.

QVÆDAM mulier de Villâ Trodanâ, nobilis, ſed contracta; audiens famam vir-

tutum ſancti Pontificis, vt ad eius feſtum ab amicis perduceretur, obtinuit. Quæ vehiculo delata, & ad caput ſepulcri depoſita; circa horam tertiam reddita eſt ſoſpitati; & nullo iuuante, rediens ad propria, quoad vixit, in eâdem ſoſpitate permanſit.

MIRACVLVM V.

CLINICVS ERIGITVR.
circa idem temp.

ALIVS quidam, Otgarius nomine, adeo infirmitate premebatur, vt priuatus officio totius corporis, non ſolum ſtandi, vel ambulandi, ſed etiam ſedendi careret vſu. Qui ſuorum auxilio, gratiâ recuperandæ ſalutis, ad Monaſterium deuectus; dum ibi per biennium moraretur, nocte dominicâ conualuit, incolumitati integerrimæ reſtitutus. Cuius gratiæ ne videretur ingratus, poſtquam circumquaque * diſcurrens, ſancti gloriam cum 148.
laudibus prædicauit; reuerſus ad Eccleſiam, eius ſe deinceps * offertoriali ſeruitio 149.
mancipauit.

MIRA-

MIRACVLVM VI.

TEMPESTATVM IMMANITAS ſuperata. Anno 837.

ANNO igitur verbi incarnati octingenteſi-
mo triceſimo ſeptimo, Imperij autem
Ludouici viceſimo quinto, ordinationis
150. vero domni Walcandi Epiſcopi * viceſimo o-
ctauo, accidit, vt circumquaque deſæuiret fu-
ror diuinæ animaduerſionis, eiuſque furoris
pondus maximè incumberet viciniæ beati HV-
BERTI. Tanta enim imbrium inundauit e-
normitas, tanta ſæuæ tempeſtatis immanitas,
vt quæque ſata, aut radicitus euelleret, aut ad
ſolum vſque deprimeret; & ex periculo famis
mortem omnibus intentaret. Huiuſmodi pe-
ſtem offenſioni ſuæ reputantes, Sacerdotes
cum populis conferebant, & qualiter diuinæ
indignationi ſatisfacerent, ad inuicem conſu-
lebant. Tandem definito conſilio, hoc ſolum
crediderunt ſibi ſupereſſe remedium, vt ad
beati HVBERTI confugerent patrocinium:
ſi tamen liceret eis indifferenter eius adire
Monaſterium. Nam tunc temporis ſub vene-
151. rabili Abbate * Scuoldo, tanta in loco erat re-
ligionis reuerentia, vt quibuſque ſæcularibus

difficilis * eſſet ibi conueniendi licentia, nulluſqne ingrediendi aditus concederetur fœminis, niſi in annuali feſto ipſius Pontificis. 152.

Præmiſſi igitur cum precibus legati, periculum, quo premebantur, ſuggeſſerunt Abbati & fratribus. Et quia ſciebant conueniendi aditum difficillime concedendum, vt tandem concederetur, prætentâ generali neceſſitate expetierunt, addentes, ſe velle cum Reliquijs, * & Crucibus conuenire, & offenſam diuinæ indignationis, per interceſſionem eiuſdem Patroni, collatis muneribus, complacare. 153.

Audito periculo communi, Abbas & fratres cœperunt anguſtiari, ne vel infracto conſuetudinis vſu, arguerentur temeritatis; vel deeſſe viderentur tribulantium deuotioni, & iuſtæ petitioni. Tandem compulit inuitos caritatis affectus, vt fraternæ neceſſitati compaterentur, & ex communi conſultu, permiſsâ licentiâ veniendi, indixerunt & hoc ipſum fieri, cum grauitate, & reuerentiâ. Cumque huiuſmodi conſenſum legati ad eos, qui ſe præmiſerant, hilariter retuliſſent, de ſpe conſolationis conceptâ lætitiâ, omnes in commune iocundantes, Dominum laudabant.

Ergo ex condicto deuotionis, Sacerdotes vndequaque terni, aut quaterni, vel quini, prout erat eis conuenientia commeandi, multâ plebe ſexus vtriuſque comitante, certificatis diebus ad monaſterium, nudis pedibus, & ieiunantes,

iunantes, cum crucibus, atque oblationibus conuenerunt: fratres quoque cum debitâ deuotione, & reuerentiâ, venientibus obuiam proceſſerunt. Quibus Eccleſiam cum laudibus, ingreſſis, & ad ſepulcrum Sancti Pontificis, oblationibus depoſitis, poſt celebrationem Miſſarum, eiuſdem Patroni interceſſione, diuinæ conſolationis effectum, abſque vllâ dilatione, obtinuerunt.

Nam ilico radiante ſole, conquieuit inundatio imbrium, & longo poſt tempore, nullum partibus illis quælibet tempeſtas intulit damnum. Nec mora: Prouinciales tam celerem diuinæ propitiationis experientiam, meritis Beati HVBERTI reputantes, petierunt ſibi concedi, vt per ſingulos annos, certificatis diebus, pro neceſſitatibus ſuis multis, conuenirent; eâ nimirum conditione interpoſitâ, vt
154. quiſque * deferret ad deuotionis gratiam, prout eſſet illi facultatis copia. Cuius deuotionis conſuetudinem, ne quiſquam infirmare, vel minuere præſumeret, banno Impe-
155. riali, * & lege Synodali confirmata eſt.

MIRACV-

MIRACVLVM VII.

PVELLA CLINICA RESTITVTA.
Anno 838.

APVD fiſcum Cauiniacum, quidam Adelmoldus filiam habebat, quæ vſque ad quinquennium incolumis permanſerat. Sed cum quadam nocte obdormiſſet, facto manè adeò ſe inuenit debilem, vt omnimodo contracta, nuſquam ſe penitus mouere poſſet, & per triduum ſanguinem vomeret. Huius ſuæ infirmitatis octauo anno, prædictæ autem conſtitutionis * ſecundo, ex edicto Sacerdotum, præparabant ſe ad Monaſterium ituri, & vota quæ ſpoponderant, hilariter & deuotè reddituri. Eundem apparatum, vt erat debilis, puella audiuit; &, niſi cum cæteris illo pergentibus deferretur, patri ſe omnino morituram aſſeruit. Pater, licet affectus tædio eius diutinæ infirmitatis, fidem ſuam apponens eius fidei, equo ſuperimpoſitam ad Monaſterium deuexit. Cæteris qui venerant, vota ſoluentibus, inter miſſarum ſolemnia, pater filiam ante ſepulcrum ſancti depoſuit, ſeque cum illâ in oratione proſtrauit. Oratione expletâ, cum filiam, vt erigeret, vellet amplecti, illa

* 156.

illa iam incolumis, eius ſe adiutorio non indigere exclamauit, ipſaque per ſe alacriter ſurgens, per omnes, qui conuenerant, Domino, tamque exaudibili Patrono, maximas gratiarum actiones ſuſcitauit.

MIRACVLVM VIII.

SACRILEGVM BONORVM SVORVM inuaſorem S. HVBERTVS *miſerando exitio multat. Anno 841.*

ANNO incarnati verbi octingenteſimo quadrageſimo primo, ſuccedente in regnum Patris Karolo * Ludouici filio,
157. Comes Odo, ex rebus ſuis tranſitorijs, affectans ſibi commodum æternitatis, Bonotrinum, & Bononiſmontem, & Eccleſiam, quæ eſt in Tilatio, in honore Sancti Audoeni, ſub venerabili Abbate Seuoldo, adſtantibus, & laudantibus Harchario, Goderanno, Beremondo, nepotibus eius, Eccleſiæ Sancti Petri, Sanctique HVBERTI, pro animæ ſuæ remedio, legaliter tradidit. Poſt cuius deceſſum, nepos eius Goderannus, quæ tradita fuerant, violenter inuaſit, negans ſine ſuo conſenſu factum eiuſdem traditionis donum, cui interfuerat: ideoque ſibi iuſtè repetendum,

& iure propinquitatis cedendum. Legatio Monaſterij frequenter ad eum directa, ſupplicabat, vt ab hâc intentione reſipiſceret: in hoc ſe potius propinquum defuncti probaret, ne pietate neglectâ, eius deuotionem impediret: vel ſi eum recordatio humanitatis non flecteret, ſaltem diuinæ vltionis pœnam timeret. E contrario cum ille pertinacius reſiſteret, paruumque ſibi ex eo commodum proueniſſe obijciens, nullum iuſtæ rationis aſſenſum admitteret: contigit, vt per eadem prædia tranſiens in Monaſterium diuerteret. Quem fratres læti, honeſtè ſuſceptum, vt caritatis gratiâ pranderet, coëgerunt, paneſque ſuis
manibus, cum * laude pſalmodiæ formatos, 158.
diſcumbenti attulerunt. Ille, vt erat perfidæ mentis, ſuſpicatus, hâc exhibitione ſe velle induci, vt tandem reſipiſceret à peruaſis rebus Eccleſiaſticis, oblatos ſibi panes, cum ſuis modicè prægustatos abiecit, & cum indignatione, & ſuperbiâ, canibus ſuis, qui oblatrabant, proijci iuſſit. Prohibentibus miniſtris id agendum, eandem prohibitionem canes comprobauerunt: quia licet famelici, eos nullo modo
* contingere præſumpſerunt. Mirantibus cæ- 159.
teris huiuſmodi ſpectaculum, Goderannus pro nihilo duxit miraculum, & inde cum irriſione digreſſus, ibat quo diſpoſuerat eundum. Abeuntem vltio diuina proſequitur, & ſubitaneo dolore viſcerum interceptus; cum ob iniuriam

tiam Sancti, talem ſe intelligeret pati vindictam, licet inuitus, relaxat quæ iniuſtè peruaſerat: & miſsâ legatione ad Monaſterium, hoc ipſum nunciari fratribus imperat. Nec mora: ab infirmitate conualeſcit. Sed ingratus eiuſdem valetudinis, ad eadem repetenda, quæ relaxauerat, ſeipſo deterior, feruentius inardeſcit. Audito fratris incommodo, quidam eius frater eum reuiſerat mœrens. Ad quem ille conuerſus, cœpit ſeipſum nimiæ leuitatis arguere, quod caſuali attactus dolore, quæ ſui iuris erant, beato HVBERTO relaxaſſet, ſed nemo ſperaret, ſe diutius hoc pati poſſe. Con-
160. tinuo fauces * minantis rediuiuus dolor intercipit: ſtridoribus potius, quam verbis clamat, ſe ſtrangulari Monachorum Eulogijs. Et inter clamandum, horrendo exitu ſpiritum emittens, quæ ſua erant, Eccleſiæ liberius poſſidenda reliquit.

MIRACVLVM IX.

CAECA S. HVBERTI BENEFICIO videt. eod fere tempore.

IN pago Conduſtro, fœmina quædam nobilis lumen amiſerat: quæ precibus importunis parentes ſuos, vt ſe ad Eccleſiam beati

HVBERTI deducerent, ſollicitabat. Quibus obſiſtentibus, & huius ſuæ ſpei fructum deſperantibus, conceptâ ſemel fide, in rogando perſeuerauit, & quod non obtinuerat gratiâ conſanguinitatis, ſub atteſtatione meritorum Sancti Pontificis, vt tandem adduceretur, extorſit. Agebatur ſolennitas eiuſdem Pontificis, & impingentibus eam confluentibus turbis, cum difficilis aditus Eccleſiæ ſibi videretur; petijt, vt ad aquam quæ per canales, in vſus Monaſterij influebat, deduceretur. Quo deducta, cum ter faciem ablueret, & inter abluendum, ſancti meritum imploraret: quædam albugo ab oculis eius cecidit, & diu deſideratum lumen recepit.

MIRACVLVM X.

ALIVS SACRILEGVS INSANIA, languore, cæcitate, diuinitus percutitur. Circa idem temp.

QVODAM tempore, apud Villam Rapazium, quæ ſita eſt iuxta Taruoniam, temerarius quidam tentabat inuadere partem agri, Eccleſiaſtici iuris; & poſſeſſioni ſuæ quæ contermina erat, copulare. Superuenien-

te enim

te enim meſſis tempore, collegit duodecim manipulos ex eodem agro, qui ſuæ ſationis non erant, & ſeorſum violenter ſuis appoſuit. Requiſitus à Villico Eccleſiæ, cur tale quid facere præſumeret, ille, aſcenſo equo, cum indignatione, meſſem, quæ ſupererat, diſcurrendo cœpit conculcare, virgâ deſignans, adhuc etiam vlteriorem eiuſdem agri partem ceſſiſſe ſibi iure paterno. Qui, cum rediens domum, Matri facta retuliſſet, & illa cum ſeniorum iudicio, quæ agenda deliberat, committere moneret; ipſe in craſtinum euocatis ſenioribus Villæ, cœpit eques, ſubſequentes ad agrum præcedere. Inſolentiam vero feſtinantis diuina vindicta excepit. Nam hebetato ſenſu, ab eodem agro diuinitus procul repulſus, per campos, & Villas circumiacentes, equo inſaniente, circumfertur. Taliter per viginti miliaria, continuato curſu, ab horâ diei tertiâ, vſque ad veſperam, ſub ſeſſore equus deficit, & moritur. Requiſitus homo ab amicis & inuentus, domum ſemianimis reuehitur, & lecto proſtratus, inter dolores, & gemitus, nomen Sancti Pontificis, vt ſibi iam pœnitenti, remittat iniuriam, deprecatur. Campum ſui iuris abhinc perpetuò illi donandum pollicetur: ſed Mater ipſum donum, tanquam inutile ſtatim morituro, interdicit. Tamen poſt votum, iuuenis paululum releuatus, du-
161. citur in Eccleſiam, ibidem in honore * Sancti

conſtitutam; nihilque ſe aduerſus eum amplius conari, publicè profitetur. Sic iam factus ſanior, & longioris vitæ ſecurior, promiſſi agri mutauit votum, eumque ſancto ſubductum, poſteris ſuis deſtinauit hæreditandum. Continuò vindex mendacij languor redintegratur: & ne alicui caſualis videretur, cum aliquando viſendi causâ, ad agrum, quem diligebat, deferretur; in ipſo egreſſu, ne eum amplius videret, ſubitâ cæcitate mulctatur.

MIRACVLVM XI.

S. HVBERTVS, PAVPERVM Patronus, eorum oppreſſores malè multat. Eod. temp.

CONTIGERAT ſub eodem tempore, quoſdam Principes Auſtraſiorum, per eandem Taruoniam tranſitum habuiſſe, & imminente nocte, ibidem remanſiſſe. In confinio ipſius Villæ, duo pauperes cohabitabant, quorum caſulam quidam hoſtium irrumpentes, vt eis cœna pararetur violenter exigebant. Quibus cum ad ſatisfaciendum præferretur quicquid in promptum habebatur, illi dedignantes condeſcendere pauperum poſſibilitati, carnium ſibi copiam procurari, minis, & verberibus

beribus compellebant. Negantes illi, quód non habebant, cum furore trahuntur ad pœnam, & quod ſolum ſupererat illis remedium, beati HVBERTI lacrymabiliter implorant ſuffragium. Tandem eâ conditione relaxantur, vt quomodocumque quærerent, quod exigebantur: vnoque retento, alter ad hoc procurandum emittitur. Qui pacto pretio, carnes à creditore deferens, domum reuertitur, & exactores ſuos admonet, vt delatis vtantur. Recuſant illi oblatas, iam enim eos inuaſerat vltio diuina: atrociorem quidem inter-
162. raneus * dolor; alterum verò ne idem pateretur, horribilis timor. Depoſitâ feritate, iam ſupplices, exorant, ipſos pauperes ſibi patro-
163. cinari apud Patronum, quem * reclamauerant; cuius indignatione prouocatâ, tam celerem experiebantur vindictam. Super his moti Sodales, de proximo confluunt, &, ne ſimili plecterentur vindictâ, iam moderatiores hoſpitibus ſuis per totam Villam redduntur. Facto manè, ille, vt erat ſuimet impos, ſociorum manibus equo ſuperpoſitus relegatur, & Hasbaniam vſque deuectus, miſerabili fine vitâ priuatur.

MIRACV-

MIRACVLVM XII.

CONTRACTVS ERECTVS.
Aliquantò pòſt.

Alio tempore, confluentibus populis ad feſtum Sancti Pontificis, quidam contractus, conceptâ ſpe recipiendæ ſanitatis, ad locum deuectus conuenit. Qui iuxta ſepulcrum Sancti poſitus, in oratione pernoctauit, & diuinæ miſericordiæ clementiam, vſque ad media Miſſarum ſolemnia, ſuſtinuit. Perlecto Euangelio, crura femori hærentia cœperunt reſolui, nodoſitates brachiorum, extenſis neruis, relaxari; & acclamantibus populis, ad plenè * redintegratus ho- 164.
mo, ſeipſum mirari. Probato publicè diuinitatis miraculo, ſuſcitatur in debitas laudes communis deuotio, & vnde ad ſalutem rediit vnus, inde multorum in Dominum profecit affectus.

MIRACV-

MIRACVLVM XIII.

ALII DVO CONTRACTI, idem beneficium experti. Circa idem temp.

ALII duo æquè contracti, ad patrocinium Sancti diuerſo tempore conuenerant: quorum vnus, dum apprehensâ
165. pallâ * altatis, nititur aſſurgere, ſe miratur
166. conualuiſſe; alter innixus parieti, * quo locus ſepulcri ambitur; dum ſe tranſponere molitur, integerrimè in omnibus membris reformatur.

MIRACVLVM XIIII.

EQVVS S. HVBERTO SE ADDICIT, inuito perfido hero, qui voto eam addixerat. Aliquanto poſt.

VILLA, quæ dicitur Luiſceia, Monaſterio ſatis eſt contigua. Huius quidam Procurator, morſu rabidi lupi infectus,

dum ſibi ineſſe ſentiret mortis periculum, ad Sancti confugit auxilium, & vt eius beneficium certius experiretur, deuouit illi dandum, quo vehebatur, equum. Eſt enim eo in loco certiſſima ſalus huius horrendi diſcriminis, ſi adſit vera fides periclitantis, & obſeruetur dictata * conditio collatæ ſanitatis. 167.
Auro * igitur ſacratæ ſtolæ capiti periclitan- 168.
tis de more inſito, & ſe obſeruandi ordine dictato, domum redijt. Qui per acceſſum temporis, iam liberior timoris, & certior impetratæ ſalutis, votum, quod nolebat reddere, ſe etiam vouiſſe diſſimulabat: Quandoque tamen, vt erat curioſus illius ſuæ procurationis, per Monaſterium tranſitum habuit, & religato procul equo, ad fores Eccleſiæ oraturus procubuit. Citatâ oratione, dum exurgit curſor anhelus, equum, quem procul religauerat, iuxta ſe ſtantem miratur. Sic ſibi quaſi apparatum, profecturus aſcendit: ſed hærentem nuſquam promouere valens, reſiſtit. Factus miſer ſibimet ludibrio, & concurrentibus ſpectaculo, quo acrius equum vrget, vt exeat, eo recedens ille obſtinatius, cum hinnitu, caput ad templum replicat. Conueniunt ad ſpectaculum Eccleſiæ æditui, cum paucis, qui relicti erant, Monachis: nam cæteri, delatis ſecum Sanctorum pignoribus, propter Vmbrorum * incurſus, in caſtro Ga- 169.
medeslamorabantur. Iterum atque iterum clamori-

clamoribus circumſtantium equus incitatur, flagris tunditur, obſeratis ſibi foribus, reappropinquans repellitur. Iam palam à cunctis intelligebatur, non id fruſtra fieri, cum reus voti, quod iam diu diſtulerat, non ſine confuſione prodidit. Et quia præ laſſitudine, indigebat equo domum reuehi, pactâ ſponſione illum remittendi, conceſſione fratrum velociter diſceſſit, & votum ſine dilatione remiſit, gratias agens Deo, & Sancto Pontifici, quòd tam diu ingratus, euaſiſſet periculum iuſtiſſimæ vltionis.

MIRACVLVM XV.

APER INFIDELEM SANCTO HVBERTO *venatorem lepidè fruſtratur.*
Circa ann. 900.

170. COMITATVM * Arduennenſem agebat Theodoricus, cuius frater Aleran-
171. nus partes * æquabat eiuſdem comitatus. Hi, cum oportunitate ſyluarum, haberent venandi ſtudium; in eodem exercitio quidam Iamenoldus erat præpoſitus venatorum. Qui, dum ſæpius Eccleſiaſticos ſaltus, circa Monaſterium, luſtraret, nullumque prouentum venatio-

nationis inueniret; condixit ſuis, vt in nomine Sancti Pontificis exeuntes, ſi quid proueniret, illi pro voto redderent. Igitur aggregatis canibus, die ſtatutâ procedentes, repentino euentu, inſperatæ magnitudinis aprum emouerunt. Qui, poſt varios anfractus ſui moris, gradum figens, in quodam vicino Monaſterij receſſu, quaſi ſe Sancto ſponte dederet, immobiliter hæſit. Quem prædictus Venatorum præpoſitus, cum ſuis hilariter proſecutus, dum eum, cuius eſſet magnitudinis, miraretur; quaſi iam captum, decreuit Domino ſuo deferendum; alium vero minoris quantitatis, Sancto perquirendum. Mox aper, quaſi indignatus, ſe ſancto ſubtrahi, grege canum deturbato, elapſus euaſit: & dignam confuſionem caſſatis venatoribus reliquit. Erat enim ab antiquo, * totius Ar- 172.
duennæ primoribus, ex debito firmatæ conſuetudinis, per ſingulas vices * annuæ venationis, 173.
primitias, & decimas cuiuſque generis ferarum, beato HVBERTO perſoluere, eo quod idem Sanctus, priuſquam mutato ſęculari habitu, propoſiti ſancti ordinem percepiſſet, huius exercitij fuerit ſtudioſus. Vnde & de cætero à quibuſque vicinis nobilibus, idem ſtudium in eius nomine agitur.

MIRA-

MIRACVLVM XVI.

MILITES IN S. HVBERTI clientes, iniurij, grauiter puniuntur. circa ann. 910.

174. QVODAM tempore per pagum * Arduennenſem hoſtilis expeditio tranſibat: quæ dum, vt moris eius eſt, ſe per opportuna loca ſpargeret, quædam pars in Apri-Villam, quæ Monaſterio finitima eſt, diuertit. Et cum equis immiſſis, immoderatius prata vaſtarent, & incolæ ſpem alendorum animalium ſe amittere dolerent: non ſolum in hoc dolentibus non pepercerunt; ſed & violenter eorum effractis domibus, quæ in eis erant victualia, rapuerunt; Quibus refecti, cum veſperâ imminente, cum equis ſuis ibidem pernoctare deſtinarent, & Eccleſiaſtica familia Patroni ſui auxilium, ſuper hâc iniuriâ flagitaret; cœlum repentè obnubilatum terribiliter intonuit, & maxima tempeſtas incubuit. Obſcurato aëre, non ſolum cum pluuiâ grando ferebatur; ſed & ſcuta capitibus fugientium ſu-
175. perpoſita colliſione lapidum detrita, * commminue-

minuebantur. Quibus dum vix ſuga vitam reſeruaſſet, domibus quas prius violenter infregerant, ſe ſuppliciter ingeſſerunt, incoliſque, vt à Patrono ſuo ſibi veniam vitamque obtinerent, humiliter ſatisfaciebant: quem, quia proterue offenderant, huiuſmodi vindictam patiebantur. Et cum ibidem pernoctaſſent, ſemper ſuſpecti, ne periculum quod verebantur eueniret eis, orto mane vt citius excederent, exierunt, equos ſuos qua ſituri, omnibuſque extinctis, vix ſupereſſe duos inuenerunt. Quibus aſſumptis, cum eis abſcedere licuiſſet, nullum ſibi damnum eueniſſe reputabant, cum etiam mortem, quam timebant, contigiſſet euaſiſſe.

MIRACVLVM XVII.

ERLVINVS IN SANCTVM CONtumelioſus, morte luit. Aliquanto poſt.

QVIDAM Erluinus, Comes Gabelienſis, tantæ feritatis, & ſuperbiæ fuerat, vt quibuſcumque præualere poſſet, ſiue Eccleſiarum, ſiue ſæcularium rebus, oppreſſionem

ſionem inferret. Quia vero poſſeſſiones beati HVBERTI, eo ſibi videbantur ad deprimendum faciliores, quanto & erant propinquiores; poſtpoſito reſpectu iuſtitiæ, in ipſum etiam Mononem præpoſitum Monaſterij, manum conatus eſt mittere, quia ei videbatur inimicus, ob defenſionem Eccleſiæ. Hic digreſſus per Arduennam, tranſitum habere
176. Burias * deuenit: & ibidem in prato quodam iuris Sancti Remacli, cum ſuis repauſaturus deſcendit. Iniuſtam vaſtationem alienj iuris quidam fidelium incolarum moleſtè ferens, nomen, & meritum beati Remacli, ne hoc impune pateretur, inclamauit: Ab indignantibus deriſus eſt homo, eique obiectum eſt nihil huiuſmodi iuuaminis ineſſe Remaclo. Tandem profecturi, cum ducem, vtpote viarum ignari, quærerent; quendam ſubulcum familiæ beati HVBERTI, offenderunt, quem vt eis præuius eſſet, verberibus cogere cœperunt. Ille omnimodo renitens, cum curam paſtionis ſuæ cogentibus prætenderet, vxor eius accedens, vt relaxaretur, Erluini pedes complecti voluit. Quam ille indignatus, pede percuſſam, contumelioſè reiecit. Sed ſtatim eandem impietatem vltio diuina vindicandam excepit. Nam repentino dolore compreſſus, cum tardius ſolito incederet, & quod patiebatur diſſimulantem mirarentur milites,
177. vix equitando ad Villam Màsbourg * peruenit,

nit, & ibidem lapſus equo, inter manus ſuorum corruit. Inde in geſtatorio collectus, cum ad ſua deſtinaretur reuehi, vix perlatus vſque ad riuum Martini, miſerabiliter ſpiritum exhalauit.

MIRACVLVM XVIII.

DIVINITVS ADMONITI MOnachi Andainenſes, cum corpore S. HVBERTI, *periculum imminens euadunt. Aliquanto poſt.*

DANORVM gens * à finibus ſuis egreſſa, partem Auſtraſiorum cæde, & incendijs indifferenter vaſtabat. Horum fama, quæ falſos æquè, vt veros timores circumquaque augebat, fratres quoque Andaginenſes, cum cæteris incolis emouit ad fugam. Qui aſſumpto pretioſo corpore ſui Patroni, remotiora loca ſuæ poſſeſſionis, vel Campaniæ Villam, Euerneicurtem, vel Moſellenſem * Liſuram adire tentabant. Inter eundum igitur, diuertentes per opaca ſyluarum, quæ tutiora putabant, paululum requieuerunt ſoporati, vt remiſſius expedirent, quod reſtabat aggreſſi itineris. In ſomnum itaque ipsâ ſuâ laſſitudine depreſſis,

178.

179.

depreſſis, vni eorum Euoringo, morum probitate claro, quidam in venerabili habitu viſus aſtitiſſe, & vt locum illum deſerentes diffugerent, quia hoſtes ſuperueniebant, imperioſè
180. indixiſſe. Expergefactus ille, cum aperto * volumine inueniſſet, *Non hic requieſcat pes tuus*; viſionem intellexit diuinitus factam, & vt quantocius loco cederent, ſocios admonuit, ne ſic euidenter monitis incommodi aliquid eueniret. Aliquantulum iam proceſſerant abeuntes, & ecce cum tumultu hoſtes imminebant, à tergo inſequentes. Sed qui eos ſuſceperat tuendos, de imminenti periculo eduxit illæſos. Sic patenter liberati, talem erga ſe curam beati Patroni recognouerunt, & diuinæ prouidentiæ gratias pro liberatione ſuâ retulerunt.

MIRACVLVM XIX.

S. HVBERTI CORPVS, POST 220. à morte, annos, integrum. Anno circiter 950.

DIVTIVS autem perſeuerante gentis eiuſdem incurſione, aſſumpto corpore Sancti, fratres iterum loço exierunt, & Pa-

latiolum * deuenientibus, obuiam proceſſit 181.
maximus concurſus Prouincialium. Horum prudentiores cœperunt ipſos arguere, cur ſic inconſultè toties efferrent tantæ dignitatis Patronum; cuius præſentiæ, ſi longius aſportaretur, timebant amittere patrocinium: Fratres verò, poſt laudum, & orationum ſolemnia, geſtatorium Reuerendi Corporis diligentius inſpicere decreuerunt; ne fortè minus ſolidum, repentinâ progreſſione, vel caſu citius, non ſine periculo, diſſolueretur. Cum igitur accedentes, operculo ſubleuato, reuerenter introſpicerent, an ex more mortalium, eſſet ipſum corpus in cinerem redactum; gratia Dei quæ ſemper eadem ſe mirificat in ſan-
ctis ſuis: eandem integritatem * eius, quam 182.
ſub Karlomanno Principe, & Walcando Pontifice, transferentibus eum oſtenderat, vſque ad idem tempus, repreſentauit conſeruatam.

MIRACVLVM XX.

INVASOR BONORVM S. HVBERTI, ab equo colliſus, miſerè perit. Poſt ann. 955.

ANNO Incarnationis Dominicæ * non- 183.
genteſimo quinquageſimo quinto, Imperij

perij autem Ottonis primi viceſimo, Comes
Stephanus dedit Andaginenſi Eccleſiæ Lega-
184. li dono, Quicquid ſui iuris erat in * Caluen-
ciaco: & hoc præſente Brunone Archiepiſ-
copo Colonienſium, & Baldrico Pontifice
185. * Leodienſium, Cuius cum eſſet erga beatum
HVBERTVM affectus magnæ dilectionis, vt
186. corpus eius ad prædictum * fiſcum deferre-
187. tur, ab Abbate Alberto * & fratribus obtinuit,
188. ibidemque illi * veſtituram eiuſdem Allodij,
coram Raginero & Gisleberto Comitibus,
multiſque regni Principibus, publicè firma-
uit. Longo poſt tempore, quidam Frederi-
cus, Frater Ducis Theodorici, idem allodium
violenter inuadens, Eccleſiæ ſubtrahere ten-
tauit. Cùmque nullâ iuſtâ ratione ab ipsâ in-
uaſione vellet reprimi, beati HVBERTI cor-
pus illo referre neceſſitas ipſa coëgit. His Fre-
dericus auditis, & indignatus ſe inſequi præ-
ſentiâ Pontificis, vrgente ſe vltione diuinâ,
eandem villam irrupit, ſolito temerarior, vt
quaſi ad iniuriam Sancti videretur in eâ po-
tentior. Qui dum equo ſedens, ſpatiaretur
per plateas flexibus incompoſitis, in ipſo exi-
tu Villæ, idem equus fracto collo, ſub eo con-
cidit: ipſe quoque toto colliſus corpore, ibi-
dem expirauit. Huiuſmodi fratris interitus,
cum Duci Theodorico referretur à quibuſ-
dam, ille diuinæ vindictæ laudabilem proba-
uit iuſtitiam, & iniqui peruaſoris temerariam

improbauit ſuperbiam: qui tanti Pontificis & eiuſdem poſſeſſionis Domini, non reueritus eſt præſentiam.

MIRACVLVM XXI.

DYNASTA TERTIVM A S. HVBERTO ſanatus, munus ſemel oblatum confirmare cogitur. Regius ſatelles à furioſis equis laceratur. Aliquanto poſt.

QVIDAM nobilis & potens Ioſbertus, de Caſtro Marla, quod ſitum eſt iuxta Laudunum, ſuper fluuium Somnam; rabidi canis morſu attrectatus, ex conſuetudine* euadendi periculi, venit ad Monaſterium: 189.
& ibi inciſus, eiuſdemque inciſionis * obſer- 190.
uantiam edoctus, ad ſua ſecurus redijt. Quia vero perſæpe potentibus leuitas eſt familiaris, ille, vt erat moribus leuis, iniunctam ſibi obſeruantiam neglexit, & inualeſcente mox ægritudine periclitari cœpit. Reductus vero ad Eccleſiam Pontificis, continuò meruit liberari, & ne ingratus videretur eiuſdem liberationis, totam tertiam partem Euerneicurtis, quæ ſui iuris erat, illi legaliter tradidit. Quam donatio-

nationem, cum per annum integrum, liberam & ratam Eccleſiæ permiſiſſet: quâdam die inter prandendum, cum ſibi ſufficientia adeſſet, cauſatus eſt ſibi etiam ampliora deeſſe. Reſpõdentibus Miniſtris, id ſibi imputandum, qui illi HVBERTO Ardennenſi ſuum dederat Allodium: Ioſbertus, indignatione conceptâ, Diabolo ſuggerente, donum quod firmauerat, infirmandum iurauit. Sed ſtatim immundus ſpiritus vocem minantis excuſſit. Quo impellente, vxoris ſuæ faciem, iniectis dentibus arripuit, & interceptam partem abſtrahens,
191. horribiliter vociferantem * infecit. Comprehenſus à ſuis, tentabatur ad Sanctum reduci; ſed, cum quaſi iniurioſus illi, præſentari vereretur; cuidam lecticæ colligatus, violenter attrahitur. Labore continuato, tandem ad locum peruenitur, fratribus vigilias Deo exſoluentibus. Pulſans foribus, cum rei ordo, & neceſſitas referretur Abbbati, ille introitum petentibus, vſque in lucem diſtulit. Excluſi, cum quaſi de miſericordiâ deſperan-
192. tes, iuſtè repelli arbitrarentur: Inimico * ſeipſum ad horam diſſimulante, reſpirauit Ioſbertus, ſeque ſanum mentitus, petijt vt abſolueretur. Putatus verum dixiſſe, cum reſolutus, ſuper pedes conſtitiſſet, collectis viribus, in altum proſiluit, & impacto capite in lapideâ camerâ, quæ tunc erat pro foribus Monaſterij, quaſi mortuus in terram recidit. Exhor-

ruerunt circumſtantes miſeriam, dicentes hanc ei iuſtè vindictam eueniſſe, eo quòd Sancto deliberaſſet ſubtrahere donationem, quam fecerat. Facto manè, ſuperuenit Abbas cum fratribus, gratiâ compatiendi, & eo aſtante, cum reſpiraſſet qui mortuus videbatur, ligatus iterum, illatus eſt Eccleſiæ. Qui dum per triduum, in continuâ vexatione, oblatum ſibi puluerem * de ſepulcro vitaſſet attingere; in dolio aquæ frigidæ depoſitus eſt 193.
cum exorciſmis, & eiuſdem pulueris admixtione. Senſit inimicus pondus virtutis diuinæ, & coactus per * poſteriora egredi, talem 194.
dedit crepitum, vt omne dolium à compage ſuâ reſolueretur. Corruit Ioſbertus exanimis, cum non multò pòſt ſanus exurgens, Deo Sanctoque Pontifici perfectæ ſanitatis gratias reddidit. Qui ibidem per menſem honeſtè retentus, donec vxor eius de more inciſa * ſa- 195.
naretur. Quicquid prius Eccleſiæ dederat, iteratâ donatione reddidit, indeque ad ſua rediens, quam diu aduixit, fidelis & deuotus Sancto permanſit. Huius donatio fuit tota tertia pars Euerneicurtis in omnibus appendicijs ſuis. Et licet eam violentia Noui-Caſtri in Eccleſiâ, in banno, & in molendinis, minuerit; tamen fundum ipſius poſſeſſionis, euidentibus diuinæ virtutis indicijs, vel mutuando, vel vſurpando, Eccleſiæ nemo ſubtrahere potuit.

Qui-

Quidam enim regius ſatelles, cum beati HVBERTI patui penderet, quaſi exteram dominationem; equos ſuos immiſit, vt Eccleſiaſticas ſegetes depaſcerent; Qui ſubitò inſanientes, dominum morſibus dilaniauerunt, & ſeipſos mutuò commanducantes, in admiratione multorum, expirauerunt.

MIRACVLVM XXII.

DEI NVTV IMPEDITVR ALIEnatio bonorum S. HVBERTI *circa ann.* 1060.

196. NOSTRIS * quoque temporibus, quidam Haduinus Laudunenſis, annuente Abbate fœlicis memoriæ Theodoricò,
197. eandem poſſeſſionem mutuare * voluit; ſed nullo aſſenſu Prouincialium id obtinere potuit. Cuiuſmodi contradictionem prudenter Abbas perpendens, diuino nutu fieri, expoſtu-
198. lato * Altari eiuſdem poſſeſſionis, à Domnò
199. Elinando Pontifice Laudunenſi, Cellam * ibidem conſtituit, & fratres impoſuit: & eandem conſtitutionem ſuam, cum omnibus ibi adquiſi-

adquiſitis, vel adquirendis, Romanæ authoritatis priuilegio roborauit.

MIRACVLVM XXIII.

VINVM PER SACRILEGIVM, ablatum, euaneſcit. circa idem temp.

Apvd Liſuram, in territorio Treuirenſi, dono Walcandi Epiſcopi, poſſidet ab antiquo Andaginenſis Eccleſia, vineas ſui iuris. His aliquando vindemiatis, cum ſub Abbate Theodorico, Præpoſitus Eccleſiæ, ad vſus Fratrum deduceret vinum: quidam Ebroinus de Berenges, violenter illud cum bobus rapuit, ipſumque Præpoſitum, ablato equo, peditem ad Monaſterium remiſit. Super huiuſmodi damnum, & iniuriam, Abbas ipſum Ebroinum ſæpius interpellauit; illoque in pertinaciâ perſiſtente, apud quoſque terrenæ poteſtatis Iudices, iuſtitiam reclamauit. Sed cum in neutro ſe profeciſſe videret, clamorem vertit ad Dominum, ſanctoque Patrono rei commiſit exitum. Interea ſuperuenit ſolemnitas Dominici Natalis, & Ebroinus cum ſuis, apparato ſibi prandio, epulaturus diſcubuit.

buit. Iam inter prandendum iocundior, de vino illius Ardennenſis HVBERTI præcepit ſibi deferri; addens, ſe velle experiri, cuius haberetur ſaporis. Miniſter ingreſſus cellarium, 200. omne inuenit euanuiſſe vinum, exceptis tribus * hamis, quod ad ſupplementum vaſorum, ex domeſtico fuerat additum. Miratus rei euentum, Ebroino renunciauit miraculum. Ille quidem primùm difficilè credidit, quod à miniſtro relatum exhorruit, ſed expertâ veritate miraculi, timuit, ne culpæ vindictam experiretur ex ſeipſo. Statim procuratis ſibi interceſſoribus, ad Monaſterium in ipsâ hyemis aſperitate, nudis properauit pedibus, ibidemque, cum per humilem ſatisfactionem obtineret veniam, ad integrum reſtituit quicquid abſtulerat.

MIRACVLVM XXIV.

IMPII INVASORES, ET INGRATVS in S. HVBERTVM, *puniti.*
Eod. temp.

QVIDAM vir militaris Theodoricus, ab inimicis interceptus, ad Monaſterium confugit, & intra clauſtra receptus à

O Theodo-

Theodorico Abbate, ſperabat ſe tutum ab eorum inſectatione. Proſequentibus autem inimicis vſque ad atrium Eccleſiæ: cum ſanioribus videretur eo vſque licuiſſe, quidam Adelardus munitionem atrij violenter infregit, & vt intrarent ſubſiſtentes, exclamauit. Illi irruentes, inuenerunt Theodoricum in camerâ, ſub dormitorio fratrum, quæ poſtea facta eſt domus infirmorum. Hortatus ab Abbate, vt cederet oppugnantibus inimicis, ille, vt erat virilis animi, indignatus timere, reſtitit. Ortâ decertatione, dum res ageretur, permixtis vtrimque telis, veritus Abbas euentum homicidij, ſigna * Eccleſiæ pulſari iuſſit. Con- 201.
tinuò diſcedentibus illis, ad ſonitum terroris Adelardus, qui atrium infregerat, à Dæmone arreptus, equo corruit. Quem cum quidam comitum, retro ſe componeret euehendum; ille componentis collum mordens, partem abſtraxit, & non multo poſt infœliciter expirauit. Theodoricus verò, cum taliter euaſiſſet, eiuſdem euaſionis ingratus, prædam ſuper Eccleſiaſticas poſſeſſiones exercere non erubuit: ſtatimque iuſto DEI iudicio vxorem eius Heſplendem Dæmonium inuaſit. Quæ ad Monaſterium deducta, nullo modo liberari meruit, donec vir eius, recordatus id ſui causâ fieri, ſcopis ſecum delatis vt coram Sancto cæderetur, expetijt. Poſt talem viri ſatisfactionem, recepit mulier ſanitatem, ſicque expertum.

tum eſt, propter Sancti iniuriam, à viro illatam, hanc illi eueniſſe paſſionem.

MIRACVLVM XXV.

PARALYTICA SOLIDATA. Eod. temp.

202. PVELLA quædam Paralytica, Areleonis * delata eſt ad Monaſterium; nondumque reſeratis foribus, aditum Eccleſiæ præſtolanti, affuit miſeratio diuinæ clementiæ. Erecta namque ad perfectam ſanitatem, vt erat dies Dominica, proſecuta eſt cum fratribus, eiuſdem diei proceſſionem.

MIRACVLVM XXVI.

LANGVIDVS CONFIRMATVR. Eod. temp.

GERMANVS quidam Eccleſiaſticæ familiæ, per multum tempus infirmatus, iacebat: quem, quia diligebat Abbas Theodoricus, præcepit vt ad Monaſterium deferretur. Qui, cum languore ingrauato, quaſi ad

exitum in dies declinaret; nocte quâdam perſonam venuſti vultus, cum * ſtolâ Pontificali, vidit in ſomnis ſibi aſſiſtere, qui ei vt ſanus ſurgeret, imperiosâ præcepit authoritate. Ille continuo ſurgens, accenſo igne, ſe calceabat; cum poſt matutinas laudes, Abbas eum reuiſens, vt ſolebat, cepit eum non ſuæ mentis reputare, quia ſic ſe videbat habere, quem morti vicinum reliquerat. Qui intuitus ſe admirantem, receptæ ſanitatis ordinem illi retulit, & denuo ſanus permanens, ad ſua cum gaudio redijt. 203.

MIRACVLVM XXVII.

PVELLA DIV ÆGRA, MOMENTO ſANATA. Eod. temp.

IN Villâ Palatiolo dictâ, cuiuſdam Guiredi infirmabatur filia, quæ vno ſemis anno, non niſi alterius auxilio, de lectulo ſurrexerat. Huic mediâ fere nocte, quæ feſtiuitatem Sancti præcedebat, vir quidam venerandi habitus, iacenti apparuit, vtque ad Sancti ſolennitatem cum cæteris illo euntibus properaret, admonuit. Illa è contra, prætendens infirmitatem, cum voluntati cauſaretur deeſſe facultatem; iuſſit qui aſtabat, vt incunctanter ſurgeret, & ſuam

ſuam exequeretur admonitionem. Senſit illa vim verbi, & iam ſana ſurrexit, & velut iter factura, ſibi calceamenta deferri admonuit. Petito lumine, pater lætus accurrit, & ex relatione prædictæ viſionis, beati HVBERTI meritis ſanatam intellexit. Proceſſurus ſine morâ ad feſtiuitatem Sancti Pontificis, dum equum procuraret filiæ, reſpondit illa, equo ſe non indigere, paratam ſe, proprio greſſu liberatorem ſuum adire. Miraculum tam ſubitæ ſanitatis, cum publicè referretur Theodorico Abbati, ipſius Pontificis ſolennitatem reddidit hilariorem, & ampliorem ergà DEVM populi ſuſcitauit deuotionem.

MIRACVLVM XXVIII.

SACRILEGI CARNES FRVSTRA coquere tentant: ipſi miſerè moriuntur. Eod. temp.

204. COMITATVI Namucenſi, licet iniuſtè, ſubiacebat centenaria * iuſtitia Anſeromiæ, & violentiâ vice comitum nimis affligebatur Eccleſiæ familia. Acturi cauſas huius exactionis, Guillelmus de Veruia cum Hermanno & Rodulpho fratre eius de Onhais,

 die

die condictâ illo conuenerant: & in Dominicali * curiâ, porcum vnum inuenientes, in 205.
cœnam ſuam occidi, & parari fecerunt, Bullientes carnes ſatis multus ignis ſuggeſtus coquebat, ſed nullo modo decoqui poterant, & Miniſtris de more attentantibus eas, cruditatem ſuam, & ſanguineum horrorem ingerebant. Cœnaturi Domini cum tædio afficerentur huius expectationis; carnes illas, qualeſcumque eſſent, ſibi iuſſerunt apponi. Sed cœna eadem illis vltima fuit. Nam Guillelmus à Da monio arreptus, & Veruiam in geſtatorio relatus, miſerabiliter expirauit: Hermannus vero & Rodolphus aliquamdiu ſuperſtites, defecerunt ſine pœnitentiâ, & diuinâ recognitione. His probatis, Albertus Comes * Namucenſis, cum 206.
in Arduennâ ſyluâ moraretur gratiâ venandi; & veneratione loci, diuerteret cum vxore ſuâ Iddâ, ad Eccleſiam beati HVBERTI, poſcente Theodorico Abbate, prędictum Comitatum Anſeromiæ perpetuò remiſit Eccleſiæ.

MIRACVLVM XXIX.

STOLAE SACRAE FRAGMENTVM poſt 30. annos integrum. Canities vnâ nocte nata. Eod. temp.

ALIVD Miraculum, omni hactenus ſæculo inauditum annectimus, quod viro egregio

207. egregio Lamberto, loci huius * Monacho, poſtmodum vero haſterienſi Abbate, referente comperimus: quod non credat neceſſe eſt, qui Domino derogat dicenti: *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, & maiora horum faciet.* Io. 14. 12. Contigit aliquando, quendam ſtrenuum virum, morſu rabidi canis peruaſum, ad hunc locum veniſſe: &, ſicut eſt conſuetudinis, inciſum, oblatis Sancto muneribus, ad ſua cum gaudio remeaſſe. Qui cum ad extremam vſque ſenectam, incolumis, & ſanâ mente perueniſſet, quâdam die ex more balneum ingreſſus eſt: cui vna famularum aſſiſtens, caput lauit, pexit, (erat autem tunc temporis nigerrimi capilli, ſicut in diebus iuuentutis) cum ſubitò pectinem rapuit, & ſcalpenti fronti impegit, ruptâque cicatrice præteritæ inciſionis, particulam auri de Stolâ Sancti Pontificis, in pectine inuenit. Diu, multumque miratus, tandem: Ecce, ait, tri-
208. ginta * anni ſunt hodie, ex quo hanc ferebam in fronte; reponatur ergo, donec quid inde fieri debeat, inueniam in conſilio. Quid plura? lætus ad prandium diſcubuit, & quod reliquum fuit diei, in hoc ſtupore tranſegit: cubitum abijt, & manè (mira dicturus ſum)
209. quaſi cycnus ita * albus apparuit, ipsâque ſui canicie, maximum ſpectaculum videntibus ſe præbuit. Mox ergo cum ipsâ particu-
210. lâ ad meritum * Sancti redijt, & quæ ſecum

acta

acta eſſent, indicans, ipſam ſibi iterum imponi * fecit, quamdiu ſuperuixit, teſtis 211.
idoneus in ſe facti miraculi.

EXPLICIVNT MIRACVLA SANCTI HVBERTI.

IN VITAM

IN VITAM
S. HVBERTI
NOTÆ, ET PARALI-
POMENA.

Authore Io. ROBERTI Soc. IESV
Sacerdote.

NOTAS quid vocem, omnes nôrunt. At PARALIPOMENA ea mihi dicuntur, quæ cum ad S. HVBERTI Vitam, & res geſtas pertineant, neuter tamen Vitæ ſcriptor attigit. Nec de fide hæreas. Ex antiquis Mẽbrânis, ijſque fide digniſſimis, ea aſſerimus: &, quò eſſent certiora, fere ſemper non ex vno, ſed pluribus ſcriptoribus. Viſum eſt in hoc Notarum veſtibulo, hoc annotare, &, ſimul affirmandæ meæ fidei; ſimul tollendæ Lectoris dubitationi, Librorum, quibus potiſſimum vſus ſum, Indiculum ponere: ſunt iſti:

EX ILLVSTRISSIMO MONASTERIO ANDAINO, *quod iam à pluribus annorum centurijs, quòd Beatas noſtri Sancti Exuuias, in depoſito habeat,* S. HVBERTI *dicitur.*

1. MS. in Membranis antiquis, in quo variorum SS. vitæ quàm accuratè deſcribuntur.

2. MS. alterum magnitudine viſendum, argumento aſſimili.

3. Tertium MS. nomine *Cantatorium*, cuius præcipuum argumentum eſt ipſa S. HVBERTI Abbatia Author (qui Monachus inibi fuiſſe videtur) vixit ante annos fere ſexcentos. Et quæ antiquiora habet, ex optimis ſcriptis hauſit.

4. Quar-

4. Quartum itidem MS. eſt cuiuſdam *Adolphi Happart* Andainenſis Monachi, qui, diligentiſſimus in S. HVBERTI vitâ, alijſque affinibus deſcribendis, profitetur ſanctè, ſe nihil allaturum, quod ab idoneis Authoribus non hauſerit.

5. Quintum eſt, eiuſdem Monaſterij Martyrologium, omni fide digniſſimum. Et hæc quidem Latino ſermone conſcripta. At Gallico ex eodem Monaſterio, iſta:

6. Vita S. HVBERTI, ſtudio, & pietate illuſtris viri *Huberti le Prouoſt* collecta ánno 1459. atque eiuſdem iuſſu, Latinè primum conſcripta, ac deinde Gallicè verſa. Eſt hoc MS. in nobili Membranâ, adhibito multo emblematum, imaginumque ornatu. Nec dubium, Monaſterio Andaino ab eodem Dynaſta illudipſum Exemplar donatum fuiſſe: quippe cum in fine (habet capita quinquaginta quinque) ſcriptum dicatur ab eiuſdem ſcriba, qui & Notariorum ritu nomen ſuum ſubſcripſit, *Manchion*.

7. Denique aliud MS. eodem Gallico ſermone, in quo breuiter *Tungrenſium, & Leodienſium Epiſcoporum ſeries.* Hos omnes pro ſuo in DEVM, Sanctumque eius amore, & zelo, liberaliter, & vltro communicauit admod. R. atque Ampliſſ. D. *Nicolaus de Fanſon*, S. HVBERTI in Andaino, Abbas.

ALIVNDE.

8. Duos antiquós, & inſignes MSS. codices propenſo in eamdem pietatem animo mutuos dedit admod. R. Nob. atque Ampliſſ. Præſul *D. Philippus Klockman*, nobilis Cœnobij *Gemblacenſis* Abbas. Alteri inſcriptio; *Vita Sanctorum.*

9. Alteri: *Chronica Epiſcoporum Leodienſium.*

10. Eſt prope Bruxellas, Canonicorum Regul. S. Auguſtini, Monaſterium, cui nomen *Rubra-Vallis*, & in eo inſignis veterum MSS. codicum Bibliotheca. Quam dum bonâ R. Archimandritæ veniâ luſtrarem, incidi in aliquot volumina, quæ ab Authore vocantur *Agyologus Brabantinorum.* Inueni inter eos ſanctos etiam noſtrum HVBERTVM; cuius vitam inde deſcriptam habeo.

11. Eamdem vitam ex peruetuſto MS. *Carthuſiæ Leodienſis* ſponte mihi deſcripſit R. Pater, eiuſdem Carthuſiæ alumnus, S. HVBERTO, vt Diuo, Patriæ Tutelari, ſingulariter addictus.

12. Eiuſdem iterum mihi copia facta à RR. Canonicis Regularibus, quorum in antiquiſſimâ *Tungrorum* vrbe domicilium, vt eſt in ſecundâ parte *Refectorialis AEſtiualis*, vt illi vocant.

13. Iuuit etiam liber Monaſterij *Vallis-S Lamberti*, in quo *Geſta Pontificum Tungrenſium, & Leodienſium.* Quo nomine Lectores mecum

gratiam

gratiam debent admod. R. & Eximio D. *Fiſcn* eius loci Abbati.

14. Præter iſtos, alios plures MSS. in Nobili Ciuitate Leodienſi ſuggeſſerunt honeſtiſſimi Ciues, linguâ Gallicâ exaratos, qui *Chronica* fere continebant, ſed ea maximè, quæ ad *Epiſcopos* ſpectant.

Atque hactenus libri *calamo conſcripti.* Sed *typo* etiam *expreſſis* vſus ſum, quos ſilendos non iudicaui. Ij ſunt.

15. *Tres tomi Epiſcoporum Tungrenſium*, *&* *Leodienſium*, à *Iohanne Chapeauillo*, Canonico Vicario Leodienſi, ex aliquot Authoribus antiquis editi; qui cum MSS. quibus vſus ſum, per omnia bellè conueniunt.

16. *Io. Molani*, Louanienſis Theologi *Natales Sanctorum Belgij.* Eiuſdem *Indiculus*, *Additiones ad Martyrolog. Vſuardi*, *Recapitulatio Chronica.*

17. *Magnum Chronicon Belgicum*, à Monacho ordinis S. Auguſtini prope Noueſium diligenter, & ſtudioſe concinnatum.

Taceo varias à varijs pijs, doctiſque viris *Epiſtolas*, *Narrationes*, *Teſtimonia*, quæ S. HVBERTI honori non magis, quam veritati, tribuerunt. De his mihi ſermo ſuis locis.

Hæc de Codicibus. Iam ad *Notas* veniamus.

I. VITÆ] S. HVBERTI Vitam ex Antiquis nemo vnus integrè ſcripſit: partes varij varias. De alijs alibi. Hanc priorem partem, cum inte-

grum quid dare decreuiſſem, ipſo initio ſupplere coactus ſum. Nam vt Author Antiquus, ipſius Diui noſtri diſcipulus, & familiaris, ea omnia omiſerat, quæ Epiſcopatum præceſſerant: ita hic, quæ Adoleſcentiam, & Ebroini tyrannidem. Ea ne ſtudioſus Lector deſideraret, Stirpem, Parentes, Ortum, Inſtitutionem meis verbis, ſed antiquorum, & Optimorum Librorum fide, poſui.

II. Hvberto] Quænam origo huic nomini? Tot alia ſunt, ſimili fine, *Albertus*, *Adelbertus*, *Heribertus*, *Robertus*, alia. Leges de his elegantem diſceptationem inter Quæſtiones Hubertinas, Q. 2. Cæterum, non diſſimulo, variè à varijs ſcribi hoc Nomen. Alijs eſt *Humbertus*, alijs *Hucbertus*. Codex Cæſareus Bibliothecæ Viennenſis habet *Hugbertus*, vt ex eo ad me ſcripſit Clariſſimus I. C. *Marcellus Vranckheim*. Apud Antoninum, par. 2. titul. 23. §. 29. *Cumbertus*, legitur; ſed, vt arbitror, vitiosè.

III. Regio *Francorum*] Vide, Lector, Tab. Geneal.

IV. Bertrandvs] Ita conſtanter ſcriptores omnes antiqui. Nec me mouet, quod Aquitaniæ Annales, Gallico ſermone editi à Iohanne Boucheto nullam huius Principis, inter Duces, mentionem faciant. Rationem mox indico.

V. Aqvitaniæ Dvx] Vt antiquiora tempora

pora taceam, quâ ætate noſter ſanctus viuebat, Aquitaniæ Principes, modò *Reges*, modò *Duces* dicebantur. Nam alias, Regum Franciæ nomine à quibuſdam Dynaſtis adminiſtrabatur: aliâs Regijs prolibus, cum Regni quoque nomine, in perpetuum attribuebatur. quod Ludouico Pio, à Carolo Magno Parente contigiſſe legimus.

Iam *Duces* Aquitaniæ duplici ratione intelligere licet. Vel enim ipſi Reges Franciæ ſic dici poſſunt, etſi aliunde Regium nomen habent. Sic Philippus Hiſpaniæ Rex, dicitur *Dux* Brabantiæ. Vel *Duces* ij dicuntur, quibus Rex Aquitaniam regendam commiſerat. Hodie in Galliâ tales *Gubernatores* vocantur. Priorem nuncupationis rationem *Bouchetus* in Annalibus ſuis ſecutus videtur. Addo, in ijs, qui eum *Ducatum* à Rege acceperant, fuiſſe nonnullos, qui Beneficiario iure, & velut in *Feudum*, ſic tenebant, vt, certis conditionibus, ſibi, ac liberis ſuis, in perpetuum tenerent. Eiuſmodi ſentio fuiſſe hunc Bertrandum. Quinetiam ex his non defuerunt, qui tantum iuris, vel habuerint, vel ſibi ſumſerint, vt Regibus ipſis ſe opponere auderent. Teſtis Dux *Eudo*, quem vetera monumenta paſſim S. HVBERTI fratrem faciunt. Teſtis etiam hic noſter Bertrandus, vt mox leges.

VI. PRINCEPS *Pacis, belliqne artibus clariſſimus*] Ita eſt. Semel, atque iterum eum aggredi

gredi

gredi auſus Hildericus Rex, ſemel, iterumque fuſus fugatuſque eſt, maximam iacturam & militaris roboris, & Nobilitatis paſſus. Hæc pluribus, ex Antiquis Monumentis, Happart diligens ſcriptor. Eadem in ijſdem antiquis me legiſſe profiteor; vt & alia paſſim, quæ idem Happart tradit. Quo maiorem illi fidem habeo in ijs etiam, quæ apud illum tantum reperi.

VII. ANNO *ſexto & quinquageſimo ſupra ſexcentos*] Huius meæ aſſertionis rationem vide in Q.Q. Hub. Q. I.

VIII. ODA HVBERTI *amita.*] Ita conſtanter omnes Authores, qui de alterutro ſcripſerunt. Sed commodior poſtea de eâ mentio.

IX. PROLOGVS *in geſta* S. HVBERTI.] Nuſquam hunc Prologum inuenio, niſi in Cod. Monaſt. Rubræ-Vallis; cum Vita ipſa, cui hic Prologus præmittitur, in omnibus fere Monaſteriorum alijſque Bibliothecis reperiatur. Itaque dubium mihi nullum eſt, quin Prologi Author ſit *Iohannes Gielemans*, Canonicus inibi Regularis, qui *Agyologum Brabantinorum* (*Hagiologum*, ſcribendum erat) concinnauit, de quo ſuprà memini, cum Libros recenſerem, quibus ſum vſus.

X. PRÆSERTIM *de ipſius Conuerſione, ac poſt*

poſt mortem Translatione] S. HVBERTI diſcipulus, & familiaris Vitam ſcripſerat in Epiſcopatu dumtaxat actam, hoc ſibi, vt apparet, ſtudio habens, vt nihil ſcriberet, quod non vidiſſet ipſe, & quodammodo tetigiſſet. Itaque, quicquid vel Epiſcopatum præcedebat, vel mortem Sancti Viri ſequebatur, datâ operâ omiſit. Quæ duo alius Author (anonymus eſt, & ignotus) antiquus, & optimæ fidei, tractanda ſibi ſumſit. Huic Gielemans Prologum iſtum præfixit. Quod & *Antiquum*, & *optimæ fidei* hunc ſcriptorem dixi, talem cenſuerunt *Nicolaus* & *Ægidius*, ipſi neque neoterici, neque ſubleſtâ fide. Claruit *Ægidius* anno Domini 1240. at *Nicolaus* totis centum viginti annis antè nempe 1120. Hi igitur tales viri ex hoc ſcriptore liberaliter, & verbotenus hauſerunt. *Nicolaus* quidem dum Vitam S. Lamberti deſcribit, cap. 13. 14. 17. *Ægidius* verò tum in additionibus ad Anſelmum in Lamberto, cap. 10. tum in ipſo HVBERTO, cap. 21. Sed nolim quemquam hæc ita accipere, ac ſi hic noſter Author non multo Nicolao ſit, antiquior. Nam ex tot antiquis MSS. quæ vidi, & ſedulo conſideraui, ego pro explorato habeo, vt is, qui S. HVBERTI res in Epiſcopatu geſtas, ſcripſit, ſine vllo dubio cum illo familiariſſimè vixit; ita hunc, non multò poſt S. HVBERTI mortem ſuppleuiſſe, quæ ille omiſerat. Denique tertium quempiam addidiſ-

ſe, quæ de eius Translatione, & quibuſdam Miraculis, poſtea leges. Sed ad Notarum ordinem redeamus.

XI. INCIPIT CONVERSIO S. HVBERTI.] Quomodo *Conuerſum* intelligimus? An robuſtus iam adoleſcens, adhuc *Gentilitijs* ſuperſtitionibus tenebatur? necdum per S. Baptiſma Chriſtum induerat? Scio eſſe, qui ſic explicent. Sed abſit. Oſtendam, aliter rem habere in QQ. Hub. Vide Q. 4.

XII. CAPITVLVM I.]Hoc quoque diligentiæ *Iohannes Gielemans* debemus, quòd hanc Vitæ partem habemus capitatim diuiſam, quod ante illum nemo fecerat. Seruit id memoriæ, & intelligentiam affert minus confuſam. Cæterum cum ſolam ſectionem ille feciſſet, neque ſingulorum Capitum argumentum, vt aſſolet, paucis verbis comprehendiſſet: hoc mihi relictum exiſtimaui, ac, quàm potui breuiter, & clarè præſtiti. Ad hoc duplex me ratio impulit. Altera, quòd multò etiam clarior legenti ſic euadit hiſtoria: altera, quod in Antiquâ vitâ, quam Ionas conſcripſit, id præſtitum videbam. Itaque, ne diſſimile, & impar ſibi eſſet totius Vitæ corpus, hanc quoque opellam nauare viſum eſt.

XIII. TEMPORE *illo.*] De S. HVBERTI ætate quàm poſſum probabiliter, diſputo in QQ. Hub. Q. I.

XIV. EBROINI *crudelitas Regnum Francorum grauiter opprimebat.*] Verè Regnum totum. Nullus illius temporis Francorum res attingit, cui hic tyrannus non ſuggerat argumentum & copioſum admodum & affatim luctuoſum.

XV. AQVITANICVS *genere.*] Eam Galliæ partem mirificè DEVS illuſtrauit multorum magnâ ſanctitate. Vt cæteros taceam, Aquitanus fuit S. Amandus , S. Remaclus , S. Goar, S. Hadelinus , S. Amor , alijque permulti vtriuſque ſexus : in quibus & *S. Oda* vidua, quam mox noſter Author memorat.

XVI. SVB THEODORICO *Rege.*] Inijt hic Francorum Regnum anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo : vitâ exijt ſexcenteſimo nonageſimo. Huius Regis anno nono, erat D. HVBERTVS noſter adoleſcens annorum viginti. Vide Tabulas Chronologicas, & Q.Q. Hub. Q.I.

XVII. COMES PALATII.] Satis conſtat, Dignitatem eorum , quos hodie *Comites* vocamus , inde habuiſſe originem , quòd Imperatores, & Reges, quibuſdam, quos propius , & familiarius adhibebant, id nomen, honoris ergo, tribuerint. Hinc paſſim legas, *Comitem ſacrarum largitionum*, *Comitem ſtabuli*, & ſimilia. Sed frequentiſſimè *Comitem Palatij*, ſiue *Palatinum*. Eſt de Comitibus eiuſmodi , eorumque officio , elegans locus inter Epiſtolas Io-

hannis Sareſberienſis, Carnotenſis Epiſcopi, quas è Bibliothecâ Papirij Maſſoni, Pariſijs in lucem edidit eius frater Iohannes Maſſonus, Epiſtol. 263. ad Nicolaum Vicecomitem Eſſexiæ.

COMITES, inquit, *à Societatis participatione dici, quiſquis ignorat, ignarus eſt litterarum, quas liberalis inſtitutio primas tradere conſueuit. Nam ſicut alij Præſules in partem ſolicitudinis à Summo Pontifice euocantur, vt ſpiritualem exerceant gladium: ſic à Principe in enſis materialis communionem, Comites quidam, quaſi Mundani Iuris Præſules aſciſcuntur.* Florebat hic Epiſcopus anno 1160. qui & ibidem horum *Comitum* duo in vniuerſum facit genera: *Et quidem*, ait, *qui hoc officij gerunt in Palatio, Iuris authoritate Palatini ſunt: qui in Prouincijs, Prouinciales.*

Atque hi *Comites* in Franciâ, eſſe ſolebant Iudices Ordinarij. Itaque Gregor. Turonenſis, de S. Nicetio agens, Armentarium Comitem ait, *Lugdunenſem vrbem poteſtate iudiciariâ gubernaſſe.* Caroli Capitulare, lib. 4. ca. 5. *Volumus*, inquit, *vt Comites, qui ad cuſtodiendam maritimam deputati ſunt: quicumque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de Iuſtitiâ faciendâ ſe non excuſet propter illam cuſtodiam, ſed ibi ſecum ſuos Scabinos habeat, ſi ibi placitum teneat, & iuſtitiam faciat.* Vide idem Capitul. lib. 2. cap. 6.

Huc

Huc ſpectare videtur, quòd Lipſius, Louan. lib. I. cap. 10. Comites Germanis Grauiones dictos (teſte Paulo Diacono lib. 5. Hiſtor. Longob. cap. 36.) ſuſpicatur à ſcribendo, Græc. γράφειν. Nam Iudicia pleraque omnia non ſine multâ ſcriptione peraguntur. Sed non eſt mei inſtituti, hæc talia minutè explicare. Satis mihi eſt, ſi Lector intelligat, quæ ad S. HVBERTI hiſtoriam ſpectant.

XVIII. QVADAM *die ſolemni.*] In eo ferè conueniunt antiqua monumenta, quòd ſacratiore aliquo die, hoc venationis exercitium HVBERTVS vrſerit, cum ei diuinitus Chriſti Crucifixi ſpecies, Ceruo præferente, obiecta eſt. Alij tamen Chriſto Naſcenti, alij Patienti, alij Reſurgenti ſacras fuiſſe ferias volunt.

XIX. APPARVIT *ei quidam Ceruus.*] De hâc prodigioſâ apparitione, quia aliquanto plura dicenda ſunt, commodius dici poſſe exiſtimaui in QQ. Hub. Itaque vide Q. 3. Id tantum hoc loco indico, Credibilius eſſe, non hoc tempore contigiſſe, ſed poſtquam ad Pipinum iam migrauerat. Hoc enim in MSS. paſſim lego. Sed iſtud cum reliquis, eo loco, quo dixi.

XX. EBROINVM *ad omnem malitiam promtiſſimum.*] Eius malitiæ, vt alia ſileantur, illi amariſſimi fructus fuêre, quòd S. Lambertum, alioſque multos Epiſcopos, dignitate ſuâ deturbauit, multos exilio relegauit, Phara-

mundum quendam Leodienſi Epiſcopatu donauit, Leodegarium Epiſcopum ſanctiſſimum, fratremque eius Gerinum atrociter occidit: denique Franciam totam ſæpius perturbauit.

XXI. FRANCIAM *Sequanorum deſeruit.*] Satis conſtat, *Sequanam* fluuium, ipſam Galliarum Metropolim Pariſios plurifariam ſecare. Ab hoc fluuio ea Galliæ pars nomen obtinuit, atque etiam ipſi Incolæ. Maximè autem hoc nominis additur ad diſtinctionem huius Galliæ, ab eâ, quæ proximè memoratur.

XXII. IN AVSTRIAM.] Caue illam intelligas, quæ & *Superior Pannonia* dicta. Alia hæc eſt, quæ frequentius *Auſtraſia* vocata apud huius ætatis ſcriptores reperitur. Eius fines deſcribit Nicol. Canonic. Leod. in vitâ S. Lamberti, cap. 6. illis verbis: AVSTRIA *dicebatur ea pars Regni Francorum, quæ à Burgundiâ, vſque ad mare Friſonum extenditur, & hinc Rheno; illinc Siluâ Carbonariâ, ſeu Hannoniâ concluditur.*

XXIII. AD PIPINVM DVCEM.] Eſt hic *Pipinus Herſtallus*, Filius Anſigiſi Maioris-domûs, & Beggæ filiæ Pipini Landenſis. Dicitur & *iunior*, & *ſecundus*, & *Craſſus*. Ad hunc ergo Principem, ſiue Ducem Auſtraſiæ, ſiue Maiorem-domûs, S. HVBERTVS, tamquam ad cognatum, confugit: & quòd nihil illi timendum videbatur, hoc protectore, ob cauſam, quam iam noſter Author ſubiungit.

XXIV.

XXIV. TYRANNOS *omnes oppreſſerat.*] Huius Principis fortitudo, & aliunde nota, & quòd Theodoricum Regem, ſimulque Bertharium Maiorem-domûs prælio vicit, & huic ſuccedens, etiam Franciæ Sequanorum Maior-domûs factus eſt. Idem Ratbodum Friſonum Ducem, ſuperauit, citerioremque Friſiam occupauit. Vnde & S. Willibrordus, qui hâc tempeſtate viuebat, cum Suitberto, alijſque ſocijs, ab ipſo Pipino veniam impetrarunt in Friſiâ Verbum DEI diſſeminandi. Denique is euaſerat bellicâ fortitudine Pipinus, vt eum nemo aggredi auderet. Vnde ait noſter Author, *Omnes ab eo Tyrannos oppreſſos.* Felix, niſi eum libido ſibi ſubieciſſet, dum Plectrudi, Coniugi, infamem concubinam Alpaidem ſuperduxit.

XXV. AMITA SVA ODA.] Celebratiſſimæ ſanctitatis matrona. Præclarum eius elogium eſt apud Nicol. Canonic. in vitâ S. Lamberti, cap. 13. *Doctrinam Sancti Pontificis*, inquit, (videlicet Lamberti) *gratanter expetebat, depoſito ſecularis gloriæ ambitu, humiliter ſedens ſecus pedes eius, audiebat aſſiduè ab eo verba caſtitatis, & ſobrietatis; quæ in corde ſuo, tamquam in bonam terram ſemen recondens, & in his, die ac nocte meditans, retulit in tempore ſuo*, DEO *acceptum ſanctæ viduitatis fructum ſexageſimum.* Sigebertus breuius anno D.711. *Sancta Oda, vxor Boggis Ducis Aquitanorum,* *ſancti-*

ſanctitate claret in Galliâ, quæ Eccleſias DEI *ſuâ ditauit munificentiâ, & moriens, in Leodicenſi quieuit Parochiâ.* Cæterum Catachreſi HVBERTI *amita* dicitur: nam *Matertera* erat, Matris, inquam, non Patris, ſoror. Eleganter Happart de huius ſanctæ patre ſcribens: *Inter cæteros*, ait, *quos generauit, liberos, binas oliuas,* ODAM, *&* HVGBERNAM, *laudis ſcilicet, & vbertatis, produxit.* Alludit, vt vides, ad voces, alteram Græcam, Latinam alteram. Perperam aliqui, contra omnium Chronicorum fidem, *S. Odam* faciunt S. HVBERTI *ſororem*, alij *auiam*; niſi & eodem nomine aliæ fuerint. Certè neutra fuit hæc noſtra, de quâ hîc agimus, Oda. De quâ plura vide apud Molanum 23. Octob. & Anſelmum in vitâ S. Lamberti, cap. 10.

XXVI. BOGGIS *Aquitanorum Ducis vidua.*] Duos eodem tempore vixiſſe hoc nomine in Aquitania, diſcimus ex antiquis chartis, ex quibus ita diligens Happart: *Hic eſt ille glorioſus, ac Chriſtianus Princeps Boggis, qui cum eiuſdem nominis Satrapa, Principe Pictonum, marito Diuæ Odæ, Imperatori Heraclio Perſas expugnanti ſuppetias venit, &c.* Itaque prior ille, & ſenior eſt S. HVBERTI *auus paternus*: poſterior eſt affinitate *auunculus.* Sed hic quomodo erat *Aquitaniæ Dux*, viuo *Bertrando* noſtri Diui Patre? Arbitror, ſic *Ducem* dici, vt intelligendus ſit, eſſe vnus, ex Aquitanis

nis Ducibus, ſiue Principibus.

XXVII. IN PAROCHIA TVNGRENSI.] Sic vocat *Tungrenſem Epiſcopatum.* Vbi attende, non vocari *Traiectenſem*, ſed *Tungrenſem.* Nam Traiecti plurium Epiſcoporum hoſpitium, & commoratio fuit: at Epiſcopatus *Sedes* nunquam. Sed hac de re oportunior locus erit, cum de translatâ ſede Leodium, agitur.

XXVIII. ALIQVAMDIV *conuerſaretur.*] Plures annos cum Pipino HVBERTVS egit. Vide QQ. Hub. Q. 1. Neque interea otio, & vanis aulicorum occupationibus marceſcebat tanti Heroïs indoles. Nam Pipinus, inquit Happart, *Præpoſituram, quam palatij, domuſque Regalis dicunt, nepoti ſuo* HVBERTO *gubernandam tradidit.* Hanc quo modo adminiſtrauerit, paulò pòſt ſubiungit: *Omnibus omnia factus fuit in Chriſto, ita vt vnanimi voto felicem prædicarent terram, quæ tali Principe regeretur.* Hoc eodem tempore idem Happart rectè ponit HVBERTI felicem illam *venationem*, quâ à Chriſto ipſe captus eſt, vt exponimus Q. 3.

XXIX. DESCENDIT *Traiectum.*] Ibi enim, vt paulò antè dixi, vrbe *Tungris* miſerè vaſtatâ, habitabant Epiſcopi *Tungrenſes.* Ait deſcendiſſe, quod *Iupiliæ* HVBERTVS cum Pipino Principe degeret, qui locus, Leodio proximus, quatuor fere leucis *Traiecto* diſtat, ſic, vt nauigare volenti, *Traiectum* ſecundo

flumine Moſâ adeatur. *Traiectum* autem intellige *ſuperius*, quod & *Moſæ* vocant. Quod addo propter turpem quorundam errorem; qui cum altero *Traiecto* miſcent, quod *Inferius* dicitur, & *Vltraiectum*. Huius, quo tempore Lambertus Tungrenſis Epiſcopus erat, & poſt cum HVBERTVS, Epiſcopalem ſedem tenebat *VVillibrordus*, familiariter cum vtroque verſatus. vt ex eius vitâ apparet, quam à *Thiofrido* conſcriptam, breui, fauente DEO, tibi dabimus.

XXX. ASCRIBI DIVINVS *obſequijs*] *Clericorum* ſtatum, & vitam intelligit. Nam hi peculiari ratione ſic DEO dicati ſunt, vt ſolus ſit eorum *Pars hæreditatis*. Hanc eſſe huius loci ſententiam, tum ex eo conſtat, quod Connubium obſtitiſſe mox ait; tum quod proximè adiungit, nouo viuendi genere *Clericum* potius ſe exhibuiſſe, quàm militem.

XXXI. COPVLA *legitimi connubij.*] Omnino vxorem habuit noſter HVBERTVS; & quidem FLORIBANAM, Comitis Louanienſis filiam. Nomen eius Comitis edit Happart *Dagobertum*, quem facit filium *Andreæ*, & hunc alterius *Dagoberti*. Addit & fratrem *Floribanæ* fuiſſe *Sigibertum*. De patre *Floribanæ* lego itidem in antiquiſſimo MS. Gallico, *Dagobertum* vocatum. Iam, quoniam non ſatis conſtat, quando tandem HVBERTVS per vxoris mortem, coniugij legibus ſolutus ſit,

nec

nec alibi commodius id dici poſſit, quàm hîc; ex eodem Happart addo, *Floribanam*, vt alteram Rachel, partûs dolore exceſſiſſe, eo partu, quo *Floribertum*, tamquam alterum Beniamin, edidit: De *Floriberto* S. HVBERTI filio, infrà. Si cui minus placebunt, quæ de *Louanienſibus Comitibus* tam antiquis diximus, quòd non facilè fortaſſis alibi legantur: is cogitet, Cum tam multa alia monumenta antiqua perierint, nihil mirum eſſe, ſi ad Brabantica quoque clades peruenit. Sed noſtrum eſt, in tantâ iacturâ, non alia quoque abijcere, quæ, velut ex magno naufragio tabularum, fragmenta, ſuperſunt. Rectè, inquis, ſed cum iudicio, ne ex vano quoque hauriamus. Accuratum iudicium fateberis, opinor, fuiſſe *Iuſto Lipſio* Criticorum oculatiſſimo. Is in Louanio ſuo (lib. 1. cap. 8.) cum vana quædam reieciſſet, vt oportuit, *Magis fortaſſe certâ memoriâ inquit, in vita Diui* HVBERTI, *cui vxorem Floruinam tribuunt, & ſocerum Floribertum, Comitem Louanienſem.* Nulla ratio patitur, vt minus fidei adhibeamus reliquis, quæ in eâdem vitâ legimus.

XXXII. PER EVANGELICAM *iuſſionem.*] Angelus, DEO iubente, id iuſſit. Hoc tam bonum, & lætum nuntium *Euangelicam iuſſionem* vocat.

XXXIII. DIGNVS HEROS.] Fortè Author, *Heres*, ſcripſerat. Sed vtrumque rectè;

etſi hoc videtur aptius. Nec tanti eſt, vtrum legas.

Antequam ad Romanam Hvberti profectionem, & Ordinationem accedamus, arbitror, non ſilendum, quod de eius *Pœnitentiâ* plura MSS. tradunt, ſimulque de *Seculi fugâ*. Hæc enim duo, ſi qua alia, ad *Paralipomena* maximè pertinent.

De ijs hunc in modum Happart, poſtquam Vxoris Floribanæ exceſſum narrauit: S. Hvbertvs, *qui iam à multo tempore, dimiſſis ſeculi curis, ſe monaſticis ergaſtulis aut eremo occludere propoſuerat, quantocius ſe ſeculi negotijs abdicauit. Venit præterea Pariſius, vbi Palatini officio potiebatur, & Regi Theodorico, torque, baltheo, veterum more, militaribus inſignijs, ob Chriſti amorem, cui antea militare ſtatuerat, redditis, valedicto, in Aquitaniam conceſſit. Auitam Prouinciam ingreſſus, Patrem poſtremâ valetudine languidum reperiens; collatis, quæ animæ ſalutem, diuinum honorem, & proximi vtilitatem concernebant, paucos poſt dies triſtem eius exitum vidit.* Paulò pòſt: *Bertranno* (ſic vocare ſolet, quem alij Bertrandum) *Aquitanorum Duce hâc vitâ functo, ceſſit Ducatus* Hvberto *ſeniori eius filio. Nihilominus vir Domini* Hvbertvs, *cum & Aquitaniæ Ducatum, & Domus Regiæ Maioritatem, iuſtè, & legaliter obtinere potuiſſet; maluit tamen vniuerſa linquere, quam manum ſemel ad aratrum*

miſſam,

miſſam, retrahere. Iterum infrà Fratrem Eudonem HVBERTVS ſic alloquitur: *En ego, vt noſti, mi Frater, cui debetur prima ſucceſſio, & Principatus hæreditatio: ſed iam me animus aliò ducit, & alterius inſtituti ſuadet inire viam. Tibi, cariſſime frater, omnem mei iuris committo hæreditatem. Tu tantum age, quæ iuſtum decent* Principem, *& hunc filiolum meum Floribertum, dum abfuerim, S. Magiſtro Lamberto traditum paterno fauore proſequere.* Hæc de Abdicatione Principatus. Mox de eius *Pænitentiâ* ita Author: *Traiectum ad virum Domini Lambertum deſcendit. Videres ſecundum* Paulum *Ananiæ manibus ſuppoſitum,* Philippum *Eunucho Euangelizantem, & Antonium, ſeu* P*aulum, Eremi ſolitudinem affectantem. Quamobrem S. Lambertus ipſum inter Anachoretarum ordinem aſcriptum, ad ſingularem Eremi palæſtram iam apprimè inſtructum, contra humanæ ſalutis hoſtem, pugnaturum emiſit. Angelus, inquit, Domini, Frater cariſſime, qui Tobiam incolumem ſeruauit, comitetur tecum: Dominus, qui filios Iſraël, cæleſti in deſerto, alimento pauit, præcedat te diu, noctuque placidâ gratiæ nubeculâ: det tibi rorem benedictionis ſuæ, irriguum fontis aquæ viuæ, & infundat tibi ſpiritum Eliæ duplicatum.* Etſi vbique breuitati, quà poſſum, ſtudeo, tamen hanc magni Antiſtitis Lamberti adhortationem omittere, non fuit conſilium, in quâ videas antiquorum Patriarcha-

rum, & Prophetarum ſpiritum. Quid ad hæc HVBERTVS? Audi, quæ ſequuntur: *Cumque S. HVBERTVS, deuotiſsimis ſubortis lacrymis, reſpondiſſet*, Amen, *in oſculo pacis receſſerunt ab inuicem. Ex doctrinâ ergo S. Lamberti, renuntiatis omnibus, & pauperibus datis; ex diuite voluntarius factus pauper, Chriſtum pauperem ſequi nitebatur.*

Iam de *Pœnitentiæ* modo, iſta ſubiunguntur: *Nihil ſibi retinuit, præter loricam, quam nudam ſuper carnem induit, & hiſpidum indumentum, quo rigorem pœnitentiæ occultaret.* De horrido hoc habitu ſimiliter fere loquitur Cod. Gemblacenſis, qui Sanctorum Vitas continet: *Nihil*, ait, *ſibi retinuit, præter loricam, quam ipſe ſuper carnem ſuam nudam induit, & griſeum tabardum* (eſt hoc hiſpidum illud indumentum quod vocat Happart) *quem deſuper portauit.*

MS. Gallicus Andainenſis *Huberti le Preuoſt*, cap. 8. ait, Pœnitentiam HVBERTO à Lamberto impoſitam: quod credibile omnino eſt; ſed ſic, vt HVBERTVS id enixè petierit. Solitum hoc fieri ab ijs, qui à ſolutiore vita, ad ſanctiorem, ſeriò, & magno feruore aſpirabant. Sic magnus ille Heros *Guilielmus*, S. Bernardi ſuo, ad Eremitam primum; tum ad Pontificem Eugenium, *Pœnitentiæ* causâ ſe contulit. In quâ eius *Pœnitentia*, itidem, præter alia *Loricam* leges, nudo corpori appreſſam. Scio, aliam fuiſſe in HVBERTO noſtro, rationem, qui

qui illius *Guilielmi* horrenda ſcelera nunquam patrauerat: quinetiam, vt ſuprà mihi dictum, optimi Principis ſpecimen, omnibus præbuerat. Sed vtique ſanctos omni æuo id ſibi ſtudio habuiſſe conſtat, vt etiam modicas aberrationes grauibus ſupplicijs vindicarent. Caluini ſoboles hæc rident. Sed *qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Qui, niſi hæc probaret, nunquam eius Apoſtolus *corpus ſuum caſtigaret*, & liuoribus deformaret. Vide, ſi placet, *Gretſerum* noſtrum de *Cruce ſpirituali*, & de *Diſciplinis*.

. Quiuis piè curioſus, *locum* requirat, quo *Pœnitentiam* illam HVBERTVS obierit. Dicat idem Author.

Quærebat inter horridam Arduenni ſaltus vaſtitatem, locum, non qui animo amænior, ſeu quouis fructu vberior; ſed ab hominum conuentu ſegregatus, ſuæ deuotioni eſſet commodior. Eſt enim locus, vti ſeniorum relatu didicimus, & ab incolis eiuſdem aſſeritur, inter abditiſſima Ardennæ latibula, haud longè à Monaſterio Andaino diſtans, vbi inter denſiores ſiluarum latebras, diruti ſacelli veſtigia apparent, in quo S. HVBERTVS *fertur rigoroſam egiſſe pænitentiam. Nullum cibum corporalem, præter herbas, & radices arborum ſumſit: vinum, & ſiceram non bibit, ſed de torrente ſe refocillauit. Multas infeſtationes Dæmonum ſuſtinuit, qui varijs modis, & plurimis portentis ipſum tentarunt, ſed vincere minimè*

Obſcu-

Obſcurius eſt, *quanto tempore* horridam illam vitæ rationem in Eremo, definierit.

Gallicum MS. *Huberti le Prouoſt, ſeptennium* aſſerit. *Gemblacenſe*, duplicato numero, atque etiam anno vno addito, *quinos denos* illi attribuit. Sed mihi priora tempora conſideranti, ſuſpicio eſt de numeri vitio: & malim in *ſeptennio* hærere, eo etiam nomine, quod is numerus frequens in ijs pœnis fuit, quas peccatores, Præſulum Eccleſiæ iuſſu, exantlandas ſuſcipiebant. Etiam hoc addamus, HVBERTVM non ſuâ ſponte vitæ illius ſolitariæ horrorem deſijſſe. Teſtatur id cum *Happart*, MS. *Gemblacenſe*. Hoc, *Miſit*, inquit, *Chriſtus Angelum, ſibi dicentem:* HVBERTE, *exeas Eremum, & vade Romam*. Ille verò addit: *Voluit enim* DEVS *eum reuelare mundo, & ponere ſuper multa, vt eſſet ſemita morum, exemplumque aliorum. Dimiſsâ ergo dilectâ ſolitudine, in primis ad S. Magiſtrum ſuum Lambertum diuertit: cui coram poſitus aiebat: Sancte Pater, deſiderio deſiderauit cor meum Apoſtolorum limina inuiſere, vt peragratis ſacris locis, verbum ſalutis cum Romanæ Vrbis Sanctiſſimo* Præſule *communicare valeam. Æſtimo, vbi Caput eſt totius Eccleſiæ, theſaurum ſeruari remiſsionis, & indulgentiæ. Vt igitur gratiarum, quas Chriſtus* Petro, *& ſuis ſucceſſoribus donauit, particeps effici merear, illuc peregrinari affecto.*. Hæc, bone Lector, à Vitæ Authore prætermiſſa, mecum, opinor, iudica-

iudicabis, à me non fuiſſe prætermittenda.

XXXIV. S. LAMBERTI *vſus conſilio.*] Paulò antè audiuimus, HVBERTVM vltro acceſſiſſe, & de Romanâ profectione cum Lamberto egiſſe. Nimirum, quod HVBERTVS proponebat, adeo Lamberto arriſit, vt non probaret modò, ſed & conſuleret.

XXXV. APOSTOLORVM *viſitare limina.*] Hoſpes prorſus, & infans in hiſtoriâ eſt, qui neſcit, quo ſtudio, quâ pietate, quâ frequentiâ, pia Antiquitas ea Limina peteret. Reges etiam, & vtriuſque ſexus Principes Religionis causâ adibant. Ne in HVBERTO noſtro nimium mireris. Scio, & ad alia SS. loca, religioſas peregrinationes à pijs ſuſceptas, ac potiſſimum Ieroſolymam, & vicina loca, Chriſti ſacroſanctis veſtigijs preſſa. Sed multò frequentius ad duorum iſtorum Principum Monumentum. Nimirum & facilius, oportuniuſque erat Romam, quàm Palæſtinam adire: & alia erat pietatis illecebra, quòd qui Petri Memoriam adibant, ipſius Petri Succeſſorem pariter reperirent. Hanc rationem afferentem noſtrum HVBERTVM paulo antè audiſti, num. 33. Cæterum de *Sacris Peregrinationibus*, quatuor eruditos libros ſcripſit *Gretſerus* noſter, quibus & SS. Patrum de ijs ſenſum, & piorum omnium vſum, & frequentationem oſtendit, & hæreticorum ſannas & blaſphemias, more ſuo grauiter confutat. Vide ſis

caput 13. libri 2. & videbis, *Rompetas* fuiſſe (nam ſic dicebantur, teſte Scholiaſte Sidonij, in Epiſt. 5. lib. 1.) *Carolum Magnum* (de quo Magdeburgenſes Centuriatores ſcribere coguntur ex Eginardo, intra annos quadraginta ſeptem, *quater Romam ad vota perſoluenda, & orandum, eſſe profectum*) *Ceadualdam & Offam, & Coënredum Reges*; & *Theodonem* Baioariorum Ducem. Proximo etiam capite reperies longum Illuſtrium Virorum, ac Mulierum catalogum, qui idem officium piè præſtiterunt. De Ceadualda, & aliquot alijs, iſta refert Venerabilis Beda qui eâ tempeſtate viuebat. Ex quo grauiſſimo Authore, non poſſum, quin ipſius *Cedualdæ* Epitaphium hîc deſcribam, quem teſtatur, dum eam religioſiſſimam Peregrinationem obit, Romæ deceſſiſſe. Id eò libentius facio, quod is Rex HVBERTO noſtro præſens exemplum fuit, cum non niſi paucis annis eum præceſſerit. Nam, vt Venerabilis Author teſtatur, Romam venit Ceadualda anno Chriſti *689.* HVBERTVS verò *696.* vterque, ſedente Sergio, Pontifice. Cuius Sergij iuſſu Sancti Regis monumentum hoc eleganti Epitaphio eſt inſcriptum:

Culmen, opes, ſobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,

Cedual-

Cedual armipotens liquit amore DEI.
Vt Petrum, Sedemque Petri Rex cerneret hoſpes,
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas:
Splendificumq; iubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.
Percipienſque alacer rediuiua præmia vitæ
Barbaricam rabiem, nomen & inde ſuum,
Conuerſus conuertit ouans, Petrumque vocari
Sergius Antiſtes iuſsit, vt ipſe Pater.
Fonte renaſcentis, quem Chriſti gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſupremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias;
Vrbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aſpexit Petri myſtica dona gerens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit:
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

Quid porro tot, ac tales efficeret *Romipetas*, nobili Epigrammate expreſſit *Venantius Fortunatus*, quod eodem iure deſcribam, quo antè Epitaphium:

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, Fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.

Corda per hunc hominum radiantur, & aſtra per illum:
Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cœlis hic dogmate, clauibus alter:
Eſt via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic Petra firma manens, ille Architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara DEO.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.
Hi radiant oculi pretioſo in Corpore Chriſti,
Lumine qui proprio cætera membra tegunt.

Sed HVBERTI Romam euntis veſtigia, quà licebit, aſſectemur.

XXXVI. POST MATVTINORVM *officia.*] Etſi ſcio, rem multò eſſe antiquiorem; tamen etiam ex hoc loco obſerua, contra *profanas hæreticorum nouitates*, ante annos iam nongentos, & eo plures, & *Officium*, quod vocamus *Diuinum*, in Eccleſiâ fuiſſe; & eam partem, quæ *Matutinum* vocatur, *Noctu* peragi ſolitam; & *Summum Pontificem Sergium primum*, quem tota Eccleſia pro *Sancto* ſemper meritò habuit, eidem *Officio* interfuiſſe.

XXXVII. AVRORAM, QVA *Sacerdos Chriſti Lambertus.*] Godeſchalcus in *Lamberto*, cap. 7. clarè ait, hunc ſanctum, tum ſuos excitaſſe *ad ſoluenda* DEO *matutinæ laudis munia, cum nox paulatim rareſcentibus tenebris, pene vſque ad diluculum decucurrerat.* Tum cap. 8. ait, mox

mox affuiſſe *Dodonem* percuſſorem, cum diris illis ſuis ſatellitibus. Quod optimè cum hoc loco quadrat.

XXXVIII. ANGELVS DOMINI *in viſione ei aſſiſtens.*] Equidem ſcio, beatos illos *Spiritus, omnes in miniſterium mitti, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* (Heb. 1. 14.) Sed, cum varia miniſteria exhibeant, haud ſcio, an aliquod frequentius, quàm hoc ipſum; quod eſt *Eccleſijs Rectores à* DEO *miſſos, & inſtitutos, indicare.* Non longè abierimus. Ad eumdem *Sergium* miſſus Cæleſtis Nuntius, *VVillibrordum* Vltraiectinæ Eccleſiæ Epiſcopum ſacrari iubet. Quod eodem prorſus anno contigiſſe videtur, quo *Tungrenſi* HVBERTVS datus, id eſt, ſexcenteſimo, nonageſimo ſexto. Teſtatur hoc Thiofridus in vitâ S. *VVillibrordi*; quam mox poſt hanc S. HVBERTI, DEO opitulante, tibi exhibebimus. Interea vide, ſi lubet, eumdem Thiofridum in Floribus Epitaph. SS. à nobis nuper editis, lib. 4. cap. vlt.

XXXIX. TVNGRORVM *Epiſcopus.*] Hunc quoque locum nota, Lector, ex quo, Angelo ipſo docente, cognoſcas, ad id vſque tempus, Epiſcopos omnes *Tungrenſes* fuiſſe, non Traiectenſes. Quâ de re, in Quæſtionibus Hubb. Quæſt. 6.

XL. INTRA *Sanctuarium Domini.*] Paulò antè mihi laudatus Godeſchalcus Canonicus Leodienſis, *Oratorium SS. Coſmæ & Damiani,*

ingreſſum Lambertum ait, cumque ibi oraret, à nefario parricida Dodone, fuiſſe mactatum. Sic decuit ſacram Hoſtiam cadere ad Aras. Vide illum, cap.8.

Plura de S. Lamberti vel ſanctitate, vel Martyrio afferre, inſtituti mei non eſt. Habes apud vnum Chapeauille tom. 1. quinque diligentes eius vitæ ſcriptores, aut etiam ſex, ſi Additiones addas Ægidij Aureæ-Vallis. Ex his omnibus, alijſque idoneis Authoribus, magni illius Martyris res geſtas, recens accuratiſſimè deſcripſit noſter P. *Iacobus Simonis*. Hunc ſuadeo, & compendij, & plenæ cognitionis causâ, legas.

XLI. En eivs Pastoralem *Baculum*.] Hui! tam cito? Cuinam hoc ſit credibile? inquit Lucianus aliquis, aut Caluinus. Catholicis hoc credibile eſt, ô impie. Cur hoc minus fidem mereatur, quàm *Habacuc* ab Angelo, capillo apprehenſum, *è Iudæa in Babylonem translatum in impetu ſpiritus ſui*, & ab eodem *reſtitutum* Confestim *in loco ſuo*? Daniel. 14. v. 35. & 38. Vis recentiorem, neque minus miram hiſtoriam de Nobili Viro *Bacquevile*, è miſerandâ ſeruitute Turcicâ, ad Prædium ſuum, vna nocte, dum dormiret, nec ſentiret, translato? Pari fide, & elegantiâ deſcriptam inuenies à *Richomo* Noſtro, in *Peregrino Lauretano*.

De Epiſcoporum *Pedo*, ſiue *Baculo*, quid ego

ego multa hoc loco congeram ? De eo, alijſque id genus ornamentis, & cæremonijs diligenter ſcripſerunt *Durandus*, & *Durantus*, non magis nomine, quàm librorum Argumento ſimiles. Illos, ſi placet, conſule. Vnum modò hic addam, obſeruatu amœnum, & à paucis fortè obſeruatum. Solebant amici Epiſcopis recens creatis, gratulationis ergo, muneri mittere *Baculum*. Non habeo exploratum, fueritne *Pedi* formâ; an eiuſmodi dumtaxat, ex quo *Pedum* facilè fieret. Quid ſi vtriuſque generis fuêre ? Iudicabunt eruditi Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſcrutatores. Exempla huius moris alij alia notauerint. Ego duo indico, non procul à ſe diſſita. Inter Epiſtolas *Stephani Epiſcopi Tornacenſis*, ex Bibliothecâ *Papiry Maſſoni* editas, quæ ordine eſt 233. Abbatis eſt, & conuentus *Siluæ Maioris*, ad *Tornacenſem Epiſcopum*. Hunc ibi ſic alloquuntur illi: *Mittimus autem veſtræ cariſſimæ Paternitati, in ſignum deuotionis, & pignoris perpetuæ ſeruitutis, munuſculum indignum dignitate veſtrâ, ſed Officio congruum,* BACVLVM *videlicet Cypreſſinum, attendentes, non quantum, ſed ex quanto proferatur, præſumentes de illius exemplo, qui plus reſpexit ad Abel, quam ad munera eius,* &c. Ita ibi. Proxima Epiſtola 234. ἀνεπίγραφος, videtur ab eodem Abbate, & Conuentu, vel à ſimilibus, ad *Epiſcopum Aurelianenſem*, recens electum, ſcripta. Quicumque ij ſunt, ſic ſcribunt:

bunt: *Munuſculum vobis mittimus, de remotis partibus nobis miſſum*, BACVLVM PASTORALEM *Cypreſſinum, Officio veſtro, & qualitate myſterij congruum, & quantitate miniſterij condignum.* Scripta ſunt hæc ante annos fere 450. quo adhuc tempore, è *ligno Epiſcopalis Baculus* erat. Etſi non eſt dubium, alibi fuiſſe, qui iam tum, auro, argentoque ornatus cauſâ, vterentur. Cæterum, quod vterque iſte dono miſſus *Baculus, Cypreſſinus* fuerit; tum commendationem habet à peregrinâ nouitate: tum, velut Hieroglyphicum, Epiſcopum geſtatorem tacitè commonet, eas virtutes ſectetur, quas Scriptura Diuina, & SS. Patrum monumenta, eâ Arbore commendarunt. Vide B. Gregorium Magnum, & alios, in primum cap. Cantic. ver. 16.

XLII. IN HOC SVBSTITVES *ad Regimen Tungrenſis Eccleſiæ.*] *In hoc Baculo*, valet, *Hoc Baculo adhibito; hoc ei in manum dato.* Hebræorum idiotiſmus eſt, qui nihil non per particulam IN, efferunt. Solet in ijs, quas *Inueſtituras* vocant, eiuſmodi aliquid adhiberi vel cæremoniæ, vel geſtaminis. Paſſim iſta occurrunt. Vide Petrum Gregor. in Syntagmate. Sed, quod maioris eſt momenti, & ſerio notandum, illud eſt, DEVM, æternam Sapientiam, Eccleſiæ ſuæ Ritus ſic honorare, vt Angelos quoque ijs ſubſeruire velit. Sic ſe eorum Rituum *Authorem* oſtendit. Non multò pòſt

ſimile

ſimile de *Pontificali Veſtitu*, audies, ac maximè de *Stolâ*. Erubeſcant hæretici, nihilo plus ſacri geſtantes in Eccleſiâ, quàm in harâ. Sed rectè illi, qui in Profanâ religione, nihil volunt ſanctum.

XLIII. AD APOSTOLORVM *Limina venientem inuenics.*] Solebant Sancti Viri tantos honores, non venari, vt hodiè fieri videmus; ſed ſtudioſè declinare, atque etiam, quæſitis latebris, omni ope fugere. Sed Qui *ludit in Orbe terrarum*, hunc ludum gaudet ludere: Comprehendit illos nec opinantes. Sic Ambroſium infans Epiſcopum conclamat: ſic Nicolaum peregrinum, atque etiam tum peregrinantem, ludentis Numinis aſtutia Myram ducit, & Eccleſiam diluculò petentem, velut inſidijs capi iubet. Cæterum, vt olim Saulum per Ananiam erudiri voluit: ſic HVBERTVM, non niſi per Vicarium ſuum, Summum Eccleſiæ ſuæ Pontificem, ſacrari. Hæretici viderint, cuius Spiritus ſint, qui Eccleſiæ Hierarchiam, & Ordinem, quod in ſe eſt, tam indignè, tam ſacrilegè conculcant.

XLIV. OMNIBVS PONTIFICALIBVS.] Veſtes intellige, & Ornatum ſacrum, quo Pontifex ſacrificaturus, aut alia Muneris ſui ſolemniter exibiturus, amicitur. S. Paulinus in quodam Epigrammate vocat *Almam Pompam ſacri Miniſterij.* Cui otium, & lubentia, legat Durandum, & Durantum.

XLV. Stola Serica.] Vidi Stolam illam ſæpius. Planè textile eſt, cuiuſmodi hic deſcribitur. Sed Diuinæ illius Stolæ admiranda hoç loco exponere, meo animo ſit, longè *Notarum* modum excedere. Itaque, cum non deſint explicandæ de eâ difficultates, id commodius in Quæſtionibus futurum iudicaui. Vide igitur Quæſtionem quintam.

XLVI. Ecclesiæ *Tungrenſis Patrona.*] Ab ipſo B. Materno, primo Epiſcopo, eam Eccleſiam Deo dicatam, & Virginis honori, ac tutelæ conſecratam ferunt. Quid mirum? toto Orbe id certatim factitatum. Neque modo Eccleſiæ, ſed & Ciuitates, & Regiones totæ, ac Regna in tantæ Virginis ſe patrocinium contulerunt. Integri voluminis ſit, eam pietatem ſigillatim oſtendere. Quin plura iam volumina extant, eaque non modica. Vide, qui poſt reliquos ſcripſit, & gratâ methodo, ac breuitate multa complexus eſt, Ferreolum Locrium in Maria Avgvsta.

XLVII. Tradens *ei Clauem, quaſi auream.*] In longo illo, & alijs multis Eçcleſijs inuidendo, Epiſcoporum Tungrenſium, & Leodienſium, Catalogo, duobus Cæli Clauiuiger Petrus Clauem dedit; *Seruatio*, qui Traiectum Tungris habitationi prælegit; & Hvberto, qui ipſam Epiſcopalem ſedem Tungris Leodium tranſtulit.

XLVIII. In Potestatem *ligandi, atque*

que

que ſoluendi.] De S. Seruatio agens Ægidius Additione ad Harigerum, cap. 27. ita ipſum S. Seruatium loquentem facit: *Hoc munere per clauigerum cæli dato, noueritis* (Tungrenſes ſuos, durum tunc genus, alloquitur) *vobis correctis, me cælum aperire; incorrectis autem claudere.*

XLIX. LVNATICIS, *furioſiſque ſanitatem conferendi.*] Nihil hodie notius. Res ipſa, & quotidiana experientia clamat. Sed ſpectat hoc ad alteram huius Hiſtoriæ partem, quâ S. HVBERTI *Cultum propagatum*, & *Admiranda* proſequemur.

L. SERVATVR *in Eccleſiâ B. Petri Leodij.*] Id mihi ſtudio habui, bone Lector, vt *Clauem* illam viderem, quò certius quid ad te afferrem. Itaque cùm aliquando neçeſſaria profectio Leodium me duxiſſet; acceſſi admod. Reuerendum, & Eruditum virum D. *Nicolaum Gerard à Muno* Eccleſiæ S. Petri *Decanum*. Ille, quâ eſt humanitate, recta ad Templum, & in ipſum Sacrarium me deducit: *Clauem* depromit, ſpectandam, & contrectandam porrigit. Sed quid tibi dicam, mi Lector? fateor, id mihi humanitus contigiſſe, ægrè vt adducerer ad credendum, illam eſſe Clauem, quæ noſtro ſancto, à S. Petro donata eſſet, & de quâ vitæ Author hoc loco. Attende, ſis, quid velim. Neque nego, S. HVBERTO Clauem à Cæleſti Clauigero datam; neque eam Cla-

uem in S. Petri Eccleſiâ fuiſſe aſſeruatam. Sed, vt ea, quæ hodie inibi oſtenditur, & mihi tum exhibebatur, ea ipſa ſit, id verò eſt, quod mihi ægrè perſuadere poſſum. Nimis vilis materia eſt, nimis abiectum artificium. Itaque in eam ſententiam veni, vt crederem, veram illam, bellorum, aut quâ aliâ iniuriâ, ſubductam; aut deperditam: & ne eius memoria prorſus deficeret, eam, quæ modò eſt, vtcumque ſimilem, neque ab optimi artificis manu, fuiſſe ſubſtitutam. Hæc, quantumuis mihi certa, nunquam tamen vulgare auſus fuiſſem, niſi, re cum ipſo R. Decano, communicatâ, cum mihi vltro aſſentientem habuiſſem. Cæterum illa altera S. Seruatio data, Traiecti, in eius Eccleſiâ, oſtenditur.

LI. AVDITA *eſt vox deſuper eâdem horâ.*] Habet hoc etiam Ægidius, Additione ad Anſelmum in Lamberto, cap. II. apud Chapeauille, tom. I.

Atque hactenus iſta ad *primam* Vitæ S. HVBERTI partem nobis notata ſint.

Iam, antequam Epiſcopi HVBERTI heroïca facinora proponamus: de eius Româ Traiectum reditu, non contemnenda PARALIPOMENA quædam notemus.

PRIMVM de DODONE ſit, S. Lamberti nefario parricida. Miſerabilis eius interitus, vltore Numine, ad S. HVBERTI hiſtoriam pertinet, eâ ratione, quam ex fideliſſimo *Happart* aſſero,

affero, ſed verbis meis, vt plura in pauca cogam.

DODO, cum quæ Romæ geſta eſſent, famâ vulgante, cognouiſſet: HVBERTI iuſtas increpationes veritus, quas par erat expectari à tanto Lamberti, dilectiſſimi ſui Magiſtri amatore: etiam illum, inſidijs exceptum, è medio tollere aggreditur, contractis in id ſcelus non paucis ſicarijs. His aduentanti iam HVBERTO propinquantibus, imperterritus ille, vt olim Martinus, ſignum Cruçis obijcit, totius periculi ſecurus. Huius virtute ſigni, ruit mox conſcelerata phalanx: è quibus inopinatâ morte quidam ſublati: alij Epileptico morbo correpti: quoſdam immiſſi diuinâ virtute Cacodæmones ingreſſi. Denique nonnulli phreneſi, & *ſpumante rabie*, vt loquitur *Happart*, *ſunt plagati*. De his quatuor nefariorum hominum plagis, eadem planè habet MS. Gemblacenſe. Ipſe *Dodo*, quid? Nihil de illo ſeorſim *Happart*. Sed *Renerus* in Lamberto, cap. 24. miſerandum eius exitium non ſiluit, nec ego ex illo:

Apparens Lambertus nocte, inquit, *Theſaurario nomine Amalgiſilo, iudici olim ſuo, blando iam alloquio compellabat. Qui de causâ aduentus ſui ab eodem viro diligenter inquiſitus: Romam, inquit, iuimus; Româ ecce redimus, viſitaturi Dodonem, & complices eius: ſanguis enim innocentum, qui mecum pro Chriſto ſuper terram*

effuſus eſt, iam iamque à DEO *expetit vindictam, nec ſuam* DEVS *ab eis gratiam elongauit.*

Ex his *Reneri* verbis, illud non otioſè tranſeundum, quòd ipſe quoque Lambertus cum HVBERTO Romæ fuerit, & cum eodem redierit, mortuus cum viuo, vt eum ad iuſtiſſimam vindictam, DEO vrgente, animaret. Sed audi iterum *Renerum*:

His dictis, diſparuit. Sed quia viſio non fuit phantaſtica, rerum exitus docuit. Dodo nempe Sancti Antiſtitis interfector, ſtatim incurrit iram diuinæ vltionis, & omnia intralia (ſic vocat, Inteſtina) *putrefacta & fœtida, per os ſuum proyciens, oſtendit omnibus infelicitatem ſuam per miſerabilem vitæ exitum: & qui hîc pompa ſeculi abuſus eſt, deputatus eſt in inferno, igni inextinguibili, & vermi non morienti. Fertur etiam, quod propter intolerantiam nimy fœtoris, corpus eius in fluuium Moſam proiectum, ſit vermibus, & tabe corruptum: nec aliam ſepulturam meruerit, qui miſerabilem tanti criminis acquiſiuit memoriam. Dodoni in crimine æquandus ille, qui Sanctum* DEI *ſuis manibus peremit. Fratri ſuo miſer bello congreditur, & fratrem perimens, mutuò à fratre perimitur. Vt paucis omnia concludam, infra anni ipſius ſpatium, vix aliquis euaſit, qui in nece Martyris reus fuit. Et, ſi quis ſuperfuit, intantum ſe, aut ſenſu* (ſcribendum fortè, *ſenſum*) *perdoluit annullari, vt illos felices duxerit eſſe, qui citatâ, quamuis miſerabili,*

morte conſumti ſunt. Hæc *Renerus.* Eadem fere de *Dodonis*, & ſatellitum fine *Godeſchalcus*, Martyrio *S. Lamberti* ita tempore vicinus, vt ab ijs facilè intelligere potuerit, qui totam tragœdiam coram ſpectauiſſent. Florebat enim anno 770. cum res accidiſſet anno *696.*

ALTERVM ſit de *Alpaide*, Dodonis ſorore, Pipini concubinâ, viuâ eius vxore Plectrude: quæ, tamquam altera Herodias, totius mali cauſa fuit. Hoc tanto gratius Lectori eſſe decet, quòd non temere alibi reperias. Certè quinque diuerſi ſcriptores, quos de vitâ S. Lamberti Chapeauille edidit, alto ſilentio, quæ de Alpaïde ſunt, prætereunt. Non prætereit *Happart*, qui de eâ ſimul, & de Pipino ea tradit, quæ compendio hîc meis verbis deſcribo.

Pipinus, vbi primum certo nuntio accepit, cognatum ſuum HVBERTVM Lamberto ſucceſſiſſe, ſplendido cinctus comitatu, ſalutandi, & gratulandi causâ ad eum, Traiectum venit. At HVBERTVS, Sacerdotalis authoritatis, & grauitatis memor, diuini honoris zelo ardens, negat ſibi quicquam cum illo aut eſſe, aut fore commune, prius, quam ad mentem redeat, Plectrudem vxorem recipiat, Alpaïdem pellicem eijciat. Denique addit, ſe ei Eccleſiæ communione interdicturum, niſi reſipiſcat, idque palam orbi facturum. Pipinus, DEO cor eius tangente, ſe aliquando,

pecca-

peccatumque ſuum reſpiciens, iurat, ſe in Hvberti futurum poteſtate. Ac primum omnium, miſſis properè litteris, ac nuntijs, Vxorem reuocat, eamque eo deinceps loco habet, quo coniugij iura iubebant. Tum, vt Deo, ſuiſque ſubditis, ſcandalum paſſis, quadamtenus faciat ſatis, vicino loco, *Orpen* dicebant, Eccleſiam extruit honori Virginis Deiparæ, ſanctique Martini.

Alpaidem in peccatis inueteratam, obduratamque Hvbertvs anathemate percutit: mox, rectius ſapientem, *Beliſienſi* Eccleſiæ includit, lacrymis, & ſpontaneis pœnis peccata expiaturam. Vnde in recens extructum Monaſterium *Orpen* tranſire iuſſa eſt, quò Pipinus ex *Niuellenſi* Parthenone, ſacras virgines, Deo, & ſibi victuras euocauerat. Sed manebat eam zelantis Dei vltio, quam S. Lamberti innocens ſanguis expetebat. Verba iam Happart accipe: *Sed audi parumper, quorſum res deuenit. Plaudus Comes d'Oſterne, frater S. Lamberti (bellico tumultu inter Principes, oportunitatem præſtante) in Orpen venit, euulſamque Alpaïdem igne combuſſit; Martello* (erat hic Alpaïdis filius ex adulterio Pipini) *rem, ob ſæui Martis furorem, diſſimulante.*

Ad Extremvm, Quo ſtatu Tungrenſis Eccleſiæ res hoc tempore eſſent tradi hîc poterat: niſi & quæ hactenus dicta, & quæ mox dicentur, id, quantum ſat eſt, oſtenderent.

Sola

Sola lectio Vitæ S. Lamberti curioſo homini poteſt facere ſatis. Et, qui plura volet, videat ſparſim ad Lamberti, & HVBERTI Vitam à Chapeauille, tom. 1. annotata. Suggeret etiam quædam Vita S. Landoaldi Archipreſbyteri à Notgero Leodienſi Epiſcopo ſcripta. Habes apud Surium, in Martio. Adde & Molani Recapitulationem, poſt Natales SS. Belgij. Ad alteram iam Vitæ S. HVBERTI partem, quæ de eius Epiſcopatu eſt, accedamus.

LII. INCIPIT *Epiſtola Ionæ Epiſcopi ad VValcandum Epiſcopum.*] Hanc Epiſtolam Surius non habuit, certè non edidit, vti neque ſequentem. Habent antiquæ Membranæ *Andaïnenſes.* Habet & *Codex Cæſareus Bibliothecæ Viennenſis:* cuius indicium fecit Clariſſimus vir *Marcellus Vranckheim*, I. C. mihi amiciſſimus.

Sed quis iſte IONAS? Niſi *Epiſcopus* ſcriberetur, procliue erat, dicere, fuiſſe Walcandi Epiſcopi vel domeſticum quempiam, vel Preſbyterum, vel Monachum. Nunc *Ionas* aliquis *Epiſcopus* reperiendus eſt, & quidem, qui ſtylo valeat, & ſic valeat, vt dignum ducat Walcandus Leodienſis Epiſcopus, quem roget, vt ſcriptam ante annos 90. S. HVBERTI vitam quoad ſermonem, *corrigat*, &, vt ipſe Ionas

ait, *ſecundùm regulas loquendi, conſtringat.* Hunc ipſum Epiſcopum *Ionam* oportet vixiſſe cum *VValcando* Epiſcopo, qui Leodienſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit anno Chriſti 810. adminiſtratione, & vitâ abijt 832. Hunc igitur talem dum quæro, alium reperio neminem præter Ionam *Epiſcopum Aurelianenſem,* qui, vt illius Eccleſiæ Annales teſtantur, florebat anno Domini 830. Florebat autem etiam ſcriptis. Extant hodieque tomo 4. Bibliothecæ SS. Patrum huius *Ionæ* libri tres *de cultu SS. Imaginum contra Claudium Taurinenſem Epiſcopum, Iconomachum.* Hunc igitur *Ionam* huius, Epiſtolæ ſcriptorem facio, atque etiam ipſius Vitæ S. hvberti iam Epiſcopi: ſed huius *Scriptorem* tantum, non etiam *Authorem* primum; qui totis centum annis *Iona* anterior, quæ ipſemet viderat, ſcriptis mandauerat, ſed ſtylo parum felici aut Latinọ; quem *Ionas* à *VValcando* rogatus, limatiorem fecit. Porrò quâ fide in hâc metaphraſi verſatus ſit, dicit ipſe hâc ad *VValcandum*, Epiſtolâ; vbi de antiquo ſcriptore loquens ait: *Fidem dictorum illi attribuimus, nec alia cudimus, quàm ab eius relatione comperimus.* Neque verò aliter vel *VValcandus Ionæ* operam accepiſſet, vel authoritatem in vulgus eadem opera habuiſſet, cum tot eſſent, qui Antiquam Vitam cum legiſſent; non tuliſſent edi quippiam, quod ab eius mente vel leuiter abiret. Video, à curioſis

quæri

quæri hoc loco poſſe, Vnde tandem tanta *Ionam* inter, & *VValcandum*, neceſſitudo interceſſerit, vt hic ab illo hoc officij poſtulare auderet? Hoc quidem nihil mihi mirum videtur. Idem vtrique Imperator, & Rex erat: ad Synodos ſæpius conueniebant: ſcriptitabant mutuo. Denique honori ducebatur Sancti alicuius res geſtas ſtylo complecti, vt tot magnorum Virorum Vitæ à magnis item Viris ſcriptæ teſtantur.

Hinc iam apparet, grauiter labi eos, qui hunc *Ionam* cum S. HVBERTO vixiſſe arbitrantur, quo fuit ſolido ſeculo poſterior. Hunc errorem errat *Ægidius*, Additionibus ad Anſelmum, in HVBERTO, cap. 21. vbi de *Iona* Epiſcopo loquens, *Qui inter cæteros*, inquit, *familiari ei* (HVBERTO) *contubernio adhæſit*. Tangit hunc errorem Chapeauille in Annotatione. Hæc de Iona Vitæ B. HVBERTI ſcriptore ſecundo. Primi ſcriptoris, ex quo Ionas hauſit, adeo nomen nobis ignotum eſt, vt neque Ionæ ipſi notum fuerit, qui 800. annis illi fuit, quàm nos, vicinior. Colligo ex Ionæ verbis, hâc ipsâ ad Walcandum, Epiſtolâ. Nam ſub finem, ita ſcribit: *Potuit namque, quiſquis ille fuerit ſanctiſſimi viri operum deuotiſſimus ſcriptor cum Apoſtolo gloriari: Quia, Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ.* Ex quibus verbis, hoc quoque mihi rectè effici videtur, neque Walcando, neque eius Clero, hunc ſcri-

ptorem fuiſſe notum. Nimirum DEI, & S. HVBERTI nomen illuſtrare decreuerat, & Orbi vulgare, non ſuum.

LIII. AD WALCANDVM *Epiſcopum.*] Inter hunc, & S. HVBERTVM interceſſerunt Epiſcopi Leodienſes, Floribertus, Fulcarius, Agilfridus, Gerbaldus; de quibus vide Anſelmum, & Ægidium apud Chapeauille, tom. I. vbi deinceps & de ipſo *VValcando.* De quo plura, cum S. HVBERTI translationem Andaïnum, deſcribemus.

LIV. PALATINA *Scholaſticorum facundia.*] Imperium, & Franciæ Regnum hoc tempore tenebat *Ludouicus* Caroli Magni filius, qui vt plurimum vel *Heriſtalli* degebat, id eſt in ipsâ propemodum Ciuitate Leodienſi: vel *Aquiſgrani*, Leodio haud procul. Conſentaneum proinde eſt, *VValcandum* frequentem Imperatori affuiſſe: qui etiam *Caroli*, paulo antè humanis rebus exemti, Teſtamento ſubſcripſerat. Hinc aliam rationem ſumas, cur Ionæ Epiſcopo Aurelianenſi *VValcandus* notus fuerit. Quis enim Epiſcoporum Galliæ illum ignoraret, qui aſſiduè ad Imperatorem commeabant, pro Eccleſiarum ſuarum negotijs ſatagentes? Cum igitur in *Palatio VValcandus* aſſiduus eſſet, dicit Ionas, in promtu illum habere *Palatinam Scholaſticorum facundiam.* Sed qui nam iſti SCHOLASTICI? Vox iſta Græcæ Originis, antiquioribus tamen Græ-

cis,

eis, hoc quidem ſignificatu, ignorata videtur fuiſſe. Vtuntur Leontius Mechanicus, Suidas, Syneſius; & è Latinis, Sigebertus, & Walfridus Strabo; quos omnes allegat Meurſius in ſuo Gloſſario. Cui illud facile aſſentior, ſic dictos fuiſſe *Aduocatos*, & *cauſarum Patronos*: quandoque & *Iudices*. Hic tamen, Ionam vti crediderim non ita aſtrictè: ſed *Scholaſticos* illi eſſe quoſuis Eruditos, & Eloquentes homines, qui circa Principem eſſent, tamquam eius *Conſiliarij*, *Cancellarij*, *A ſecretis*. Annotat plura de hâc voce Baronius ad ſextam diem Februarij, in Martyrolog.

LV. PROPTER *duo collimitarent.*] Locus mendi manifeſtus. Senſus tamen Authoris ſatis ſe prodit.

LVI. MEOS *Sodales cerno perhorruiſſe.*] Hæc verba apertè indicant, hanc Præfationem, non primum à Iona ſcriptam, (qui, vt & in Vitâ, ſolum ſtylum emendauit) ſed à primo illo ſcriptore, S. HVBERTI aſſecla. Itaque, quod ipſius Epiſtolæ initio ſcriptum eſt, *Incipit Præfatio* EIVSDEM, de Iona quidem accipiendum eſt, ſed, vt dixi, Sermonis emendatore tantum.

LVII. QVÆ CORAM *fuit cernere.*] Iterum ſole clarius hinc habes, hanc Præfationem Ionæ non eſſe, niſi ſtylo tenus. Nam Ionas S. HVBERTVM totis centum annis, vt iam antè diximus, ſecutus eſt.

LVIII. Ecclesiæ Tvngrensis *Epiſcopi.*] Nulla hîc mentio Eccleſiæ *Traiectenſis*, cuius neque Hvbertvs, nec alius quiſquam fuerat Epiſcopus. Sed duo peculiariter notanda. Alterum, *Tungrenſem* potius vocat, quàm Leodienſem, etſi Leodij, & poſterius, & diutius Epiſcopus fuerat: ſed ita aſſueuerant, *Tungrenſes* Epiſcopos vocare, vt longo tempore poſt translatam Leodium ſedem, ea adhuc conſuetudo teneret, vt ſuo loco oſtendam in Quæſtionibus Hub. Alterum, Quod Ionas centum poſt annis, nihil in hâc loquendi ratione mutauerit: Walcando, Hvberti ſucceſſore, approbante.

LIX. Apvd Vrbem Tvngrensem.] Nec hîc verbum de *Traiecto*, etſi ibi Lambertus diu habitauerat; *Tungris* nunquam. Sed hæc ad Quæſtiones pertinent, vbi veritatem ita clarè oſtendemus, vt contradici non poſſit.

LX. Consensv *vnanimi fidelium.*] Plena eſt pia Antiquitas exemplis eiuſmodi, vt, quos Summus Pontifex, totius Eccleſiæ caput, & fidelium Pater, Epiſcopos mitteret, eos Fideles vnanimi conſenſu, & cum gratiâ reciperent. Et accedebat quòd pridem nota erat Hvberti virtus: & quòd diuinitus probatus, & promotus fuerat, tot Miraculis, eius commendandi causâ, patratis. Horum nullam ideò Author facit mentionem, quòd & in Epiſto-

piſtolâ profeſſus ſit, ſe ante initum Epiſcopatum nihil allaturum; & quòd videtur conſtitutum certò habuiſſe, nihil tradere, quod non vidiſſet ipſe, aut præſens audiſſet.

LXI. DIVALIVM *pœnâ ſubactis.*] Ita vocat ſanctiones, ſiue Conſtitutiones Imperiales. Nam poſtquam humana adulatio Principes cœpit appellare *Diuos*, eorum quoque Leges *Diuales* dictæ ſunt. Harum *pœnâ ſubactos* eos dicit, qui, quod in illas peccauerant, luebant.

LXII. ANNO *ordinationis eius duodecimo.*] Ex Tabulis noſtris Chronologicis, diſces, id accidiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo, octauo. Nam, cum S. Lambertus paſſus eſſet anno *696.* HVBERTVS eodem anno à Sergio, Romæ ordinatus, ſequenti, Eccleſiæ gubernationem inijt.

LXIII. TERTIODECIMO *anno ſui Præſulatus.*] Nempe anno ſalutis 709. Sic ſacra illa pignora tanti Martyris, nobilis Ciuitas Leodienſis poſſidet iam annos nongentos, & vndecim. Sed hoc addendum, ſimul cum Corpore S. Lamberti, Leodium tranſlatam fuiſſe Sedem Epiſcopalem, vt veteres chartæ affirmant. Non tamen Traiecto tranſlata, ſed Tungris, quâ de re in QQ. HVB.

Sed hæc tanta res nimis mihi anguſtè dicta ſic videtur. Itaque de *tranſlatâ Sede* aliquantò amplius ex antiquis membranis, paſſim id narrantibus, exponamus, *Happart* ſuo more, diligenter

genter è pluribus Scriptoribus quos ipſe me legiſſe profiteor, quæ huc ſpectant, collegit, & tum de Vrbe Leodio ædificatâ, tum de locatâ inibi Sede, ita fere memoriæ prodidit.

Cœpit Legiam muris cingere, prœruptis ſcopulis, vallibuſque munire: portas inſtruxit, & mœnibus circumdedit, quibus ab hoſtium incurſu populus tutior, liberius Deo *famularetur. Fundauit in eâdem Eccleſiam in honorem intemeratæ Virginis Mariæ, Sanctique Lamberti. Triginta Canonicos ad diuinum cultum ibidem inſtituit, quos largis reditibus dotauit. Ædificauit & aliam Eccleſiam in pede publici montis, ſub honore Apoſtolorum Principis Petri, quindecim Canonicis in eâdem poſitis, quos ſub lege communiter victitandi, ex Eccleſiâ Tungrenſi ſufficienter dotauit. Adiecit inſuper egregius Præſul in augmentum diuini cultus, & ſubleuamen Canonicorum maioris Eccleſiæ, Clericos ſex. Et quia horum erat, actis diuinis, menſis prouidere, Clerici Menſales, (qui iam Canonici) vocabantur.*

Eccleſias inter Traiectum, & Leodium, quas in translatione S. Lamberti deſignauerat, fideliter compleuit. S. Hvbertvs *auctoritate Apoſtolicâ, per Papam Iohannem ſibi commiſsâ, ſynodum triginta Epiſcoporum congregauit, quorum ordinatione Tungrenſem Eccleſiam tranſtulit, & plurimis dignitatibus, & priuilegijs decorauit. Verum* S. Hvbertvs *videns filiam ſublimatam in matrem, vt regale ſacerdotium obtineret; Eccleſiam*

eſſe

eſſe Cathedralem, ipſamque Ciuitatem caput eſſe Epiſcopij; diuerſas leges, & plebiſcita populo ſuo promulgauit. Et quia erat pacis, & iuſtitiæ cupidus, iuſtam ſtateram ponderis, menſuram vini, & frumenti impoſuit, & moroſæ plebi certa priuilegia, & libertates conceſſit. Ipſe monetam publicam, ſigillumque S. Lamberti imagine figuratum, cuius inſcriptio:

SANCTA LEGIA, ROM. ECCLESIÆ FILIA

effinxit.

Corpus S. Martyris Theodardi à loco paſſionis primò tranſtulit. Ipſe fabricato auro, & argento feretro, gemmis, lapidibuſque pretioſis redimiuit; & pretioſum corpus S. Lamberti primitus: deinde corpora SS. Theodardi, & Madelbertæ, diuerſis ciſtellis ſegregata concluſit. Inter cætera corpus Sanctiſſimi Præſulis Seruatij à primo loco ſepulturæ, quo forſan minus decenter locatum fuerat, ad locum honore dignum tranſtulit. Hucuſque Adolphus Happart.

Cæterum quia commodiorem locum non noui, quò alia quædam ab alijs commemorata referam; quæ ex ijs memoria digniora viſa ſunt, hîc deſcribere lubuit.

Ac primum, de *Legiâ*, ſiue *Leodio*, quid tandem loci fuerit, antequam S. HVBERTVS eam ædificaret, audiamus. Eius ſitum graphicè depingit *Ægidius in Monulpho,* addito huius S. Antiſtitis nobili vaticinio.

Dionantum, inquit, *viſitaturus, caſtrum hæreditariè ſuum, in proficiſcendo, cominus conſpicatus villam* (de S. Monulpho loquitur) *in valle ſitam, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus, & fluuiolis per prona decurrentibus, valde delectabilem, & irriguam: nam ab Occidentali, & ſeptemtrionali plagâ, montibus & ſiluis maximis claudebatur; per Meridianam verò partem, Moſa fluuius, reducto, & curuato paulum ſinu ambiens, inacceſſibilem faciebat. Sed quà Orientem ſpectat, adiri facilius poterat, Montanis à Moſâ aliquantulum recedentibus, ſeſeque iuxta eius ripam quinque fere miliaribus, vſque Traiectum, in directam, & ſpecioſam longitudinem, clementer extendentibus. Diſtat & à Tungris verſus Meridiem vix tribus miliaribus. Hunc locum cum Beatus Epiſcopus Monulphus cum ſuis comitibus intraſſet; captus ſitu, & amœnitate eius, ſubſtitit, vocabulum loci quæſiuit, Legiam nominatam audiuit. Moxque prophetico tactus ſpiritu, Eia, inquit aſtantibus, locus, quem Dominus ad ſalutem multorum fidelium ſuorum elegit, & quem per merita cuiuſdam ſerui ſui, poſtmodum magnificè illuſtratum, ſummis ciuitatibus æquabit* (De noſtro S. HVBERTO hæc S. Monulphus vaticinatur, quinquaginta circiter annis ante eius natiuitatem, & pluſquam centum, antequam Leodium conderet) *Statimque deſcendit, locum orationis deſignauit, conſtructam Eccleſiam in honore ſanctorum*

ctorum Coſmæ, & Damiani Martyrum Domino conſecrauit: quam poſtmodum S. Lambertus Martyr ſuo ſacro ſanguine nobilitauit. Hæc Ægidius Aureæ-Vallis Monachus, quæ ad verbum fere deſcripſit ex Nicolao Canonico Leodienſi in Lamberto, cap. 16.

Ex his iam videas licet, quàm rectè quidam ad antiquiſſima tempora, Leodienſis Ciuitatis conditionem referant. Nihil in Hiſtoriâ certius, nihil teſtatum magis, quam S. HVBERTVM illius Ciuitatis fuiſſe conditorem. Neque tamen ita condidiſſe intelligendus eſt, vt in eam amplitudinem prouexerit, quæ modò cernitur. Non eſt hoc vnius hominis, non vnius ſæculi. Quinetiam muris cingi cœptam anno 1203. ſcribit *Ægidius* in *Hugone de Petra-Ponte* Epiſcopo, apud Chapeauille, tom. 2. Sed iam ad alia tranſeamus.

Si quæras, Vnde S. HVBERTO poteſtas, & iuriſdictio quam *ſecularem* vocamus, & *Politicam*? Nam abſque hâc, neque Ciuitatem, neque Leges Ciuiles condere, neque monetam videtur potuiſſe cudere. Reſpondet Molanus in Natalibus SS. Belg. die 17. Septemb. & Liuinus Brechtus, à *Carolo Martello* ei fuiſſe traditam. Huius verſus digni videntur, qui aſſcribantur:

Martyrio illuſtris Doctor, niueoque pudore
Lambertus, populo Leodinæ præſidet vrbis.
Cuius non multo poſt tempore, prima locauit

Mœnia, tranſlatis chari cum Sede Magiſtri
Oſſibus HVBERTVS: *vicoque ex paupere claram*
Reddidit, inſtituens menſuras, pondera, leges:
Francorum poſtquam vindex equitumque magiſter
Carolus, Alpaïdis proles generoſa, paternis
Dignus auis, quem Martellum cognomine dicunt,
Illectus pietate viri, ingenioque ſagaci
HVBERTO *imperium terræ, & ius contulit omne.*

Neque illud omittendum, quod veteres chartæ meminerunt, S.HVBERTVM arcem ædificaſſe in *Monte-Cornelio*, atque in eâ habitaſſe, quo loco nunc Carthuſiani degunt. Paſſim etiam lego, cum corpus S.Lamberti S.HVBERTVS cum Sede Leodium transferret, tranſtuliſſe etiam *Aquilam auream*, quæ eatenus Traiecti ſupra *S.Seruatij* Eccleſiam ſplenduerat, & Templo *S.Lamberti* ſuperpoſuiſſe.

Ad extremum, cum Leodienſis Eccleſia *Cathedralis* conſtitueretur, non omiſerunt Scriptores, inter *Suffraganeos* Metropolitanæ *Colonienſis*, conſtitutam, ſed primam. Teſtatur antiquus verſiculus:

Legia prima ſoror, & dextris Matris honoror.

Ob hæc promerita, & beneficia meritò gratum animum ab Eccleſiâ Leodienſi poſtulat Anonymus Poëta, à Chapeauille allegatus in Monulpho,

nulpho, tom. I.

Legia ſancta tui Patroni culta cruore,
Te DEVS *elegit Cleri præfulgida flore.*
Montes, & nemora, fontes, bonus aër & arua,
Flumina, prata, feræ, vitis non copia parua,
Ignis ſaxigenus, plumbi, ferriq́ minera,
Ornant te, faciuntq́ tuum nomen redolere,
Vrbibus vt mundi ſis ſummis æquiparata.
Ergo DEVM *lauda, cole Patronum, moderatâ*
Eccleſiam mente tam glorificam reuerere,
Pace fruens, pariter poterit tibi nemo nocere.

Deſinere iam volebam hoc *Hubertinum Paralipomenon*, cum recurrit, quod ſuprà deſcripſi, S. HVBERTVM *authoritate Apoſtolicâ per Iohannem Papam ſibi commiſſâ, Synodum triginta Epiſcoporum congregaſſe, eorumque ordinatione Tungrenſem Eccleſiam tranſtuliſſe.* Hunc *Iohannem Papam*, oportet fuiſſe *ſeptimum*, qui Iohanni ſexto ſucceſſerat, vt hic Sergio. Scio equidem, cum anno 709. Sedem HVBERTVS transferret, ſedem Romanam tenuiſſe *Conſtantinum*, & *Iohannem ſeptimum* biennio antè è viuis fuiſſe ſublatum. Sed & hoc ſcio, potuiſſe biennio antè à Iohanne *Sedis Tungrenſis translationem* permitti, ſiue iuberi, neque tamen citius conuocari Epiſcopos, Synodum haberi, denique tanti moliminis rem perfici. Neque eſt, quòd quis ſuſpicetur, à ſequenti aliquo Iohanne Pontifice authoritatem Illam profectam: nam *Iohannes Octauus*,

non ante annum Domini 872. id eſt, pluſquam 160. annis poſt Sedem Leodium translatam, ſacrum Magiſtratum inijt.

Cæterum de *Synodo* illâ 30. Epiſcoporum, nihil vſquam aliud reperio. Sed quia in *Synodorum* mentionem incidimus, valde ad rem pertineat, inquirere, ecquas alias Synodos S. Hvbertvs congregauerit? *Claudius Deſpretz* I.C. Atrebatenſis clariſſimus, & Dominus de Queant, Societati Noſtræ, mihique amiciſſimus, in quibuſdam *Analectis*, quæ de noſtro ſancto collegit, & D. Hvberto honorando, ad me miſit, ex antiquis Monumentis annotauit, Anno 710. menſis Aprilis die 29. (eſt is proximus annus poſt translatum Epiſcopatum) primam habuiſſe Synodum Leodienſem in S. Lamberti Eccleſiâ, cuius & decem Articulos, ſiue Canones ponit, quos ad verbum hîc tibi deſcribo:

I. Forma *verborum, in quibus conſiſtit Sacramentum Baptiſmi, talis eſt: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

II. Volvmvs *autem pueros ſeptenos, & ſuprà, adduci ad Epiſcopum confirmandos; & adultos prius confiteri de peccatis ſuis.*

III. Vt *Presbyter proprius alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrat; ita & ſaltem ſemel in anno, ei confiteantur ſua peccata ſubditi.*

IIII. Diligenter *eis explicet præcepta* Dei: *& diebus Dominicis exponat ea, quæ ad ſalutem*

lutem ſunt animarum : quibus ſanctum Corpus Chriſti quotannis dabit ad manducandum.

V. QVOD *ſi remiſsè Presbyter ea curet, nouerit ſe à* DEO *puniendum, qui ardentiſſimo deſiderio oblatus eſt pro ſuis, quia voluit.*

VI. IN OMNIBVS *ſe præbeat Presbyter, exemplum bonorum operum, & ſuper grege vigilet: cum inimicus homo promtiſſimus ſit ad ſuperſeminandum in agro* DEI *zizaniam.*

VII. ECCLESIÆ *mundæ ſint, & Altaria ornata decenter: cum in ijs* DEVS *habitet, non ſolum ſpiritu, ſed & Homo factus.*

VIII. ITA *tamen, vt id, quod oculos intrantis ab oratione poteſt auellere, non reperiatur in eis; aut curioſitas oculorum: ſed ſapiant vniuerſa, & ſingula ignem immittendum in cor Fidelis, adorare, & orare venientis.*

IX. INFIRMIS *miſericordia* DEI *aperiatur, ita tamen, vt & iuſtitia comes ſit. Sed venit Chriſtus, vt nos redimeret, & ſuo regno inſcriberet volentes.*

X. DEFVNCTIS, *certò ſciant vniuerſi, reddere* DEVM *propitium Miſſæ Sacrificia quotidiana, preces, donationes, & ieiunia: quæ ideo fieri poſtulamus, vt eorum animæ requie citius potiantur æternâ: quam nobis Chriſtus donare dignetur. Amen.*

Hactenus Synodi Canones. Quorum vltimus clarè ſatis inſinuat, circa id temporis fuiſſe aliquos è Patriarchis Caluiniſtarum, qui & pro

pro Defunctis orandum, & Sacrificandum negarent; & Purgatorium tollerent. Fuerint hi vel ex *Armenis*, qui paulò antè orti erant, & Purgatorium tollebant, teſte *à Caſtro v. Purgatorium*, item *Prateolo, & Sandero:* vel ex *Albanenſibus*, qui cum aliquanto poſt innotuerint, credi poteſt, iam tum clanculum cœpiſſe pullulare. Vide eoſdem Authores.

Anno 720. habuit S. HVBERTVS *ſecundam Synodum contra oppugnatores ſacrarum Imaginum, qui caput extulerant in ſuâ Parochiâ Epiſcópali: in quâ ſecundam ſynodum Romanam, pro Imaginibus, ſub* S. *Gregorio iuniore celebratam, integrè inſeruit.*

Verba ſunt ex ijſdem eiuſdem *Claudij Deſpretz Analectis. Gregorius* iſte *iunior* eſt *Gregorius ſecundus*, qui anno 714. Pontificatum inijt, & 731. deceſſit; Gregorij primi Magni ſanctitatis, & rerum geſtarum æmulus. Hoc mittente, S. *Bonifacius* Germanis Fidem, & Pietatem annuntiauit. Hic Gregorius animosè ſe oppoſuit Imperatori *Leoni Iſaurico, Iconoclaſtæ*, eiuſque, & ſectatorum impietati in ſacras Imagines conceptæ, congregato, ſuper eâ re, Romæ Concilio, anno, vt oſtendit Baron. 726. Ex quo intelligimus, vel in *Analectorum* annos errorem irrepſiſſe; vel, quod magis cenſeam, non tam S. HVBERTVM, quam poſtea diſcipulum eius aliquem, vel Leodienſem Eccleſiam, Gregorij Synodum, S. HVBERTI

Synodo

Synodo inſeruiſſe. Sed iam tandem ad Notarum ordinem redeamus.

LXIIII. ACCITIS *etiam venerabilibus Epiſcopis*] Hoc honoris, defunctis ſanctis, & maximè Martyribus: hoc officij viuis Fratribus, Coëpiſcopis, pij Epiſcopi præſtare ſolebant. Exempla vbique obuia, & ſuadet hoc pietas, charitaſque.

Sed, cum nemo horum Epiſcoporum nominetur, conſentaneum eſt, eos intelligere accitos, qui viciniores erant: & omnino non omiſſum S. *VVillibrordum*, qui eodem, cum S. HVBERTO, anno, Epiſcopus Vltraiectenſis, Romæ factus, & ipſi S. Lamberto fuerat, & S. HVBERTO etiamnum erat familiariſſimus. Nec dubites, an tunc ſuperſtes fuerit, qui pluſquam totis viginti poſt annis aduiuebat. Clariſſ. Vir D. Claudius Deſpretz in ſuis ad me miſſis Analectis, ex antiquis MS. ſcribit huic Translationi affuiſſe Annonem Archiep. Colonienſem, Rigobertum Archiep. Remenſem, Vindicianum Epiſcop. Atrebat. Garulphum Tornacen. Berkembodum Morinen. Dominicum Ambianen. & Willibrordum Vltraiectenſem.

LXV. SPIRITVALES *obſeruantes excubias.*] *Vigilias nocturnas* intelligit, quæ de antiquæ Eccleſiæ more, tum magnis feſtis, tum magnis etiam negotijs frequenter celebrabantur.

LXVI. VRNAM, *quâ ſanctiſſimus cinis con-*

ditus ſeruabatur.] Mox vocat BVSTA, ac deinde RELIQVIAS. Viſum eſt Ionæ varijs vocibus eamdem rem ſignificare. Cæterum ſciat Lector, Integrum S. Martyris Lamberti corpus repertum, & translatum. Teſtatur hoc apud Chapeauille, tom. I. Anſelmus, & Ægidius in Lamberto, cap. 11. Item Godeſchalcus in Lamberto, cap. 14. & Renerus, cap. 26.

LXVII. LOCO, *quo paſſus eſt.*] Nempe Leodij, quod tunc *villa erat parui adhuc nominis*, vt loquitur Godeſchalcus in Lamberto, cap. 7.

LXVIII. QVANTIS, *qualibuſue miraculis.*] Multa, & magna fuiſſe narrant Authores illi quatuor, locis paullò antè allegatis. Inter alia ſunt, *cæcus reluminatus, claudus erectus, Paralyticus ſolidatus.* Sed hæc S. Lamberti ſunt. At S. HVBERTI, iſta, quæ narrat Godeſchalcus in Lamberto, cap. 14. illis verbis: *Sanctus* HVBERTVS, *quondam illius diſcipulus, illo tempore pontificatum procurans, auditis, cum prædictis miraculis, his viſionum præceptis; cum timore* DEI, *omnem rei certitudinem ſciſcitatur: & cognitâ veritate, ſcilicet, quod* DEI *nutu hæc diſponi conſtaret: bonorum virorum annitente adiutorio, & conſilio, deliberauit, vt abſque dilatione, corpus ſanctiſſimum, ad locum prædeſtinatum, cum magno honore deferretur. Præparauit etiam indumenta cultiora, & omnia,*

omnia, quæ eſſent neceſſaria in ſacratiſſimi corporis diuerſis impendijs: & acceſſit illuc, cum multorum Sacerdotum, & omnium Eccleſiaſticorum graduum comitatu, & cum Chriſtianorum multorum frequentiâ, qui ſecundum ritum diuinæ Religionis, pſalmos, & hymnos decantarent. At venerabilia membra Chriſti Martyris, odore ſuauiſſimo fragrantia, HVBERTVS *Pontifex ſalua, & intemerata inuenit: quæ cum timore, & honore, imo de ſepulcro eleuans, pretioſis veſtimentis inuoluit: ea verò, quibus fuerat tempore ſepulturæ indutus, ſub ſigillis ſignata, repoſuit. Hinc inde fratrum fideliter pſallentium chori, ſuauiſſimâ organorum, & cymbalorum modulatione, concinebant: & hinc Angelica agmina pſallentia, & de triumpho S. Martyris* DEVM *laudantia, ab idoneis teſtibus, & viſa, & audita ſunt.* Hactenus Godeſchalcus, Martyrio S. Lamberti ætate proximus, quippe qui Pipini, & Caroli Magni tempore vixerit. Quid ad hæc dicent Caluiniſtæ Eccleſiæ perduelles, alijque hæretici, cum ante annos ſupra 900. *cultum SS. Martyrum, & Reliquiarum* legent? Quid, cum *cæremonias, ſacras veſtes, Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum graduum comitatum, Chriſtiani populi frequentiam, Pſalmorum, & hymnorum cantum*, & reliqua audierint? Nonne eos confundi, atque adeò tabeſcere neceſſe eſt, cum hæc intelligent approbari vel *diuinis Miraculis*, vel *Angelorum feſtâ modulatione*,

ne, cum piorum hominum *organis*, *& cymbalis* ſe iungentium?

LXIX. FABRICA *autem eiuſdem Baſilicæ.*] Ea eſt Baſilica, quæ hodieque S. *Lamberti* Leodij viſitur. Sed vtique non eadem modò, quæ tunc ſtructurâ: cum ſæpius vel reſtauratam, vel auctam fuiſſe conſtet, deſcribente id ex varijs Authoribus, Chapeauillo, tom. 1. & 2.

LXX. OCVLIS *videntium ſe offert.*] Oculis videbat ſuis idem Godeſchalcus, qui ibidem ſic: *At omnes habitatores loci illius gaudentes, in occurſum ſancto corpori (quod diu deſiderauerant loco paſsionis reportari) exeuntes, cum magno honore ſuſcipiunt, & condignum ei parant diuerſorium, intra ſepta clauſuræ ſuæ, complectens martyrij eius AEdiculam: quod opere artificum mirabili, & copioſâ mole auri, & argenti, & gemmarum, lapidumque pretioſorum, ac diuerſis ſtructuræ ſpeciebus, ibidem à potentibus collatis ditatum eſt, in tantum, vt vix ſermo exarantis queat exponere. Ibique, vt decebat, vrbana, & honeſta memoria, ex ipſius S. Martyris præſentiâ, exorta eſt, & omne decus, & ſpecioſa compoſitio, non ſolum in Clero, ſed etiam in plebe cœpit haberi: & in Dei veneratione populus, qui antè erat agreſtis, & incultus, paulatim cœpit eſſe compoſitus, timoratus, & religioſus.* Ita Godeſchalcus.

LXXI. VERBI *gratiâ, & dulcedine ſermonis*] Hanc in HVBERTO noſtro gratiam *Spiritus ſancti virtuti* tribuit Author. An & naturalem,

ralem, an & acquiſitam induſtriâ ſuâ habuit? Inuenio, cum Epiſcopus Romæ conſecrandus eſſet, negaſſe, ſe vllas ſcire litteras. Habet hoc Gallicus Commentarius Huberti le Prouoſt, cap. 11. Id ego ita accipio, vt ignorauerit, quæ Epiſcopum ſcire decebat, non vt penitus litterarum fuerit ignarus. *Epiſcopalem* verò eruditionem vnde hauſerit, ex Gemblacenſi codice veteri, qui ſanctorum Vitas continet, diſcas licet. Is, vbi de HVBERTI Ordinatione loquitur, ita ait: *Ante Altare S. Petri, procidens ad genua, orationem fudit ad Matrem miſericordiæ, vt ſibi gratiam apud benedictum Filium ſuum impetraret, quatenus diuinum officium ſuum cito addiſceret, & vt ſcientiam ſibi neceſſariam ad regendam Eccleſiam, & pro diuino officio debitè complendo, concederet. Glorioſa virgo miſit ſibi cum Angelo ſtolam pulcherrimam: quam Angelus circum:ponens collo ſuo, dixit ei:* HVBERTE, *Mater Chriſti mittit tibi hanc Stolam; & ſicut petiſti à Domino, habebis ſcientiam tibi neceſſariam perfectam.* Aſſertioni huic ſuæ confirmandæ addit Author: *Hoc etiam legitur in Collectâ* Sancti HVBERTI: *Vt quem, ſuſceptâ Stolâ ſibi cælitus emiſſâ, ſacri officij ſcientiâ credimus illuſtratum, &c.* Equidem hanc *Collectam* nuſquam me videre memini. Sed tamen ex eâ conſtat, adeò certam hanc habitam traditionem, vt particularis aliqua Eccleſia, quæcumque ea fuit, non

dubitârit, eius in *diuino Officio*, meminiſſe. Accedit, quod liber Huberti le Prouoſt, cap. 12. *Scientiam cum ſtolâ* noſtro Præſuli diuinitus communicatam ſcribit. Addo ego, certum eſſe, pluribus à Beatiſſimâ Virgine, Sanctis, Eruditionem fuiſſe donatam. Exemplum vnum, inſtar omnium ſit Albertus Magnus, de quo vide, ſi placet, in eius Vitâ.

LXXII. Omnem *namque Arduennam.*] Hæc cum ita ſint, quid mirum, ſi Hvbertvm noſtrum *Arduennæ Apoſtolum* vocitamus?

LXXIII. Hisce cvltibvs *hactenus mancipatam.*] In Quæſtionibus Hubertinis, Quæſt. 8. doceo, *Andaïnenſes*, ſiue *Ambræos*, Chriſtianâ fide, & Religione imbutos fuiſſe à S. *Materno*, ipſis Chriſtianorum exordijs. Erat autem *Ambra* Arduennæ quaſi medullium. Quod igitur ait Author, *Omnem Arduennam Idolorum cultibus eatenus fuiſſe mancipatam*, vel hyperbole vtitur, vel plerique ad priſtinas ſuperſtitiones redierant, aut nouis, ſatore & meſſore malorum id agente Diabolo, implicati erant. Quod nimis quam ſæpe accidiſſe, dum Eccleſiaſticas hiſtorias legimus, merito dolemus.

LXXIIII. Triennii *pœnitentiâ plectebat*] Videlicet vigebat tunc adhuc, vel Hvberto fortiter agente, reualeſcebat Eccleſiaſtica diſciplina. Vide Canones Pœnitentiales; & noſtram

ſtram nunc ſocordiam erubeſce.

LXXV. IN TAXANDRIA.] Vix reſtat hodie huius nominis memoria, aut quænam Prouincia ſic diceretur Nicolaus Canonicus Leodienſis in Lamberto, cap. 10. ita breuiter tradit: *Regio, cui Taxandria nomen eſt, à Traiectenſi oppido verſus ſeptentrionem, vix tribus miliaribus diſparatur.* Et mox: *Hæc Regio vaſtis, & fere continuis paludibus obſita, & ob id, ne finitimis quidem aliquo commercij iure tunc ſatis nota, & peruia, multitudinem agreſtis populi in ſe continebat: cuius mores barbaros ipſa etiam ſolitudo, & ſuperſtitio efferauerat.* Hic locus alijs vocatur *Teſſandria*, vt Godeſchalco in Lamberto, cap. *6*.

LXXVI. BRACBANTE.] *Brabantia,* multò quam nunc, patebat latius, adeò, vt magnam *Flandriæ* partem occuparet, magnam etiam *Hannoniæ*. Vide ſis LipsI Louanium, lib. 1. cap. 13. & ScribanI noſtri Origines Antuerp. cap. 2.

LXXVII. PRÆCLARA *in honore ſanctorum Martyrum Templa per* S. HVBERTVM *conſtruebantur.*] Sancti Antiſtitis tanta illa diligentia, tot populorum Conuerſio, Neceſſitas ipſa, ſuadent, plurimas Eccleſias ab eo fuiſſe conſtructas, & conſecratas. Sed inuidioſa vetuſtas hominum memoriæ talia pleraque ſubduxit. In ijs fuit in primis S. *Lamberti Baſilica*, vt annotauit Author noſter, cap. 3. Fuit & S. *Petri*

S.*Petri* Leodij, in quâ primum ipſe B.HVBERTVS ſepultus fuit. Habes hoc infrà, cap. 14. vbi de illâ Baſilicâ: *Quam ipſe beatus vir ſuâ conſtruxit munificentiâ.* In eâdem Eccleſiâ, non ſiluit idem noſter ſcriptor, cap. 12. *Altare in honore B. Albini ab eodem fuiſſe conſecratum.* Iterum eodem capite: *Rogatu quorundam illuſtrium virorum, Bracbantum perrexit, Baſilicam nouo opere conſtructam Domino dedicaturus.* Quænam ea fuerit, ſilente noſtro, & ego ſilere cogor. Eſt prope Louanium colliculus Heuerleo proximus, & in eo Tempellum, S. *Lamberti* nomine conſecratum. Traditio habet, à S. HVBERTO fuiſſe initiatum. Quæſiui ſtudioſè aliquod eius rei argumentum in parietibus, in feneſtris, vbique. Nullum fateor me reperiſſe. Lamberti nomen aliquid fortè perſuadeat. Cenſeat quis, eampſe eſſe Eccleſiam, quam paulò antè dicebam, *Illuſtrium Virorum rogatu Domino dedicaſſe.* Et fauet, quòd infrà ſignificatur *Fura* (quo loco animam DEO reddidit) circiter *duo milliaria* ab illâ Eccleſiâ abfuiſſe, quod planè, & pulcrè conuenit. Lubens huic coniecturæ aſſentior, dum certius aliquid reperiatur. Si obijcias, non videri tantillum ſacellum, *Baſilicam* vocari potuiſſe: hoc tantum reponam, non fuiſſe noſtrum Scriptorem tam religioſum verborum obſeruatorem.

Nefas cenſeam hoc loco omittere nobile antiquitatis monumentum, quod à Viro Reuerendo,

uerendo,

uerendo, D. *Nicolao Iamar Parocho in Emal*, eius manu, & fide confirmatum accepimus.

Eſt pagus *Emal* diœceſis, & ditionis Leodienſis, haud procul Traiecto: in quo pago, Eccleſiam Parochialem à Sancto HVBERTO, B.Mariæ Virginis titulo, DEO dicatam fuiſſe, non modò antiqua Traditio habet, ſed & *Verſus* teſtantur; qui ſuum ſæculum olent. Erant ij in Tabulâ exarati marmoreâ. Sed accidit, vt cum circa annum Domini 1560. iuſſu Illuſtris Viri D. *Iohannis Pitie*, *Emaliani Dynaſtæ*, Tabulam quidam *Nicolaus del Bouereye* Leodium deferret, eius incuriâ, lapſa, confringeretur. Sed ne res memoriâ digniſſima, temporum lapſu, hominum memoriæ, vt fit, ſubtraheretur, è fragmentis fractæ Tabellæ, in aliâ, item marmoreâ eoſdem Verſus, eodem Characteris & compendij genere, idem D. *Nicolaus Iamar*, tranſſcribi, ſuo ſumtu, pietatis causâ, curauit. Ego quoque curaui, vt eós hic, tamquam ibi, ſpectare poſſes.

Sunt iſti:

BASILICAM·SACER·HANC·HVGBT·EPS·OLIM·
SERVTIO·DNI·PLO·SPECTANE·SACRAVIT·
QPR·DCEBRIS·ERANT·IN·PMS·OLE·KL·DAE
ANNOR·DNI·DCC·CENTI·AC·II·DENI·

Iam, ne in veterum Notarum lectione minus exercitatus lector, remoram patiatur, litteris apertis, peregrino omiſſo compendio, eoſdem exprimo.

BASILICAM *Sacer hanc* HVGBERTVS *Epiſcopus olim*
Seruitio Domini, populo ſpectante, ſacrauit.
Quippe Decembris erant in primo Sole Kalendæ,
Annorum Domini ſeptingenti, ac duodeni.

Eſt is annus Epiſcopatus S. HVBERTI decimusquintus; translatæ Leodium Sedis, quartus. Eccleſiam etiam S *VValburgis* Leodij tempore S. HVBERTI ædificatam, & ab ipſo Sancto conſecratam fuiſſe, lego in MSS. & in Chronico Magno Belgico. Quam Eccleſiam admod. R. atque Ampliſſimus D. *Petrus Steuartius*, Leodienſis Epiſcopatus generalis Vicarius, non ita pridem à fundamentis inſtaurauit. Atque hæ fere ſunt Eccleſiæ, quas à S. HVBERTO vel ædificatas, vel conſecratas, diſtinctè reperio. Dubium nullum eſt, plurimas alias fuiſſe, vti iam antè monuimus. Certè ratione translationis S. Lamberti dumtaxat, aliquot fuerunt, vt verba illa Happarti ſonant à me ſuprà relata: *Eccleſias inter Traiectum, & Leodium, quas in Translatione S. Lamberti deſignauerat, fideliter compleuit.* Quænam illæ Eccleſiæ ſint, non ſatis liquidò conſtat. De aliâ Eccleſiâ ab eodem Sancto conſtructâ, ita in Analectis Claudius Deſpretz. *Venit etiam*

(S. HVBERTVS) *ad ſepulcrum Beati Leodegarij Martyris, & in loco, vbi interijt, qui antiquitus Sarchinuilla dicebatur, Sede Cameracenſi vacante, conſtruxit Baſilicam, & ſacrauit in honorem Martyris; cui præfuerunt vſque ad tempora Dodilonis Epiſcopi Cameracenſis, Sacerdotes Clerici Monaſterij* S. HVBERTI *Cam. Quo in pago notabilis extitit Confraternitas* S. HVBERTI: *& etiam nunc videtur hortus iuxta dictam Baſilicam qui* S. HVBERTI *dicitur.* Locum, quem antiquitus dictum, fuiſſe ait *Sarchinuillam*, in margine notat, hodie dici *Queant*, cuius idem *Claudius* modo dominus eſt. Itaque tanto maiori fide dignus eſt, quòd de rebus loquitur ſibi familiariter notis, vt qui in illas dubio procul diligenter inquiſierit, tamquam ſuas.

Addo ad extremum illuſtre aliud monimentum, non quidem à S. HVBERTO extructum, ſed ab eodem frequentatum: quod neque omittendum cenſeo; nec locum reperio commodiorem, quo referam. Plurimum Reuerendus Vir P. *Nicolaus Cruſen* Auguſtinianorum Patrum Traiecti Prior, ad Prælatum Andaïnenſem tum alia; tum etiam hæc ſcribit: *In noſtrâ Eccleſiâ D. Mariæ ad littus extat* ALTARE *in honorem* D. HVBERTI. *Originem huius Altaris volunt multi fuiſſe, quia ante extructum Templum, quod modo eſt, aliud ibidem erat ſacellum, D. Virgini ſacrum antiquiſſimæ turri coniunctum, vt adhuc indicant veſtigia, turri adhuc*

huc

huc extanti impreſſa: quod Sacellum, aut ſaltem turris, ante vrbem conditam, licet alio vſui, videtur extitiſſe. Hoc Sacellum dicitur fuiſſe Oratorium S. HVBERTI, *in quo, dum Epiſcopum Traiectenſem ageret, ex ſuâ, quam iuxta D. Petrum (vbi nunc ſunt D. Seruatij ædes ſacræ) habebat, reſidentiâ, ſæpius pernoctabat, deuotioni erga Sanctiſſimam Virginem, precibus, & vigilijs intentus. Probat hoc raritas Eccleſiarum tunc in hâc vrbe. Nam præter D. Petri Sacellum, nullum aliud extabat, hoc Sacello excepto, quod D Virgini ſacrum, multorum precibus præcipuè Epiſcopi erat, Peregrinationis etiam ergo, frequentatum. Hoc Sacello ante quadringentos annos ampliato, remanſit Eccleſia* DEIPARÆ *Virgini ſacra, & ſecundum Altare* D. HVBERTO *fuit dedicatum, ob frequentes noctes ibidem tranſactas. Hæc ex Traditione antiquiſſimâ tam Cleri, quam populi huius vrbis, conſtant: & ex tabellis depictis certius conſtarent, niſi impia hæreticorum rabies, Iconoclaſtas imitata, ipsâ die* S. HVBERTI, *anno* 1566. *tempore, quo ſolemnia* D. HVBERTO *celebrabantur, Templo ſpoliato, Imagines omnes deieciſſet; eáſque non ita multo poſt in rogum, circa fori medium extructum, inieciſſet. Manſit interim Altare* D. HVBERTI, &c. Hactenus Prior.

LXXVIII. REGNO FRANCORVM *à* DEO *donatus lucerna luminis.*] Iam antè monui, Franciæ Reges, id temporis, *Auſtraſiam* quoque tenuiſſe, in quâ Leodienſis Ciuitas cenſebatur.

LXXIX. In Villam, *cui* Vivoch *vocabulum eſt.*] Difficillimum eſt, ſuperiorum ſeculorum, locorum nomina noſtris aptare. Videre eſt apud Criticos coniecturas diuerſiſſimas, & quaſdam affatim ridiculas. Sæpe non eſt res tanti, vt magnopere de eâ ſit laborandum. Eſt hodie vrbs *Iuodium*, vernaculo ſono, *Iuois* qui non valde abludit à *Viuoch*. Sit idem locus nec ne, non habeo dicere. Scio, Iuodium iam eſſe diœceſis *Treuirenſis*: an à *Leodienſi* eò migrauerit, item ignoro. Quiſquis in hoc, aliiſque me docuerit, gratum, & memorem experietur.

LXXX. Ieivnivm *triduanum.*] Id Ieiunium, moderatione adhibitâ, hodie ad vſque meridiem durat in Rogationibus: ſed ſolidum triduum à carnibus abſtinetur.

LXXXI. Qvod More S. Ecclesiæ *vniuerſaliter celebratur.*] Si alia teſtimonia deficerent, hinc ſupra nongentos annos probamus in vſu fuiſſe *Rogationes.* Sed conſtat multo antè, S. *Mamertum*, Viennenſem Epiſcopum, eas reſtituiſſe potius, quam inſtituiſſe, cum earum antiquiores Eccleſiæ Patres meminerint. Vide Baron. anno Chriſti 475. & in Martyrolog. 11. Maij, & 25. April. Sed minimè conniuentibus oculis conſiderandum eſt, cum in id genus cæremoniis facile fiat, vt multa mutentur; tamen iam tum fuiſſe, quæ hodiè conſtanter ſeruari videmus, nempe,

Clerum,

Clerum, populi agmen, Crucis vexilla, Sanctorum pias Reliquias, egreſſum ex oppidis, agrorum peragrationem, preces.

LXXXII. ALAPAM *eidem impreſſit.*] Eam contumeliam ſuperbiſſimus Dæmon non fert. Simile narrat Metaphraſtes de S. Simeone Salo. Vide apud Surium 1. Iulij.

LXXXIII. DIEM *extremum vitæ ſuæ.*] Nihil tale capitis huius contextus indicat. Itaque pro, *vitæ ſuæ*, haud dubiè in hoc lemmate reſcribendum, *Iudicij.*

LXXXIIII. IN VILLAM, *cui* HAIMALA *nomen eſt.*] Alij Codices, & Ægidius, *Harmalia*: qui hodieque pagus eſt, Leodio haud procul.

LXXXV. IGNEARVM *acierum rubore perfuſam.*] Similia ſpectacula & aliâs in cæloviſa. Sed nullum vel horribilius, vel teſtatius illo ſacræ Hiſtorię, quando *Contigit per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta, per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & curſus equorum per ordinem digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti.* 2. Machab. 5. 2. ſeqq. Solent huiuſmodi ferè, vt & hoc ſacri Codicis loco, tum oſtendi, cum dirum aliquid, & inuſitatum, à bellicis tumultibus imminet. Itaque aptè

Buche-

Bucherius noſter in tabulis Chronicis, anno 726. ad eam ſtragem refert, quâ *Carolus Martellus* in Turonij campeſtribus, infinitam Saracenorum multitudinem, cum eorum Rege Abdyrama proſtrauit. Cum enim ex contextu clarè ſatis colligatur, non multò ante S. Hvberti mortem, ea ſpectacula viſa; commodè hoc anno ponuntur, cum ſequenti, S. Præſul *de mortis huius corpore liberatus fuerit.*

LXXXVI. En signis *euidentibus ruinam mundi, iam iamque imminere, elementa teſtantur.*] Plures & ſancti, & magni viri, ſuo tempore, eam ruinam imminere arbitrati ſunt. Ante S. Hvbertvm id leges in D. *Gregorio Magno*, homil. I. in Euang. Poſt illum, circa annum Domini 1400. ex profeſſo eamdem paſſim concionibus ſuis annuntiauit *S. Vincentius Ferrerius*, Ordinis D. Dominici magnum lumen. Quinetiam eâ de re librum ſcripſit, & Summo Pontifici obtulit. Cæterum *Tempora, & momenta poſuit Pater in ſuâ poteſtate.* Act. I. 7. De S. Vincentio, vide in Vitâ, apud Surium, die 5. Aprilis.

Lxxxvii. Si Divinæ, *voluntatis eſt.*] Non cuiuſuis id auſum ſit. Habent eiuſmodi quædam ſancti, extraordinario velut priuilegio. Dici ſolent *miranda, non imitanda.*

Lxxxviii. Signvm Crvcis *iniecit.*] Nihil non fere ſancti hoc ſalutari ſigno patrarunt. Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ. S. Hvbertvs *incen-*

incendium, S. Hilarion *maris furias* compeſcuit.

LXXXIX. DEVS *in adiutorium meum inten-de*] Huius verſiculi vſum alicubi mirificè commendat Caſſianus, & ad omnes noſtras neceſſitates adhiberi ſuadet.

XC. OFFICIVM COMPLETORII *cecinimus.*] Duo hic notare licet. Alterum, quod ſuprà monui, Authorem, familiarem fuiſſe, atque adeo comitem, & domeſticum noſtri ſancti. Alterum, *Diuinum Officium*, quo hodie vtitur Eccleſia, iam tum per *horas* diſtributum fuiſſe (& multò antè fuerat) & eas horas *cani* ſolitas.

XCI. NIVELLA.] Præter eam Brabantiæ vrbem, quæ S. Virginis *Gertrudis* corpore nobilitatur: eſt eodem nomine pagus inter Leodium, & Traiectum, de quo hoc loco mentionem fieri arbitror.

XCII. ILLVM *Pœnitentiæ Pſalmum.*] Etiam hoc obiter hinc colligamus, Etſi multo plures apud Dauidem Pſalmi ſunt, qui dolorem, & Pœnitentiam eius exponant; *ſeptem* tamen à S. Eccleſiâ iam tum fuiſſe deſignatos, qui peculiariter *Pœnitentiales* dicerentur: & eam deſignationem iam S. HVBERTI tempore fuiſſe notam, & vſurpatos eos Pſalmos eo nomine, à Sanctis viris, hîc vides.

XCIII. OSTENDIT *illi aulam prægrandem.*] Id fauoris quandoque DEVS ſuauiſſimus, dilectis ſuis amicis exhibuit, vt mortali iſtâ corporis lacernâ adhuc circumdati, & habitantes

in regione vmbræ mortis, futuram beatitudinem obiter viderent, & quaſi prægustarent. Quandoque non tam illis ea ſignificauit, quàm alijs, vt diſcerent, quanti Dei ſeruos facere deberent, qui ſic à Deo honorarentur. Sic S. Franciſci itineris ſocio Thronus in cælo oſtenſus eſt, Franciſco paratus. Scribit hoc S. Bonauentura in eius vitâ.

XCIIII. Discvrrens *per Memorias Sanctorum.*] Sic vocatas olim fuiſſe Eccleſias, Sacella, Oratoria Sanctorum memoriæ conſecrata, pridem annotarunt Ecclesiaſticæ antiquitatis ſtudioſi.

CXV. Adivnctis *ſibi Presbyteris, Diaconiſque, nec non omni Eccleſiæ gradu.*] Vide, quàm diſertè Presbyteri ab Epiſcopo, hoc loco diſtinguuntur, vt nuſquam non, in ſacrâ hiſtoriâ, & Patrum ſcriptis. Id poſt Bellarminum Cardinalem, & tot alios Catholicos, ac diligentiſſimos tractatores, minimè annotandum duxiſſem, niſi nuper prodijſſent *Iohannis Iſacij Pontani* effata eiuſmodi, quæ viro docto mirum eſt excidere potuiſſe. Multa diligenter conquiſita, clarâ methodo, & ordine conſcripſerat in Originibus ſuis Francicis, atque adeò laudem, & gratiam meritus erat. Sed libro demum ſexto, parum memor illius diuini moniti: *in fine ne corrumpas* (Pſal. 74. 1.) hæreticas quaſdam afanias lectori, non ſine peſtilenti veneno obtrudit de *Monachis*, de *ſacris Virginibus*, de *Miſ-*

Miſsâ, de *Sanctorum Imaginibus, ac Feſtis*: atque etiam de *Epiſcopis, & Presbyteris, quorum erant* (inquit cap. 5.) *indiſtincta munera.* Loquitur ex profeſſo Pontanus de *Eccleſiâ Francicâ*, ad quam, *Leodienſem* pertinuiſſe, ſuprà oſtendi. Sed, qui attendat, quomodo Pontanus oſtendat, quod in lemmate pollicetur; non ſatis mirari queat, quid tandem homini in mentem venerit, ita ſe ridendum, & explodendum propinare, dum id Catholicæ Eccleſiæ vaniſſimè machinatur. Sed quid mirum? ſcitum, & perpetuâ veritate inconcuſſum eſt illud: *Via impiorum tenebroſa: neſciunt, vbi corruant.* (Prouerb. 4. 19.) Id planè aio, tibi eueniſſe, Pontane, dum non modò non id efficis, quod videris velle; ſed alia omnia, atque adeò tuo teipſum gladio miſerè iugulas. Aduerte, ſis, animum, & mecum id recognoſce. Primum, ais, te *de Epiſcopis, & Presbyteris aliquid ſelectius eo loco additurum* Primum erat, vt oſtenderes, *in Eccleſiâ Francicâ, indiſtincta eorum fuiſſe munera.* Velim totum illud Caput relegas, & videas, Ecquid pro eâ aſſertione attuleris, quod id vel obſcurè inſinuare videatur, ſi propriè de *Francicâ Eccleſiâ ſermo inſtituatur.* Affers ex Apoſtolo Paulo quædam perperam intellecta, &, quæ à Catholicis Interpretibus pridem in alium à tuo ſenſu, ſenſum expoſita, vel ſciebas, & diſſimulare non debebas: vel ignorabas, & inquirere te oportebat, antequam ea

aſſereres, quæ non intelligebas. Quanquam quomodo ignorare potuiſti, quæ ipſe & alibi, & hoc ipſo capite, ex bonis authoribus deſcripſeras? Colligo aliquot loca, quæ negare non potes, niſi teipſum neges.

Loc. I. Cap. 9. illius libri ſexti, pag. 465. ex Capitulari Caroli Magni, cap. 70. Hæc verba afferuntur: EPISCOPI *diligenter diſcutiant per ſuas parochias* PRESBYTERORVM *fidem, &c. vt fidem rectam teneant, &c.* Dic, Pontane, an *æqualis* ſit *diſcutere æqualem*: &, ſi vir es, oſtende, committi aliquando *Presbyteris, vt diſcutiant Epiſcoporum fidem.*

Loc. II. Cap. 17. pag. 516. EPISCOPVS, *&* PRESBYTER, *& Diaconus aleator, & ebrioſus eſſe non debet. Similiter, & Clerici, & Laici, &c.* Cur dicitur, *Epiſcopus, & Presbyter*, ſi idem ſunt? Sed magis apparet, hinc tua Catholicis affingendi libido; inde tua ſocordia, quòd in eodem Capite quinto, aliquoties teipſum iugulas. Agnoſce hæc.

Loc. III. Capite 5. pag. 435. verba tua ſunt: *Exſtat in capitulis Caroli ab Anſegiſo collectis, notabile, & huc præcipuè pertinens Decretum, quo* EPISCOPI *idemtidem* OFFICII SVI *admonentur, vt non tantum* PRESBYTERI, *qui in Eccleſias, ſeu, vt tum appellabant, Parochias, ab* EPISCOPIS *mittebantur, ſed ipſimet* EPISCOPI, *recta, ac* DEI *verbo conſentanea, populum edocerent.*

Loc.

Loc. IIII. Eodem cap. 5. pag. eadem. Iterum tua verba ſunt, & adduntur Capituli verba, ex lib. 1. cap. 82. *Sed ipſa Capituli verba*, inquis, *apponere, pretium operæ exiſtimo, vt quantum exinde ſequentibus ſeculis, à recto, & vero, ſit exorbitatum, omnibus in propatulo conſtet.* Non erubeſcis, hîc, Pontane, cum tuis in execrandâ hæreſi, congerronibus, qui tantum à recto, & vero exorbitaſtis, vt, cum antè *Epiſcopi, & Presbyteri populum edocerent*; tu iam, vnus è populo, tuique ſimiles, *Epiſcopos* ipſos docere velitis, atque adeò in ordinem redigere, & *Presbyteris* æquare, cum vos hæretici neutros habeatis, neutros noueritis? ſed audiamus te verba capituli afferentem, quibus te omni ſorice confoſſiorem facis. *Habent*, inquis, *verba, vt ſequitur: Summopere vobis* (Epiſcopos alloquitur) *videndum eſt, dilectiſſimi, & venerabiles Paſtores, & Rectores Eccleſiarum* DEI, *vt Presbyteri, quos mittitis per Parochias veſtras ad prædicandum, & regendum per Eccleſias, populum* DEO *ſeruientem, rectè, & honeſtè prædicent*, &c. Vbi tu, Pontane, vnquam legiſti, *Epiſcopos viciſſim mitti à* Presbyteris?

Loc. V. Eodem cap. 5. pag. 436. verba tua: *Ad diſciplinam quod attinebat, erat* OFFICII EPISCOPALIS, *quod etiam Canon Concilij Moguntiacenſis repetit, vt quotannis* PRESBYTERI *de miniſterij functione, & fidei prædicatæ ratione, ab* EPISCOPIS *examinarentur. Quin &*

Laïcis paſſim in Francorum Eccleſijs , fas erat, Paſtores obſeruare , notare , & referre ad EPISCOPOS. Tridens eſt hoc telum, quo te , & tuâ aſſertione , & Concilij Moguntini authoritate , & populi Francici conſuetudine confodis,

LOC. VI. Eod. iterum cap. pag. 439. *Turonenſis* verba iſta deſcribis ad *Burgundionem*, quem ais, admodum fuiſſe adoleſcentem , & necdum PRESBYTERVM : *Habemus ſcriptum in Canonibus, fili, Non poſſe quemquam ad* EPISCOPATVM *aſcendere , niſi prius Eccleſiaſticos gradus regulariter ſortiatur. Tu ergo, dilectiſſime, reuertere illuc , & pete, vt ipſe te, qui elegit, debeat tonſurare. Cumque* PRESBYTERII *honorem acceperis ad Eccleſiam aſſiduus eſto : & cum eum* DEVS *migrare voluerit , tunc facilè* EPISCOPALEM *gradum aſcendes.* Expergiſcere, Pontane,& hos GRADVS attende,& vide, an *Epiſcopi, &* Presbyteri *apud Francos, indiſtincta fuerint munera.*

LOCVS VII. Eodem cap. 5. pag. 432. eâdem , inquam, paginâ, quâ in Capitis titulo, poſueras, *Epiſcoporum, & Presbyterorum indiſtincta munera* : duodecimo pòſt verſu, tuam aſſertionem Auguſtini authoritate, & exemplo comprobas. Sed vide, quam aſſertionem , & triplex iterum hoc telum, ſi potes, euade: *Ipſe Auguſtinus, monachum ſe fuiſſe, Epiſt. 89. ad Hilar. teſtatur: ex monacho deinde* Presbyterum; ex

PRE-

PRESBYTERO EPISCOPVM *factum*. Video, quid ad hæc omnia dicturus ſis, Fuiſſe quidem *Epiſcopos, & Presbyteros* æquales, ſed abuſu eos cœpiſſe diſtingui. Nam id indicas proximâ pag. 433. Sed te iterum ex teipſo refutemus. Cum in *Francorum* Eccleſijs id obtinuiſſe velis, vt iſti æquales eſſent, altius certè aſcendere non potes, quàm ad ipſum, quod ipſe ponis, *Francicæ* Eccleſiæ, & Chriſtianitatis initium: quod tu lib. eodem 6. cap. 1. pag. 406. *ad æuum Clodouæi, ipſo præeunte Clodouæo, anno circiter 500.* diſertè ponis. Nam ibi ſcribis, *Epiſcopum Remis agente Remigio, relicto paganorum cultu, ac moribus, Francos Chriſtum agnoſcere cœpiſſe.* Iam, ſi ipſo S. Remigio Epiſcopatum tenente, oſtendam, diſtinctos fuiſſe apud Francos, ab *Epiſcopis, Presbyteros*, nonne eo ipſo oſtendero, ab initio Eccleſiæ Francicæ id fuiſſe? Et quid tu reperies, quod reſpondeas, ſi tuis ipſius armis, quod hactenus feci, contra te pugnauero?

LOCVS VIII. Lib. 5. cap. 3. *religioni tibi ducis, ſi Remigij, Remenſis Archiepiſcopi, teſtamentum ſilentio prætermittas.* pag. 350. In eo teſtamento, ſequente pag. 351. iſta ipſe deſcribis totidem verbis: *Et tu fili fratris mei Lupe* EPISCOPE, *quem præcipuo ſemper amore dilexi: & tu nepos meus Agricola* PRESBYTER, *qui mihi obſequio tuo à pueritiâ placuiſti*, &c. Iterum infrà, cum ſæpius Lupum, EPISCOPVM vocet,

cet, pag. 357. denuo Agricolam PRESBYTERVM nominat.

LOCVS 9. Idem S. Remigius vbi de Epiſcopo poſt ſe Remis futuro toties loquitur, ſemper ſingulari numero *Succeſſorem* ſuum nominat. At pag. 357. *conuiuia præberi* iubet, non Presbytero vni, ſed *Remenſibus Presbyteris, & Diaconibus*. Simili loquendi ratione, pag. 358. *Laudunenſes Presbyteros* ſemel, iterumque; & denuo *Remenſes* memorat.

LOCVS X. Idem Sanctus, pag. 360. vetans, nequid irritum à quoquam fiat, eorum, quæ ſuo Teſtamento comprehenderat: *Si quis in ordine Clericali*, inquit, *à* PRESBYTERO, *vſque ad Tonſum contradicere, aut obuiare ei præſumſerit, & correptus à* SVCCESSORE MEO, *ſatiſfacere neglexerit: conuocatis ex vicinioribus locis Remorum diæceſeos, tribus* EPISCOPIS, *deponatur à gradu.* Elephanti corio circumtectus eſt, qui non videt, hoc loco, EPISCOPVM Presbytero maiorem.

BONE LECTOR, hanc Digreſſiunculam velim tibi probari, neque ab hoc loco alienam exiſtimari; vel hoc ſaltem nomine, quòd hæreticus iſte, (cui meliorem mentem à bono DEO, precor) dum *Epiſcopos cum Presbyteris, in Francicis Eccleſijs confundit*, noſtrum S. HVBERTVM eo honore (quod in ſe eſt,) priuat, quem ei Pontifex S. Sergius, imò DEVS ipſe, liberaliter contulerat: atque etiam ambitioſum,

tioſum,& vſurpatorem facit,qui ſe ijs prætulerit,quibus par erat.

Cæterum, ne *Pontanus* diſſimulaſſe me quicquam criminetur, eorum, in quibus cauſæ ſuæ firmamenta poſita voluerit: quod ex S. *Hieronymo* in cap. 1. ad Titum, affert, quemadmodum explicandum ſit, videat, ſi lubet, apud Cardin. *Bellarminum, tom.* 1. lib. *de Clericis*, ca. 15. Legat etiam eiuſdem *Hieronymi Epiſtolam ad Euagrium*, vbi inter alia, illud ſcriptum eſt: *Quid facit Epiſcopus*, (Excepta Ordinatione) *quod non faciat etiam Presbyter?* Sed quicquid tandem ſentiat, hâc in re Hieronymus, nihil Pontani inſtitutum iuuare poteſt, qui propriè de *Francis Epiſcopis*, *&* *Presbyteris* agit, quos longo interuallo Hieronymus præceſſit, ſi vel ipſius Pontani calculum ſequamur.

Calumnias reliquas, quas *Pontanus* Eccleſiæ Catholicæ imponit, *de Summo Pontifice, de Miſſâ*, alijſque antè memoratis, pari facilitate reijcere in promtu ſit. Sed neque ad inſtitutum meum id pertinet; neque occaſio in præſens poſtulat. Itaque Notas noſtras, quo cœpimus pede, proſequamur.

XCVI. Tam in *Hoſtiarum oblatione, quàm & Sacerdotali Benedictione, nec non Incenſi ſuper Aram thurificatione.*] Vide ante nongentos annos, expreſſam formam, quâ adhuc hodie Eccleſia Catholica vtitur, in *Eccleſiarum*

Conſecratione. Nihil ſimile inuenies in Caluinianis haris, nihil in Synagogis Lutheranis.

XCVII. BENEDICTIONIBVS *confirmauit.*] Ne Eccleſiam tantum *benedictione* luſtraſſe cenſeas, de quâ proximè dictum eſt, ipſos quoque homines, qui aderant, ait *Benedictionibus confirmatos.* Ringitur ad hæc talia, Caluinus, cum ſuo grege. Mauult videlicet, quod de ipſo, eiuſque ſimilibus, diuinus Vates tanto antè cecinit: *Dilexit Maledictionem, & veniet ei: & noluit Benedictionem, & elongabitur ab eo.* Pſal. 108. 18.

XCVIII. EVLOGIASQVE *omnibus dedit*] Nouum *Benedictionis* genus hoc eſt. Non dico ita Nouum, quin ſit antiquiſſimum: ſed aliud à Benedictione Eccleſiæ, & hominum, de quibus proximè antè dicebam. Sunt enim *Eulogiæ* vt plurimum *Cibi ab aliquo ſacro homine benedicti, & caritatis causâ amicis miſſi, aut donati.* Poſt Miſſas, eas dare, aut mittere, ſignum erat Communionis, vt colligere licet ex Gregor. Turon. lib. 5. Hiſt. Francor. cap. 14. Vnde Laodiceni Concilij Decretum eſt, *Quòd non oporteat ab hæreticis Eulogias accipere; quia ſunt maledictiones potius, quàm Benedictiones.* De *Eulogiarum* ritu, vide Baron. tom. 3. anno Chriſti 313. num. 48. & ſeqq. Vbi etiam num. 56. *Duplices Eulogias* fuiſſe rectè docet: alias *Publicas,* quæ erant Communionis Catholicæ Symbola; alias *Priuatas,* quas amici vltro citroque

troque dabant, & accipiebant. Tales fuerunt noſtri S. HVBERTI hoc loco. Tales etiam, quas à Presbyteris, Fratribus dari iubet Synodus Aquiſgranenſis anno 817. habita, cap. 68. Vide Paulinum Epiſtolâ 1. Et Epiſt. ad Alipium, & ad Romanianum. Erudita etiam, & lectu digniſſima habet contra Caſaubonum *Iulius Cæſar Bulengerus*, Diatrib. 3. ad cap. 3. Exercit. 1. Et *Gretſerus* noſter, lib. 2. de Benedict. cap. 24. ſeqq.

Etſi *Eulogiarum* dandarum & mittendarum vſus paſſim longo iam tempore deſierit; inuenio tamen in narratione MS. *Achardi* Monachi, à S. Bernardo, per ipſummet *Achardum*, eius Monachum, *Eulogias* miſſas Sancto Anachoretæ *Schetzeloni*, noſtro Luxemburgenſium Patrono, de quo pauca quædam Molanus in Natalibus SS. Belg. die 6. Auguſti. Quinetiam Patrum noſtrorum memoriâ, in Angliâ, aliquis *Eulogiarum* vſus adhuc reſtabat, vt oſtendit Sanderus lib. 2. de Schiſmate Anglic. ſub Edouardo Rege.

XCIX. VNVS ANACHORITARVM.] Indicat hic loquendi modus, eo tempore, & in illis Brabantiæ locis, plures fuiſſe *Anachoretas*, & certo Habitu inſignes: ſiue proprio nomine *Anachoretas* intelligamus, qui ab omni hominum conſortio ſegregati viuerent; ſiue quos modò & *Cœnobitas* dicimus, & *Monachos*, qui à ſeculi turbis ſecedunt. Neque abſurdum ni-

mis cenſeas, priori notione eum accipi, qui non modò hominum turbæ intereſſet, ſed & conuiuium agitaret cum Epiſcopo, & eumdem ad mero indulgendum, inuitaret. Nam & tales aliquando in vrbibus viſebantur, ſiue cibi colligendi causâ, ſiue alijs grauioribus: neque alienum cenſendum eſt à viro, etiam Sancto, Sanctum Epiſcopum, longo Officio fatigatum, nimium abſtinentiæ indulgentem, ad refocillationem virium, ſuadente caritate, ſuauiter inuitari.

C. HIS DICTIS, NAVIM *aſcendit.*] Manifeſtum eſt ex his verbis, locum, in quo Eccleſiam S Pontifex conſecrauerat, fluuio vicinum fuiſſe. Si ſententia placet, Eccleſiam eam eſſe, quæ proximè Heuerleo imminet (vt conicctans dixi num. 77.) dicamus, eum prandiſſe Louanij, ac inde, ſcaphâ vſum, Furam iter intendiſſe per fluuiolum, qui eodem nomine, Fura dicitur, ibidemque originem habet (hodie indigenis *Furken*, id eſt, Parua Fura) ac loco, ſine dubio nomen dedit. In rebus tam incertis, & authorum ſcriptis, deſtitutis, nemo à me iure apodixes poſtulet.

CI. LECTVLVS *loco delecto aptatur.*] Suſpicari licet, haud procul Furâ, villam aliquam fuiſſe, in quâ quietis aliquid æger capere voluerit. Dicamus non abſurdè, locum eum eſſe, qui hodie eſt pagus nomine *Leefdael*, in quo perſeuerat celebris memoria, & cultus S.

HVBER-

HVBERTI, & maximus ad eius feſtum diem, concurſus.

CII. INDIDEM EQVO *conſcenſo.*] Mauult quiſque ægrotus, domi ſuæ quàm alienæ, & ægrotare, & mori. Hinc etiam noctu properat. Atque eam cauſam crediderim, cur equo potius vtatur, quàm ſe ſcaphæ reddat. Adde, quod nocte nauigare ſæpe parum tutum.

CIII. DOMVI *propriæ inducitur.*] *Furæ* eam domum fuiſſe, & hiſtoria Vitæ teſtatur, cap. 14. & perpetua Traditio, & Sodalitas S. HVBERTI *Furæ* celebris. Quin & Sacellum eo ipſo loco ædificatum, quo beatam animam DEO Conditori reddiderat: de quibus ſcribo, vbi de Cultus Propagatione. Sed quomodo, & vnde HVBERTO Epiſcopo Leodienſi domus Furæ in Brabantiâ? Etiam hic coniecturæ ſit locus. Suprà, primâ huius Hiſtoriæ parte, legimus S. HVBERTVM Vxorem habuiſſe *Floribanam, Louanienſis Comitis filiam.* Credi poteſt, à ſocero *Furam* illi, præter alia bona, dotis nomine, attributam.

CIIII. SEMET SOLABATVR *decantatione Pſalterij.*] Iam antè quoque in maximis doloribus hunc ſanctum ceciniſſe obſeruauimus. Maximam illi fuiſſe oportet animi tranquillitatem, qui tum cantare ſuſtineret, cum plerique miſerè trepidant.

CV. LIQVORQVE *Oliui itidem Apoſtolicâ authoritate benedictus.*] Non modò Aquam,

ſed & *Oleum* olim in Eccleſiâ, ad varios vſus benedici ſolitum, contra ſanniones ſectarios rectè oſtendit Cardin. Bellarmin. tom. 1. Controuer. 7. lib. 3. de cultu ſanct. cap. 7. ex Clemente lib. 8. Apoſtol. Conſt. cap. 35. Dionyſio de Eccleſ. hierarch. cap. de Baptiſmo, Baſilio, lib. de Spiritu S. cap. 27. Auguſtino, tractat. 118. in Ioann. Modò extra Sacramenta, rarior *Olei* conſecrati vſus eſſe videtur. Sed tantò frequentior eſt Ceræ conſecratæ, quam *Agnum* Dei dicimus. Huius multo facilior, & ſecurior tractatio eſt, quod non tam facilè fundatur. Ex quo ſuſpicari licet, illi, volente, & probante Chriſtiano populo, ſucceſſiſſe.

C V I. Qvorvm *aſpergine, atque liturâ.*] *Aſperginem* ad Aquam refer; *lituram* ad conſecratum Oleum. Simul attende, quantam vim contra nefarios ſpiritus, ſanctus vir Eccleſiæ benedictionibus tribuat.

CVII. Sacrvm *Officium ſepteno numero dicatum.*] Vide, quæ dixi ſuprà, num. 90.

CVIII. Sexta Feria.] Cum veteres Annales noſtrum ſanctum obijſſe ponant 3. Kalend. Iunij, id eſt 30. Maij, qui cum litterâ C. concurrit, ac proinde littera Dominicalis fuerit E. aptiſſimè colligit Bucherius noſter in Diſput. Hiſt. deceſſiſſe anno Domini 727.

CIX. Filivs *eius Florebertus.*] Fruſtra ſunt, qui hunc non carnalem, ſed ſpiritualem tantum S. Hvberti filium fuiſſe volunt. Recla-

clamant omnia antiqua monumenta. Nec eſt, cur cuiquam id vel abſurdum, vel mirum videatur; cum Vxorem habuiſſe conſtet. Quin etiam nomen Floreberti à Patris, & Matris nomine ſumtum, atque ex ijs conflatum videtur: priore parte à Floribanâ; poſteriore ab HVBERTO, mutuatâ.

CX. OPPANDITE *Ori velamen.*] Ijs, qui iam defuncti ſunt, ſolet os operiri, quod plerique parum decorè apertum habent. Noſter ſanctus, religiosè verecundus, ante mortem id fieri petit, ne quem geſtum minus decentem in illâ vltimâ Agoniâ, aſtantibus exhibeat. Hunc locum non aliter intelligo.

CX. CANEBAT *Symboli verba.*] Audi diuinum hunc Cycnum, ad mortem vſque, atque adeo in ipsâ morte, canentem. Quòd *Symboli* verba potiſſimum recitat, *Fidei profeſſio* eſt, quæ vtiliſſimè illo articulo, Diaboli machinationibus opponitur. Fecit idem illuſtris *Martyr Petrus* ex familiâ S. Dominici, cum ſe ab impio ſicario, ſemel, ac iterum repetito ictu, appetitum videret. Itaque ſic canens noſter S. HVBERTVS mortuus eſt, anno Domini 727. vt in Tabulis notatur. Baronius, (vt *opere in longo, fas eſt obrepere ſomnum*) quantumuis magnus temporum ſcrutator, non ſemel hoc in tempore eſt lapſus. In Martyrologio ait obijſſe anno Chriſti 730. At tom. 9. Annal. totos 24. annos vitæ illi addit, & deceſſiſſe ponit anno.

714.

754. Emendat quidem errorem illum, tom. 12. in *addendis, & emendandis* : ſed diſtat nihilominus toto biennio à ſeipſo in Martyrologio, dum illum vult migraſſe anno 728. Alij item nonnulli, dum Baronij calculum ſequuntur, eumdem errorem errarunt.

CXII. Qvæ Mortvis *debentur, pie Officia ſepulturæ præſtantur.*] Iterum, atque iterum attendendum moneo, ante 900. annos, ſepulturæ quoque Catholicæ ritus in Eccleſiâ, eos fuiſſe, qui modò viſuntur. *Reuerendus*, inquam, *habitus, Proceſſio, Crucis vexilla, Sanctorum Reliquiæ*, quas *Patrocinia* vocat, quod ad illas, quæ petimus, obtineamus. *Candelabra lumine radiantia, Aromata, Thymiamateria, Pſalmi, Cantus, Faces, Peruigilium, Epiſcopalis defuncti veſtitus.* Hæc omnia, paſſim hoc capite memorata, hoc loco coniungere placuit, ne ſingulis immorandum eſſet. Caluiniſtæ, & Lutheriſtæ, qui iſta rident, per me licet, *ſepulturâ aſini ſepeliantur*, vt ille apud Ieremiam, cap. 22. 19.

CXIII. Qvæ *loca à ſe differunt millibus triginta.*] De *Fura*, & *Leodio* loquitur. Non ſunt autem accipienda milliaria, ſiue leucæ, quæ hodie eo loco in vſu: ſed millia paſſuum, ſiue miliaria Italica. Neque tum rotundus ille numerus nimis preſsè capiendus, ſed præterpropter.

CXIIII. Virga *ſuper ſepulcrum eius inciſa eſt, quia ita res exigebat.*] Obſcurum hoc eſt. Quo-

Quomodo enim res exigebat, vt virga ſuper eius Sepulcrum incideretur? Senſus ex Gallicâ Vitâ *Huberti le Preuoſt*, alijſque MSS. hic eſt. Virga, tamquam Sepulcri longitudinis menſura, perperam breuior inciſa erat. Ea miraculo longior facta.

CXV. KARLOMANNO *Rege tertio iam anno, Regni Francorum ſceptra regente..*] Anno videlicet 743. qui eſt annus decimusſextus à S. Pontificis obitu. Karlomannus enim cum Pipino fratre, Principatum inierat 741. vt in Tabulis videre eſt.

CXVI. VT CORPORIS *Beati Viri buſta indidem leuarentur.*] Durâ catachreſi, Corporis Buſta, vocat ipſum Corpus. *Eleuatio* porrò ſanctorum corporum in DEI Eccleſiâ ſemper religioſa habita eſt, DEO ipſo authore inducta. *Gernaſij*, *& Protaſij* illuſtrium Martyrum corpora, S. Ambroſius, DEI monitu inuenta, ſplendidius collocanda curauit. Lucianus ſanctus Presbyter, diuinitus monitus, corpus S. *Stephani* Protomartyris, itemque *Gamalielis*, *Nicodemi*, *& Abibonis* ſimiliter vt maiore in honore eſſent effecit. Atque vt appareat, ipſos Sanctos, eum honorem, ad DEI gloriam, deſiderare; ipſe *Gamaliel* Luciano apparuit, & ſordidum locum, in quo hactenus cum alijs illis iacuerat, oſtendit, imperauitque, vt cum Iohanne Ieroſolymitano Epiſcopo de *eleuatione* ageret. Egit & peregit, non ſine ſacrâ pom-

Cc pa, ad-

pâ, adhibitis etiam vicinarum vrbium Epiſcopis. Hiſtoriam accuratius, cui lubuerit, videbit apud Surium, 3. Auguſti. Duo alia exempla ſunt apud Molanum, in Natalibus SS. Belgij: Nono Februarij, de *S. Anſberto Epiſcopo Rotomagenſi*: & 16. Auguſti de *S. Arnulpho Chriſtophoro Epiſcopo Sueſſionenſi.* In priore illud etiam notandum, Corpus eius ab Abbate Alti-Montis, *ſic fuiſſe veſtitum, ſicut ſanctis Altaribus aſſiſtere conſueuerat*; quod ſuprà etiam de noſtro S. HVBERTO vidimus. In poſteriore verò, *de terrâ Eleuatum dici eius Corpus, & repoſitum, iuxta morem Gallicanæ Eccleſiæ.*

CXVII. DVOS LIBROS *ſuper Altare depoſuêre.*] Eſt hoc quaſi quoddam *Sortis* genus, quo exquiratur DEI voluntas. Satis conſtat, ipſius DEI nutu, & iuſſu, antiquitus ſæpe *Sortes* adhibitas. Sic in veteri Teſtamento *deprehenſus Ionathas*, 1. Reg. 14. 42. Sic *Rex factus* eius Pater *Saul*, cap. 10. 21. Sic *in furto deprehenſus Achan*, Ioſue 7. 18. Sic in nouo, Iudæ proditori, *in Apoſtolatu ſuffectus Matthias*, Actor. 1. 26. Sed quæcumque *ſortium* ratio fuerit antiquiſſimis illis temporibus, Chriſtianæ Eccleſiæ video placuiſſe eas, quæ *libris* adhibitis, DEI voluntatem indicabant, & vt plurimum *Sacris libris*, vt hic vides *Euangelia*, & *Miſſarum Conſecrationes.* Nobiliſſimum exemplum eſt in *Conuerſione S. Auguſtini*, ipſo narrante, lib. 8. Confeſſ. cap. vlt. Qui poſt illos notiſſi-

notiſſimos tentationum, & dubitationum æſtus, diuinitus audiens, *Tolle, lege, Tolle, lege,* illud legit ex Apoſtolo: *Non in cubilibus, &c.* Vide eumdem lib. 9. Conf. cap. vlt. Conſule item Gregor. Turon. Hiſtoriæ Francor. lib. 2. cap. 37. & lib. 4. cap. 16. & 20. & Seuerum Sulpitium in Hiſt. D. Martini, de *Defenſore.* Et Crantzium, lib. 4. Metropol. cap. 19. & 29. Neque deeſt aliud exemplum in hâc ipsâ Hiſtoriâ S. HVBERTI, quam habemus in manibus, quod intrà inter Miracula leges.

Addo, *ſacrorum Librorum* inſpectionem, aut verborum auditionem, quandoque non tam *ſortis* rationem habere videri, quàm cuiuſdam *caſus fortuiti*, ſed, qui à DEO, peculiari *prouidentiâ* gubernetur, cui potius tribuendus ſit, quam Fortunæ: ſicut etiam de illis, quas dixi, *Sortibus*, credendum eſt. de quibus ille ipſe, qui eas temperat, pronuntiat: SORTES *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Prouerb. 16. 33. Talis *diuinus Caſus* fuit, (ſi ita vocare lubet) quo S. Antonius Eccleſiam adhuc adoleſcens, ingreſſus, illud ex Euangelio audiuit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. 21. idque, tamquam ſibi peculiariter dictum, arripuit. Talis, qui paucis ante annis, Nobili Virgini contigit, quæ ſaltu, & tripudijs fatigata, in mediâ adhuc vanitatis pompâ, libellum alicubi proiectum arripiens, velut aliud agens, reuoluit,

Conſecratione. Nihil ſimile inuenies in Caluinianis haris, nihil in Synagogis Lutheranis.

XCVII. BENEDICTIONIBVS *confirmauit.*] Ne Eccleſiam tantum *benedictione* luſtraſſe cenſeas, de quâ proximè dictum eſt, ipſos quoque homines, qui aderant, ait *Benedictionibus confirmatos.* Ringitur ad hæc talia, Caluinus, cum ſuo grege. Mauult videlicet, quod de ipſo, eiuſque ſimilibus, diuinus Vates tanto antè cecinit: *Dilexit Maledictionem, & veniet ei: & noluit Benedictionem, & elongabitur ab eo.* Pſal. 108. 18.

XCVIII. EVLOGIASQVE *omnibus dedit*] Nouum *Benedictionis* genus hoc eſt. Non dico ita Nouum, quin ſit antiquiſſimum: ſed aliud à Benedictione Eccleſiæ, & hominum, de quibus proximè antè dicebam. Sunt enim *Eulogiæ* vt plurimum *Cibi ab aliquo ſacro homine benedicti, & caritatis causâ amicis miſſi, aut donati.* Poſt Miſſas, eas dare, aut mittere, ſignum erat Communionis, vt colligere licet ex Gregor. Turon. lib. 5. Hiſt. Francor. cap. 14. Vnde Laodiceni Concilij Decretum eſt, *Quòd non oporteat ab hæreticis Eulogias accipere; quia ſunt maledictiones potius, quàm Benedictiones.* De *Eulogiarum* ritu, vide Baron. tom. 3. anno Chriſti 313. num. 48. & ſeqq. Vbi etiam num. 56. *Duplices Eulogias* fuiſſe rectè docet: alias *Publicas*, quæ erant Communionis Catholicæ Symbola; alias *Priuatas*, quas amici vltro citroque

troque dabant, & accipiebant. Tales fuerunt noſtri S. Hvberti hoc loco. Tales etiam, quas à Presbyteris, Fratribus dari iubet Synodus Aquiſgranenſis anno 817. habita, cap. 68. Vide Paulinum Epiſtolâ 1. Et Epiſt. ad Alipium, & ad Romanianum. Erudita etiam, & lectu digniſſima habet contra Caſaubonum *Iulius Cæſar Bulengerus,* Diatrib. 3. ad cap. 3. Exercit. 1. Et *Gretſerus* noſter, lib. 2. de Benedict. cap. 24. ſeqq.

Etſi *Eulogiarum* dandarum & mittendarum vſus paſſim longo iam tempore deſierit; inuenio tamen in narratione MS. *Achardi* Monachi, à S. Bernardo, per ipſummet *Achardum,* eius Monachum, *Eulogias* miſſas Sancto Anachoretæ *Schetzeloni*, noſtro Luxemburgenſium Patrono, de quo pauca quædam Molanus in Natalibus SS. Belg. die 6. Auguſti. Quinetiam Patrum noſtrorum memoriâ, in Angliâ, aliquis *Eulogiarum* vſus adhuc reſtabat, vt oſtendit Sanderus lib. 2. de Schiſmate Anglic. ſub Edouardo Rege.

XCIX. Vnvs Anachoritarvm.] Indicat hic loquendi modus, eo tempore, & in illis Brabantiæ locis, plures fuiſſe *Anachoretas,* & certo Habitu inſignes: ſiue proprio nomine *Anachoretas* intelligamus, qui ab omni hominum conſortio ſegregati viuerent; ſiue quos modò & *Cœnobitas* dicimus, & *Monachos,* qui à ſeculi turbis ſecedunt. Neque abſurdum ni-

mis cenſeas, priori notione eum accipi, qui non modò hominum turbæ intereſſet, ſed & conuiuium agitaret cum Epiſcopo,& eumdem ad mero indulgendum, inuitaret. Nam & tales aliquando in vrbibus viſebantur, ſiue cibi colligendi causâ, ſiue alijs grauioribus: neque alienum cenſendum eſt à viro, etiam Sancto, Sanctum Epiſcopum, longo Officio fatigatum, nimium abſtinentiæ indulgentem, ad refocillationem virium, ſuadente caritate, ſuauiter inuitari.

C. HIS DICTIS, NAVIM *aſcendit.*] Manifeſtum eſt ex his verbis, locum, in quo Eccleſiam S Pontifex conſecrauerat, fluuio vicinum fuiſſe. Si ſententia placet, Eccleſiam eam eſſe, quæ proximè Heuerleo imminet (vt coniectans dixi num. 77.) dicamus, eum prandiſſe Louanij, ac inde, ſcaphâ vſum, Furam iter intendiſſe per fluuiolum, qui eodem nomine, Fura dicitur, ibidemque originem habet (hodie indigenis *Furken*, id eſt, Parua Fura) ac loco, ſine dubio nomen dedit. In rebus tam incertis, & authorum ſcriptis, deſtitutis, nemo à me iure apodixes poſtulet.

CI. LECTVLVS *loco delecto aptatur.*] Suſpicari licet, haud procul Furâ, villam aliquam fuiſſe, in quâ quietis aliquid æger capere voluerit. Dicamus non abſurdè, locum eum eſſe, qui hodie eſt pagus nomine *Leefdael*, in quo perſeuerat celebris memoria, & cultus S.

HVBER-

HVBERTI, & maximus ad eius feſtum diem, concurſus.

CII. INDIDEM EQVO *conſcenſo.*] Mauult quiſque ægrotus, domi ſuæ quàm alienæ, & ægrotare, & mori. Hinc etiam noctu properat. Atque eam cauſam crediderim, cur equo potius vtatur, quàm ſe ſcaphæ reddat. Adde, quod nocte nauigare ſæpe parum tutum.

CIII. DOMVI *propriæ inducitur.*] *Furæ* eam domum fuiſſe, & hiſtoria Vitæ teſtatur, cap. 14. & perpetua Traditio, & Sodalitas S. HVBERTI *Furæ* celebris. Quin & Sacellum eo ipſo loco ædificatum, quo beatam animam DEO Conditori reddiderat: de quibus ſcribo, vbi de Cultus Propagatione. Sed quomodo, & vnde HVBERTO Epiſcopo Leodienſi domus Furæ in Brabantiâ? Etiam hic coniecturæ ſit locus. Suprà, primâ huius Hiſtoriæ parte, legimus S. HVBERTVM Vxorem habuiſſe *Floribanam, Louanienſis Comitis filiam.* Credi poteſt, à ſocero *Furam* illi, præter alia bona, dotis nomine, attributam.

CIIII. SEMET SOLABATVR *decantatione Pſalterij.*] Iam antè quoque in maximis doloribus hunc ſanctum ceciniſſe obſeruauimus. Maximam illi fuiſſe oportet animi tranquillitatem, qui tum cantare ſuſtineret, cum plerique miſerè trepidant.

CV. LIQVORQVE *Oliui itidem Apoſtolicâ authoritate benedictus.*] Non modò Aquam,

 ſed

ſed & *Oleum* olim in Eccleſiâ, ad varios vſus benedici ſolitum, contra ſanniones ſectarios rectè oſtendit Cardin. Bellarmin. tom. 1. Controuer. 7. lib. 3. de cultu ſanct. cap. 7. ex Clemente lib. 8. Apoſtol. Conſt. cap. 35. Dionyſio de Eccleſ. hierarch. cap. de Baptiſmo, Baſilio, lib. de Spiritu S. cap. 27. Auguſtino, tractat. 118. in Ioann. Modò extra Sacramenta, rarior *Olei* conſecrati vſus eſſe videtur. Sed tantò frequentior eſt Ceræ conſecratæ, quam *Agnum* Dei dicimus. Huius multo facilior, & ſecurior tractatio eſt, quod non tam facilè fundatur. Ex quo ſuſpicari licet, illi, volente, & probante Chriſtiano populo, ſucceſſiſſe.

CVI. Qvorvm *aſpergine, atque liturâ.*] *Aſperginem* ad Aquam refer; *lituram* ad conſecratum Oleum. Simul attende, quantam vim contra nefarios ſpiritus, ſanctus vir Eccleſiæ benedictionibus tribuat.

CVII. Sacrvm *Officium ſepteno numero dicatum.*] Vide, quæ dixi ſuprà, num. 90.

CVIII. Sexta Feria.] Cum veteres Annales noſtrum ſanctum obijſſe ponant 3. Kalend. Iunij, id eſt 30. Maij, qui cum litterâ C. concurrit, ac proinde littera Dominicalis fuerit E. aptiſſimè colligit Bucherius noſter in Diſput. Hiſt. deceſſiſſe anno Domini 727.

CIX. Filivs *eius Florebertus.*] Fruſtra ſunt, qui hunc non carnalem, ſed ſpiritualem tantum S. Hvberti filium fuiſſe volunt. Recla-

clamant omnia antiqua monumenta. Nec eſt, cur cuiquam id vel abſurdum, vel mirum videatur; cum Vxorem habuiſſe conſtet. Quin etiam nomen Floreberti à Patris, & Matris nomine ſumtum, atque ex ijs conflatum videtur: priore parte à Floribanâ; poſteriore ab Hvberto, mutuatâ.

CX. Oppandite *Ori velamen.*] Ijs, qui iam defuncti ſunt, ſolet os operiri, quod plerique parum decorè apertum habent. Noſter ſanctus, religioſè verecundus, ante mortem id fieri petit, ne quem geſtum minus decentem in illâ vltimâ Agoniâ, aſtantibus exhibeat. Hunc locum non aliter intelligo.

CX. Canebat *Symboli verba:*] Audi diuinum hunc Cycnum, ad mortem vſque, atque adeo in ipſâ morte, canentem. Quòd *Symboli* verba potiſſimum recitat, *Fidei profeſſio* eſt, quæ vtiliſſimè illo articulo, Diaboli machinationibus opponitur. Fecit idem illuſtris *Martyr Petrus* ex familiâ S. Dominici, cum ſe ab impio ſicario, ſemel, ac iterum repetito ictu, appetitum videret. Itaque ſic canens noſter S. Hvbertvs mortuus eſt, anno Domini 727. vt in Tabulis notatur. Baronius, (vt *opere in longo, fas eſt obrepere ſomnum*) quantumuis magnus temporum ſcrutator, non ſemel hoc in tempore eſt lapſus. In Martyrologio ait obijſſe anno Chriſti 730. At tom. 9. Annal. totos 24. annos vitæ illi addit, & deceſſiſſe ponit anno

754.

754. Emendat quidem errorem illum, tom. 12. in *addendis, & emendandis*: ſed diſtat nihilominus toto biennio à ſeipſo in Martyrologio, dum illum vult migraſſe anno 728. Alij item nonnulli, dum Baronij calculum ſequuntur, eumdem errorem errarunt.

CXII. QVÆ MORTVIS *debentur, pie Officia ſepulturæ præſtantur.*] Iterum, atque iterum attendendum moneo, ante 900. annos, ſepulturæ quoque Catholicæ ritus in Eccleſiâ, eos fuiſſe, qui modò viſuntur. *Reuerendus*, inquam, *habitus, Proceſſio, Crucis vexilla, Sanctorum Reliquiæ*, quas *Patrocinia* vocat, quod ad illas, quæ petimus, obtineamus. *Candelabra lumine radiantia, Aromata, Thymiamateria, Pſalmi, Cantus, Faces, Peruigilium, Epiſcopalis defuncti veſtitus.* Hæc omnia, paſſim hoc capite memorata, hoc loco coniungere placuit, ne ſingulis immorandum eſſet. Caluiniſtæ, & Lutheriſtæ, qui iſta rident, per me licet, *ſepulturâ aſini ſepeliantur*, vt ille apud Ieremiam, cap. 22.19.

CXIII. QVÆ *loca à ſe differunt millibus triginta.*] De *Fura*, & *Leodio* loquitur. Non ſunt autem accipienda milliaria, ſiue leucæ, quæ hodie eo loco in vſu: ſed millia paſſuum, ſiue miliaria Italica. Neque tum rotundus ille numerus nimis preſsè capiendus, ſed præterpropter.

CXIIII. VIRGA *ſuper ſepulcrum eius inciſa eſt, quia ita res exigebat.*] Obſcurum hoc eſt.

Quo-

Quomodo enim res exigebat, vt virga ſuper eius Sepulcrum incideretur? Senſus ex Gallicâ Vitâ *Huberti le Preuoſt*, alijſque MSS. hic eſt. Virga, tamquam Sepulcri longitudinis menſura, perperam breuior inciſa erat. Ea miraculo longior facta.

CXV. KARLOMANNO *Rege tertio iam anno, Regni Francorum ſceptra regente..*] Anno videlicet 743. qui eſt annus decimusſextus à S. Pontificis obitu. Karlomannus enim cum Pipino fratre, Principatum inierat 741. vt in Tabulis videre eſt.

CXVI. VT CORPORIS *Beati Viri buſta indidem leuarentur.*] Durâ catachreſi, Corporis Buſta, vocat ipſum Corpus. *Eleuatio* porrò ſanctorum corporum in DEI Eccleſiâ ſemper religioſa habita eſt, DEO ipſo authore inducta. *Geruaſij*, *&* *Protaſij* illuſtrium Martyrum corpora, S. Ambroſius, DEI monitu inuenta, ſplendidius collocanda curauit. Lucianus ſanctus Presbyter, diuinitus monitus, corpus S. *Stephani* Protomartyris, itemque *Gamalielis*, *Nicodemi*, *&* *Abibonis* ſimiliter vt maiore in honore eſſent effecit. Atque vt appareat, ipſos Sanctos, eum honorem, ad DEI gloriam, deſiderare; ipſe *Gamaliel* Luciano apparuit, & ſordidum locum, in quo hactenus cum alijs illis iacuerat, oſtendit, imperauitque, vt cum Iohanne Ieroſolymitano Epiſcopo de *eleuatione* ageret. Egit & peregit, non ſine ſacrâ pom-

notiſſimos tentationum, & dubitationum æſtus, diuinitus audiens, *Tolle, lege, Tolle, lege,* illud legit ex Apoſtolo: *Non in cubilibus, &c.* Vide eumdem lib. 9. Conf. cap. vlt. Conſule item Gregor. Turon. Hiſtoriæ Francor. lib. 2. cap. 37. & lib. 4. cap. 16. & 20. & Seuerum Sulpitium in Hiſt. D. Martini, de *Defenſore.* Et Crantzium, lib. 4. Metropol. cap. 19. & 29. Neque deeſt aliud exemplum in hâc ipsâ Hiſtoriâ S. HVBERTI, quam habemus in manibus, quod infrà inter Miracula leges.

Addo, *ſacrorum Librorum* inſpectionem, aut verborum auditionem, quandoque non tam *ſortis* rationem habere videri, quàm cuiuſdam *caſus fortuiti*, ſed, qui à DEO, peculiari *prouidentiâ* gubernetur, cui potius tribuendus ſit, quam Fortunæ: ſicut etiam de illis, quas dixi, *Sortibus*, credendum eſt. de quibus ille ipſe, qui eas temperat, pronuntiat: SORTES *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Prouerb. 16. 33. Talis *diuinus Caſus* fuit, (ſi ita vocare lubet) quo S. Antonius Eccleſiam adhuc adoleſcens, ingreſſus, illud ex Euangelio audiuit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. 21. idque, tamquam ſibi peculiariter dictum, arripuit. Talis, qui paucis ante annis, Nobili Virgini contigit, quæ ſaltu, & tripudijs fatigata, in mediâ adhuc vanitatis pompâ, libellum alicubi proiectum arripiens, velut aliud agens, reuoluit,

ac in eo, cum pius eſſet, eiuſmodi aculeos reperit, quibus compunctum cor, nugas illas, ac cæteras mundi omnes, deinceps, vt dira venena fugere conſtituit, ac reipsâ ſic fugit, vt in Monaſterium Virginum ſacrarum, nequicquam reclamantibus amicis, ſe abdiderit, in quo vitam hodieque & ſanctam, & duram, cum reliquis agit. Sed hæc de *Sortibus*, & *diuinis Caſibus* ſufficiant.

CXVIII. QVIBVS MISSARVM *peragitur Sacramentum.*] Etiam hoc notet Caluiniſta, non modò tunc *Miſſarum Sacramenta peracta*, ſed ei rei *Libros* dicatos fuiſſe, quos *Miſſales* vocamus.

CXIX. SILICEA *continebat vrna.*] id eſt, *Lapidea*, *Silice* pro quouis lapide, poſito. Erat enim Marmorea, vt infra videbis.

CXX. CORONAM *verò capillorum.*] *Tonſuram* vocamus. Rident illam ſanniones hæretici: ſed ante annos 900. geſtabant ſancti, venerabantur Chriſtiani.

CXXI. AD PALATIVM *vſque peruenit.*] Iupiliæ fuerit hoc Palatium, vbi Auſtraſij Principes fere morabantur.

CXXII. REX KARLOMANNVS.] Promiſcuè hic, & Frater eius Pipinus, iam *Reges* dicuntur; iam *Maiores-Domus*. Quicquid ſit de nomine, Regnum certè Franciæ gubernabant.

CXXIII. DETVLIT *ante Sacrum Altare.*]

Intel-

Intellige Altare Maximum in eodem S. Petri Templo, in quo, in Cryptâ, quæ ſub illo ipſo Altari eſt, fuerat humatum. Teſtatur id Inſcriptio in Pariete, ipſi Altari proximò, ad cornu, quod vocant Epiſtolæ.

IN TRANSLATIONEM CORPORIS S. HVBERTI,

NOTÆ.

CXXIV. HÆC DE VITA, *& mirabililibus* B. HVBERTI.] Eſt hæc Tranſitio IONÆ Epiſcopi, qui profitetur, ſe hactenus cultiore ſtylo ſcripſiſſe, quæ S. HVBERTI diſcipulus, familiaris, & domeſticus, minore facundiâ ſcripſerat. At deinceps de eiuſdem Sancti *Translatione*, ipſius Ionæ tempore, à Walcando factâ, ea ſcripturum; quibus ipſum Ionam interfuiſſe, planè eſt vero ſimile. Certè intereſſe potuit, & ſolebant vicini, & amici Epiſcopi ad eiuſmodi ſacras pompas inuitari. Nec illi facilè abnuebant rem, quæ ſuâ

pietate, & raritate alliceret etiam non vocatos. Accedit, quòd vbi Princeps ipſe rem aliquam agit, (vt hîc *Ludouicus Imperator*) ſolet tanto maior eſſe magnatum concurſus. Denique cum Walcandus Epiſcopus ab Iona, Tranſlationem iſtam deſcribi vellet, omnino credibile eſt, non omiſiſſe, quin ad eam illum inuitaret. Porrò de hoc Iona, vide, quæ ſcripſi ſuprà, num. 53.

CXXV. Anno *Octingenteſimo tertiodecimo.*] Multi Codices habent 811. vitiosè. Ac ne noſtrum quidem Exemplar ſine errore eſt. Sed minus errat, quam alia. Nam Carolus Magnus obijt anno Chriſti 814. vti tradunt Scriptores vitæ aut rerum eius geſtarum: item Anſelmus apud Chap. tom. 1. cap. 31. & Ægidius in Additione, cap. 34.

CXXVI. Cella *quædam.*] Sic vocabant eâ ætate, loca ſolitaria, ſiue ſolitarijs dicata, & habitata, cuiuſmodi erat tum *Andainum.* Sic obſeruaui, circa nobiliſſimum Monaſterium Fuldenſe, in eâ Germaniæ parte, quæ *Buchonia* dicitur, plures pagos, *Cellas* vocari: quod Monachorum Fuldenſium eſſent, & in ijs, aliqui fortè ipſius Monaſterij rebus, aut reditibus, antiquitus præeſſent. Hinc exempli gratiâ, eſt *Glaſer-Cell*, quaſi dicas, Cella-Vitriaria. An quod ibi vitra vaſis, & feneſtris apta conflabantur?

CXXVII. Antiqvo *nomine vocata* Andagivm.

DAGIVM.] Frequentius ANDAINVM dicebatur. Sed de loco, & nomine, abunde ſcribo in Quæſtionibus Hubertinis, Q. 8.

CXXVIII. VETVSTATE *nimiâ collapſa.*] Hæc Vetuſtas potius ex hominum ſocordiâ æſtimanda, quàm ex ſeculorum longo lapſu. Quippe initium ſacræ illi Cellæ fecerat Sanctus *Beregiſus* circa annum Domini 700. Pipino, & Plectrude eius coniuge locum benignè attribuentibus: vt in illâ Quæſtione demonſtratur. Itaque illa, quam dicit, *Vetuſtas*, non eſt niſi 114. annorum, aut non multò plurium. Quod ſpatium, vitæ quidem humanæ longum cenſeatur: ſed Religioſæ Congregationis iudicari non debet niſi pueritia, & penè infantia. Sed ſic ſunt humanæ res: noſtrâ ignauiâ ſeneſcunt, antequam adoleuerint, & *Occidit* nobis *Sol in meridie* (Oſe. 8. 9.) imò primo manè.

CXXIX. MONACHOS *eſſe voluit.*] Etiam hoc in eâdem Quæſtione annotatum à me inuenies.

CXXX. EX MONASTERIO S.*Lamberti.*] Ne mireris, ſic vocari. *Monaſterium* idem Ionæ noſtro eſt, quod *Cœnobium*, etiamſi origine, & etymologia hæc duo fere pugnent. Conſtat verò paſſim ea, quæ hodie *Canonicorum Collegia, & Capitula* vocamus, verè fuiſſe *Cœnobia:* id eſt, Canonicos ſimul communem vitam duxiſſe, ſimul habitaſſe, ſimul edîſſe. Præter

ter hiſtorias, huius fidem faciunt, quæ vocamus *Clauſtra, Periſtylia, Refectoria, &c.*

CXXXI. INDIGNVM *locum, quo ſancta membra iacebant, tanto Confeſſore iudicauit.*] Erat is locus ad Summum Altare Ecçleſiæ Sancti, Petri, vt ſupra indicaui.

Hic igitur locus, cur ab Antiſtite *Walcando* indignus iudicatus? Cur Monaſterium, horridis vndique ſiluis cinctum, dignius eâ Eccleſiâ, quam ipſe S. HVBERTVS ædificârat, & *Sepulturæ* locum delegerat? idque in eâ Vrbe, in quâ Epiſcopalis ſedes, ipſo HVBERTO transferente, erat? Hæreo. Neque reperio, quod dicam, niſi illud fortè, Etſi S. Petri Eccleſia minimè indignus locus cenſeri poterat; ipſum tamen ſepulcrum, ſacri Corporis receptaculum, parum fuiſſe ornatum, & aptum, in quo tantus theſaurus aſſeruaretur. Credibile etiam eſt, eo minorem fuiſſe S. HVBERTI inibi venerationem, quo vicinior erat S. Martyr *Lambertus,* qui illius, ſi fas dicere, quodammodo luminibus officere videbatur. Id inſinuatur paulò poſt, cum dicitur Sacrum corpus Andainenſibus Monachis conceſſum, *vt religioſius honoraretur.*

CXXXII. ADEBALDVM *Metropolitem ſuum conſuluit.*] Erat hic Archiepiſcopus Colonienſis. Apud Surium in vitâ S. HVBERTI ad marginem variè ſcribitur, *Hadabaldus, Hildebaldus, Huldiboldus.* Magnum Chronicon Belgicum

gicum *Hildeboldum* vocat, & de eo hæc breuiter tradit: *Venerabilis pater Hildeboldus, decimus nonus Archiepiſcopus Colonienſis Eccleſia, ſedit ſub Carolo Magno, & eius filio Ludouico Pio Imperatoribus, qui eumdem Ludouicum vnxit in Regem Romanorum & ſedit annis 34.*

CXXXIII. AD CONCILIVM *venerabile Epiſcoporum, quod tunc temporis ad Aquas Grani congregatum erat.*] Acta huius Concilij habes in Collectione *Binij*, tom. 3. ſub Paſchali Papa. Decem Epiſcopi adfuiſſe memorantur, præter Abbates, alioſque Prælatos. Congregata potiſſimum erat hæc Synodus ad *Reformationem Monachorum.* Vnde de eâ Sigebertus: *Aliqua Capitula ad vſus Regularium Monachorum addita ſunt, & multâ ſanctarum litterarum compilatione factâ, Clericorum, & Clericarum ſanctimonialium regulæ conſtitutæ ſunt* Ita Sigebertus. Si tempus requiris, habitum eſt hoc Concilium anno Chriſti 817.

CXXXIV. ANNO *Ordinationis ipſius ſextodecimo, qui eſt Incarnationis Dominicæ, octingenteſimus vigeſimus quintus.*] Sermo eſt de anno Ordinationis ſextodecimo Walcandi Epiſcopi, qui ſine dubio concurrit cum anno Domini 825. Nec dubitari poteſt, quin hoc anno Domini contigerit illa Translatio Corporis S. HVBERTI *Andainum*; ita conſtanter omnia monumenta vetuſta id teſtantur. Sed grauis difficultas oritur ex eo, quòd anno à

morte nonageſimo, translatus ſcribitur S. Hv-bertvs: nam ſic non anno Domini 825. ſed 817. translatus fuerit. Quod inde etiam confirmari poteſt, quòd *Concilium Aquiſgranenſe* eo anno 817. celebratum fuiſſe diximus, quo annuente, translatus eſt. Hic, cum tam apertè octo anni inter vtrumque calculum interſint, alterum è duobus dicamus, neceſſe eſt. Vel enim nonagintá anni numerandi ſunt à morte non ad *Translationem* ipſam Corporis, (ſic enim anni eſſent 98.) ſed ad *Decretum* de Corpore transferendo, in ſynodo Aquenſi, factum; quod præcisè anno 90. poſt mortem ſancti conditum eſt. Vel error in numeros irrepſit, vt pro 98. ſcriptum ſit 90. quod quàm procliue fuerit, vides: nempe in notulâ 8. altero ocello occæcato. Atque ita reſcribendum ſit, *Translationem* factam anno 98. Lectori cuiuis erudito integrum eſto alterutram ſententiam ſequi, aut aliam commodiorem conciliandi rationem inuenire, & nos docere. Reſtat tamen difficultas, cur poſt decretum de transferendis ſacris Reliquijs, totos octo annos expectatum ſit, antequam reipsâ tranſferrentur. Poſſunt obtendi negotia, bella, morbi, præparatio pompæ, alia impedimenta humana, quæ cum facillimè, & multifariam ſuis temporibus incidant; poſterioribus tamen temporibus latent. Quicquid ſit, tenendum eſt, anno 825. Domini, & 16. Walcandi translatum

tum ſacrum illud Pignus, id eſt 98. annis poſt mortem. Ac ſic illud poſſident Andainenſes iam annos 800. ſi quatuor demas.

CXXXV. PRÆCONANDA.] Malim, *Præconianda*. Sed quotquot vidi Exemplaria ſic ſcribunt.

CXXXVI. ANTISTITIS *VValcandi, & quorumdam aliorum veraci relatu didicimus.*] Videtur hoc pugnare cum eo, quod non ita pridem dicebam, *Ionam* ipſum huic Translationi videri affuiſſe. Verum reſponderi poteſt, tum, cum S. HVBERTI Corpus inſpiceretur, non affuiſſe quidem, quæ tandem cumque cauſa fuerit: ſed hinc non efficitur, quin reliquis geſtis affuerit. Crede, Lector, quod voles.

CXXXVII. A PRIMA *vſque ad ſecundam translationem, annorum circiter 75.*] Iuxta ea, quæ diſputaui num. 134. intelligendum hoc, non ad ipſam vſque *Translationem* (nam ad eam effluxerunt à primâ, circiter 82.) ſed ad Decretum in Concilio Aquiſgranenſi factum de *Translatione*.

Addamus hoc loco *Paralipomenon* de hâc *Translatione* ex Ægidio Aureæ-Vallis Monacho, Additione ad Anſelmum in Walcando, cap. 34. *Corpus Sanctum,* inquit, *à Pontifice, & Sacerdotibus eleuatur, ita incorruptum, quaſi eo die ſepultum fuiſſet, & cum ſarcophago ſuo marmoreo* (antè notaui, vocatum hunc ſarcophagum *Vrnam ſiliceam*) *in naui per Moſam flu-*

 uium,

uium, cum hymnis, & laudibus proſecuti ſunt, vſque in Ardennam, in Monaſterio Andaino: vbi Rex Ludouicus idem, textum auro, & gemmis pretioſum, cum multis alijs rebus contulit. In eamdem ſententiam Author Cantatorij, de hâc Translatione agens, ſic ſcribit: *Multa dona contulit* (Princeps Ludouicus) *regiâ largitione, quæ licet deperierint, vel temporum vetuſtate, vel vaſtatorum deſtructione; ex eis tamen quædam adhuc noſtris temporibus ſuperſunt Eccleſiæ. Supereſt optimus ſanctorum Euangeliorum textus, auro, gemmiſque paratus. Supereſt Pſalterium auro ſcriptum, per denos Pſalmos capitalibus litteris diſtinctum. Supereſt in vno volumine maximo, ſuper totum Pſalterium, B. Auguſtini expoſitio, &c.* Ita ibi. Sed Ægidium porrò audiamus. *Quantâ poſtea, & quali ſagacitate, idem VValcandus Epiſcopus, locum ampliare ſtuduerit, quibus poſſeſſionum reditibus, de ſuo, vel fratris ſui Erohengoldi, patrimonio, eidem Eccleſiæ contulerit, teſtantur Priuilegia à Papa Leone, & à Metropolitano Hildeboldo Colonienſi, & Ledouico filio Caroli Imperatoris confirmata, quæ vſque in hodiernum diem eadem Eccleſia reſeruat.*

Quia de Walcandi *Patrimonio* mentio facta eſt, non fuiſſe illud modicum, ex eius ſtirpe ſuſpicari licet: de quâ idem Ægidius, eiuſdem cap. initio: *In Epiſcopum electus eſt vir venerandus, Dominus VValcandus, filius Adelredi, qui cum Imperatore Carolo, patre Ludouici, in expeditio-*

peditione profectus in Italiam, in quodam certamine, ante Caſtrum, quod Ticinum dicitur, interfectus eſt. Adelredus iſte, *VValcandi Parens*, ab Happart in Catalogo Abbatum Monaſterij Andaïni, *Aldricus* dicitur, & *Comes Bolonienſis: Britanniæ autem Ducis filia* vxor eius, *VValcandi mater.* Magnum Chronicon Belgicum Walcandi Patrem itidem *Comitem* agnoſcit. Addamus & hoc, ex eiuſdem Capitis fine: *Præfuit idem Epiſcopus VValcandus Leodienſi Eccleſiæ annis octodecim. Obijt ſexto Idus April. ſepultuſque eſt prope Andainenſe Monaſterium, in villâ, quæ Seranius-Campus dicitur. Extant autem Epiſtolæ ipſius VValcandi ad Papam Leonem, quas, propter longitudinem earumdem, hic inſerere noluimus.*

Ex ijs, quæ modo ex Ægidio deſcripſimus, poſſit imperitus locorum exiſtimare, S. HVBERTI Reliquias *per Moſam fluuium, in Andainum* delatas, perpetuâ nauigatione, quaſi fluuius etiam *Andainum* attingat. Sciendum, id ita non eſſe: ſed ſic intelligendum, vt Moſa Reliquias Leodij ſuſceperit, & eo vſque tulerit, dum *Andaino* propinquaret, quantum eius curſus patiebatur. Præcisè autem locum, quo eas terræ reddiderit, temerè aſſignemus, cum ſuper eâ re, antiquæ chartæ, (quod nobis quidem videre contigerit) nihil tradant.

Atque hæc habuimus *annotanda*, & *obſeruanda*, & *addenda* ad Vitam S. HVBERTI,

& Sacri Corporis eius tum *Eleuationem*, tum *Translationem.* Sequitur, vt ad *Antiqua Miracula* veniamus.

NOTÆ IN ANTIQVA MIRACVLA, POST TRANSLATIONEM S. HVBERTI AB IPSO PATRATA.

CXXXVIII. Incipivnt Miracvla *eiuſdem.*] De his *Miraculis*, antequam ea ſigillatim aggrediamur; quædam in hoc veſtibulo, generatim mihi tangenda videntur. Quorum illud *Primum* eſto, Ex infinitâ propemodum Miraculorum turbâ, hæc tam pauca à nobis hoc loco, proximè ipſi Vitæ, & Tranſlationi ſubiungi, non ſine iuſtis cauſis. *Primum* enim in eodem Antiquo MS. membranaceo continentur, quo & Vita, & Translatio, & eadem manu conſcripta ſunt: videnturque à ſcriptore pari authoritate cum vitâ cenſeri, atque adeo ipſius Hiſtoriæ pars eſſe. *Deinde* ſolitum hoc eſſe videmus, vt Sanctorum Vitis nobiliora aliquot Miracula ſubiungantur: vt paſſim apud Surium. *Præterea,* decet, diuinis his teſtimonijs oſtendere, verè ſanctas fuiſſe Reliquias, quæ in Andainum delatæ ſunt,

ſunt, quibus teſtimonijs excitati populi, venerationem illam cœperint, & propagauerint, quæ hactenus viget, floretque. *Denique*, non decuit, tam nobilia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Monumenta in obſcuro relinqui, vti iam dicam.

Alterum, quod notandum duxi, eſt, Hactenus hæc Miracula ignota fere fuiſſe vulgò, intra aliquot Bibliothecas concluſa. Nam Surius ea non habet, ſiue quòd breuitatis causâ, omiſerit; ſiue, (id magis credo) quòd in eo Exemplari defuerint, quo ipſe vſus.

Tertium, Merito me illa vocare *Antiqua*: nam eorum poſtrema contigerunt circa annum Domini 1050. vt oſtendam, cum ad illa peruentum erit: id eſt ante annos 550. aut plures. At aliqua ante annos fere 800.

Quartum, Scriptorem vnum videri omnium, vt ex ſtylo colligitur. Nomen eius latet: ætas non item. Nam vixit ſub *Theodorico Abbate ſancto*, vt ipſe infrà prodit, circa ann. 1080. Itaque quædam ex ijs, quæ ſcribit, ipſe vidit, aut ab ijs, qui viderant, accepit: quædam ex antiquis Monaſterij Commentarijs hauſit.

Quintum, Certò conſtare, horum Miraculorum ſcriptorem eodem tempore vixiſſe cum Authore *Cantatorij*, nempe cum *Theodorico* Abbate, vel paulò poſt. Imò mihi probabile admodum videtur, eumdem vtriuſque operis eſſe ſcriptorem. Argumenta huic rei afferam,

feram, vbi occaſio tulerit.

Sextum, Titulos, ſiue *lemmata* ſingulis Miraculis appoſita, à me eſſe, ex reipsâ, in Lectoris gratiam, collecta. Tempus etiam, vbi licuit, appoſui, ſic, vt cum annum accuratè non poſſem deſignare; non multum tamen me aberrare probauerim. Atque hæc mihi de his Miraculis præfanda viſa ſunt.

CXXXIX. Venerabilis *verò Alueus.*] De hoc, in Catalogo Abbatum ita reperio: *Anno Domini 823. cum multi religioſi, illuſtres, ac ſpectabiles viri, ſanctitate, & religione loci allecti, ad Monaſterium Andaïnum confluerent, Reuerendiſſimus Leodinorum Antiſtes VValcandus, Reuerendum admodum, ac Religioſum virum, Dominum Alucum (aliâs Altucum) eis Abbatem præfecit. —— Ipſe Concilio, quod imperio Ludouici Imperatoris, Aquis Palatij (quæ Lateranis dicitur) actum eſt, cum Epiſcopo ſuo VValcando, & cæteris Prælatis interfuit. Huius tempore, cum corpus ſanctiſſimi Patroni noſtri* Hvberti *in Monaſterium Andaïnum translatum eſſet, multa ſtupenda miracula ibidem contigêre.*

CXL. In Marlida *quoque villa*] Affinitas vocis facit, vt exiſtimem, hunc eſſe pagum, qui hodie dicitur *Marloye.*

CXLI. Dvas *ferri fuſuras.*] Abundat locus ille ferro natiuo. Educta materies minimè ſincera, ſed multâ terrâ, alijſque ſordibus permixta, fornace immenſum exæſtuante liquatur,

quatur, & arenâ angulatim cauatâ, longo ductu excipitur. Id iam ferrum eſt; quod indigenæ *Gueuſe* vulgò vocant, voce, haud dubiè a Germanis mutuatâ, qui Fundere dicunt *Gieſſen*, & fuſionen, *Goſ*. Id noſter non abſurdè *Fuſuram* reddidit.

CXLII. FRATRIBVS *poſt meridiem pauſantibus.*] Labores perpetui, non diurni modò, ſed & nocturni, quibus religioſiſſimi illi DEI cultores exercebantur, quietem aliquam à meridie exigebant, ne, fatiſcente corpore, ſpiritus quoque ſenſim deficeret. Eam quietem Archimandritæ ſuorum amantes, permittere ſolebant, ſiue imperare.

CXLIII. BENEDICTIONEM *à fratribus præparatam ſumeret.*] Poteſt *Benedictio* intelligi quiuis cibus, vt vocat Abigail, 1. Reg. 25. 27. vel fortaſſe ſtrictius, *Eulogiæ*, de quibus num. 98.

CXLIIII. VERSVS *ad Orientem contra ſancti ſepulcrum.*] Solent *Altaria*, vbi id locus permittit, *Orientem* reſpicere: & ſolent *Sanctorum Corpora* vel Altaribus concludi, vel ponè applicari. Eò igitur reſpicit iſte cæcus-iam-videns.

CXLV. TAM *Exaudibilem Patronum.*] Aliud Exemplar habet, *Exorabilem*. Parum refert, dum intelligas. Non eſt hîc quærenda multa Latinitas.

Hoc Miraculum ex ipſo principio colligi

videtur, patratum non multò poſt primum. Quod idem de tertio arbitror.

CXLVI. DE VILLA *Brattis.*] Nulla cauſa eſt, cur non exiſtimemus, pagum eſſe Monaſterio proximum, cui nomen manet *Bra.*

CXLVII. DEVOVIT *Candelam.*] Hæc pietatis in DEVM, & Sanctos eius teſtificatio, quæ hodie frequens eſt, iam tum vigebat.

CXLVIII. CIRCVMQVAQVE *diſcurrens, Sancti gloriam cum laudibus prædicauit.*] Memor erat illius præcepti: *Narra, quanta tibi fecit* DEVS. Itaque imitatur eius obedientiam, & gratitudinem, qui *abijt per vniuerſam ciuitatem, prædicans, quanta illi feciſſet* IESVS. Luc. 8. 39.

CXLIX. EIVS *ſe deinceps offertoriali ſeruitio mancipauit.*] Significat, ſingulari quâdam ratione, ſe Sancto HVBERTO obtuliſſe: quam rationem vocat *Offertorialem.* Spectat igitur iſte ſine dubio ad *Obligatos, & Addictos.* De his agitur, vbi de *Propagato* noſtri Sancti *cultu.*

CL. ORDINATIONIS *Domni VValcandi Epiſcopi viceſimo octauo.*] Walcandus iuxta *AEgidium Aureæ Vallis* Monachum, præfuit Leodienſi Eccleſiæ annos tantum *octodecim.* At iuxta *AEgidium* noſtrum *Bucherium*, in Tabulis, obijt anno Epiſcopatus *viceſimo ſecundo*, qui concurrit cum anno Domini 832. Itaque dicendum eſt, vel errorem in numeros hoc loco ir-

co irrepſiſſe : vel huius Miraculi ſcriptorem, *Ordinationis VValcandi* annum notare, non quod ſuperſtes tunc eſſet ; ſed quod tanti Patroni gratam memoriam, etiam poſt eius mortem, annotandis quoque annis, recolebat. Sic ſcribebant Romani, *Ab vrbe conditâ.* Aliter hinc me non expedio.

CLI. SVB *Venerabili Abbate Seuoldo.*] Aptè conuenit tempus. Nam *Seuoldus* præeſſe cœpit anno 836. vt eſt in Catalogo Abbatum. Vbi etiam dicitur fuiſſe *vir magnæ in Eccleſiâ* DEI *reuerentiæ: præfuiſſe annis 19. &* *in ſenectute bonâ Id. Ian. migraſſe ad Chriſtum.*

CLII. VT SECVLARIBVS *difficilis eſſet conueniendi licentia.*] Idem habet Catalogus Abbatum, in *Seuoldo*, etiam de fœminis. Addit autem hæc ipſa verba : *Propterea multa bona huic loco fuêre conceſſa.* Si ſcriptor ille hodie reuiueret, laudaret vtique, quod conatur admod. R. atque Ampliſſ. D. Abbas *Nicolaus Fanſonius*: qui rectius *Seuoldi* Deceſſoris ſui Exemplum attendit, quàm quorumdam iudicia, qui, ſi *Seuoldi* tempore viuerent, nunquam tam ſanctum opus damnare auderent.

CLIII. CVM RELIQVIIS, *& Crucibus conuenire.*] Omni æuo id in Catholicâ Eccleſiâ obtinuit, vt non aliter ſacræ Proceſſiones, & Supplicationes inſtituerentur. *Cruces* ſunt Vexilla Chriſtianæ iſtius militiæ : *Reliquiæ* arma ſunt, quibus ſancti contra aëreas Poteſta-

tes, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, pro nobis decertant.

CLIV. VT QVISQVE *deferret ad deuotionis gratiam.*] Spectat hoc ad *Obligationem*, de quâ in *Cultus Propagatione* leges.

CLV. BANNO *Imperiali, & lege Synodali confirmata eſt.*] Catalogus in *Scuoldo*, *Cruces Bannales* vocat. De ijs etiam ago, vbi Cultus quâ ratione propagatus ſit, oſtendo. Ibi totum hunc locum, non nimis alioquin obuium, explico.

CLVI. PRÆDICTÆ *Conſtitutionis ſecundo.*] Sermo eſt de *Conſtitutione Crucium Bannalium*. Ac ſic, eſt hic annus 838. vt in lemmate notaui.

CLVII. SVCCEDENTE *in Regnum Patris Karolo, Ludouici filio.*] Rectè, *in Regnum*: non enim in Imperium, quod Lothario ceſſit.

CLVIII. PANES *ſuis manibus, cum laude Pſalmodiæ formatos.*] *Eulogiæ* hæ ſunt, vt ipſemet ſacrilegus Goderannus mox vocat. Sed hic duo ſingulariter notanda occurrunt. Alterum, ipſoſmet Monachos ſuis eas manibus formaſſe: alterum, inter formandum, *Pſalmodiam* adhibuiſſe. Vtrumque ſine dubio ad Benedictionem pertinet, & propriâ voce *Eulogiam* facit. Sed huic impio in *maledictionem* vertit.

CLIX. LICET *famelici, eos nullo modo contingere præſumſerunt.*] Religioſiores fuerunt Canes, ſi dicere licet, improbo ſuo domino.

Narra-

Narrauit mihi Societatis noſtræ Religioſus, fide digniſſimus, ſe in Poloniâ Canem vidiſſe, qui diebus, quibus Catholici, ex Eccleſiæ præſcripto, à carnibus abſtinent, adigi non poterat, vt carnes, quantumuis famelicus, comederet: ſtupentibus, qui aderant, hæreticis, quos beſtia impietatis damnabat.

CLX. CONTINVO *fauces mirantis rediuiuus dolor intercipit.*] Patiens redditor DEVS ſæpe vindictam differt, ſpatiumque noſtræ concedit reſipiſcentiæ: ſed nonnunquam accelerat, & paucorum exitio multos admonet, & monendo ſeruat. Teſtes in Veteri Teſtamento *Antiochus Rex*, 2. Machab. 9. 5. & ſeqq. & *Heliodorus* Regius ſatelles, cap. 3. 25. ſeqq. In Nouo verò *Ananias, & Saphira*, Act. 5. Et, vt de Religioſorum vexatoribus, è millenis vnum exemplum ponam, notus eſt miſer ille, quem, gladio à S. Paulo, mutuò accepto, S. *Franciſcus*, iam inter Beatos, in cælo agens, vitâ priuauit. Vide Ordinis eiuſdem Annales.

CLXI. DVCITVR *in Eccleſiam, ibidem in honore Sancti conſtitutam.*] Si conſtaret, vbi villa illa *Rapazium* ſit, aut fuerit: hanc Eccleſiam certò deſignatam, adderemus ijs, quas ſuprà diximus S. HVBERTI cultui dicatas. Sed non dubito, multo eſſe plures, ---- *Quas fama obſcura recondit.*

CLXII. INTERRANEVS *dolor.*] Ita vocat inteſtinorum, & viſcerum torſionem.

CLXIII. QVEM RECLAMAVERANT.] Id eſt, auxilij causâ adierant. Gallica phraſis.

CLXIIII. AD PLENE *redintegratus.*] Similis idiotiſmus. Sublatâ voculâ AD, Latinus ſermo eſt.

CLXV. APPREHENSA *pallâ Altaris.*] Velum aliquod, quo Altare tegebatur, ſic dici arbitror. Fortè eſt Altaris *Frontale*, quod vulgò *Antependium.*

CLXVI. PARIETI, *quo locus Sepulcri ambitur.*] Innuit fuiſſe peculiarem locum, eius ſepulcri cuſtodem. Atque ita ſolet. Sed ſacrilegorum hæreticorum impietas fecit, vt hodie id ſacrum pignus meritò in abdito aſſeruetur.

CLXVII. SI OBSERVETVR *dictata conditio.*] De Conditionibus & toto illo ſanationis ritu, partim in ſecundâ parte ago, de Cult. Propagat. partim in tertiâ, Quæſt. 9. Dictabantur tunc, vt videtur, conditiones, quæ hodie typis excuſæ, ſingulis, remedij causâ eò accedentibus, traduntur.

CLXVIII. AVRO *ſacratæ Stolæ capiti inſito.*] Alternis Stolæ illius textus inſitum aurum habet: alternis ſolam byſſum. Dixi alibi.

CLXIX. PROPTER *Vmbrorum incurſus.*] *Normannorum* hoc tempore incurſus, & Annales paſſim narrant: & Abbatum Catalogus, anno 879. memorat, additque, *Danorum ſibi copias adiunxiſſe. Vmbrorum* neſcio vnde hic mentio.

CLXX. COMITATVM *Arduennenſem agebat Theodoricus.*] Id valet, Pro Rege adminiſtrabat. De *Comitibus*, quorum longè alia erat ratio, quàm modò, vide annotata num. 17. Porrò, vt *Comites*, ita & *Duces Arduennæ* alibi reperias. Mutabantur fere hæc vocabula pro Regum arbitrio, vt diligenti obſeruatori obuium eſt. De *Ducibus* quædam habes num. 5.

CLXXI. ALERANNVS *partes æquabat eiuſdem Comitatus.*] Hoc, quid ſit, non ſatis capio, niſi hoc velit, Cum non ſufficeret Theodoricus Comes, toti Arduennæ regendæ; æquum, & plenum fuiſſe regimen, cum eius frater, partes, quas ille attingere non poterat, regendo *æquabat.*

CLXXII. ERAT *ab antiquo, totius Arduennæ Primoribus.*] Hoc de Apro, Miraculum rectè mihi videor colligere, accidiſſe circa annum Domini 900. Et tamen iam tum, eas *Primitias* & *Decimas Venatorum*, vocat *Debitum firmatæ conſuetudinis ab antiquo.* Vnde rectè dixerimus, mox à *Tranſlatione* ſacri eius corporis, eam conſuetudinem inchoatam: quam factam diximus anno 825. Non enim plures 75. annis præterierant.

CLXXIII. PER SINGVLAS *vices annuæ venationis.* τὸ *Annuæ* indicat primam cuiuſque recurrentis anni venationem: vel certa quædam, & celebris erat venatio, quæ, quòd ſingulis annis ſolemniter inſtitueretur, *Annua* dice-

dicebatur. Obſerua autem, & *Primitias* illius Venationis fuiſſe S. Hvberto oblatas, & *decimas*: vt, ſi 30. feræ caperentur, & primò capta deberetur, & aliæ præterea tres.

clxxiv. Per Pagvm *Arduennenſem.*] Sic dicitur integer aliquis terræ tractus. Vt apud Cæſarem, *Pagi Heluetiorum.*

clxxv. Scvta *lapidum colliſione comminuebantur.*] Si *viminea* erant, & *coriacea*, vt antiquis; minus mirum: ſed tamen ingentem eam grandinem, & planè talentariam fuiſſe oportet. Sin *ferrea* erant; peculiare præterea in ea confractione, miraculum agnoſcendum eſt.

clxxvi. Bvrias *deuenit.*] Non procul Andaino, pagus eſt, nomine *Beure.* Idem locus ſit, necne, non habeo dicere.

clxxvii. Ad Villam *Masbourg peruenit.*] Eſt hoc tempore familia nobilis in Arduenna, hoc cognomento. De loco, neſcio.

clxxviii. Danorvm *gens à finibus ſuis egreſſa.*] Vide num. 169.

clxxix. Mosellensem *Liſuram.*] Inſignis pagus eſt ad Moſellam. Quando diuenditus, aut in alterius ius tranſierit, non equidem ſcio. Neque verò id ad S. Hvberti hiſtoriam magnopere pertinet: & quandoque parum gratum eſt ijs, qui vel poſſident, vel poſſederunt, de talibus inſtitui publicum ſermonem. Illud tamen hîc notes licet, S. Hvberto,

Princi-

Principum liberalitate, non modò vicina, ſed & procul poſita bona fuiſſe attributa. Hodie facilius inuenias, qui auferat, quam qui addat. Quinetiam non deſunt, qui ita dictitent, Nobilibus hominibus excipiendis, aut eorum familijs, canibuſque alendis, Monaſteria fuiſſe ditata. De his, quid S. HVBERTVS iudicaret, ſuſpicari licet ex aliquot narrationibus proximis. Ego manum, & iudicium abſtineo.

CLXXX. CVM APERTO *volumine, inueniſſet.*] De hâc ratione conſulendi libros ad intelligendam DEI voluntatem, dixi num. 117. Ibi, ſi placet, vide.

CLXXXI. PALATIOLVM *deuenientibus.*] Fuit hoc *Palatiolum* inter bona Monaſterij S. HVBERTI, à Walcando Epiſcopo Fundatore donatum, vt ex litteris apparet, quæ hodie extant. Scio iam eſſe oppidulum hoc nomine ad Moſellam, cum adiunctâ Arce, modico miliari infra vrbem Treuirenſem. Eſt alius locus, hodie dictus *Paliſeul.*

CLXXXII. EANDEM *integritatem.*] De hâc accuratam diſputationem inuenies in QQ. HVB. Quæſt. 7.

CLXXXIII. ANNO 955. *Ottonis Imp.* 20.] Optimè quadrat calculus, vt Tabulæ oſtendunt.

CLXXXIV. IN CALVENCIACO.] Non procul Montis-Medio duplex viſitur *Caluenciacum:*

cum: quorum alteri cognomen eſt ab S. HVBERTO, tenecturque etiamnum ab eius Monaſterio.

CLXXXV. BALDRICO *Pontifice Leodienſium.*] Inijt hic Epiſcopatum anno 956. Itaque intelligere poſſumus, *Donationem* factam ſuperiore anno: ſed *Traditionem*, iſto. Quod hic additur, affuiſſe *Brunonem* Archiep. Colonienſem, pulcrè etiam quadrat: vt diligenti temporum ſcrutatori palam eſt.

CLXXXVI. AD PRÆDICTVM *Fiſcum.*] Sæpius iam ſuprà vidiſti, *Fiſcum* nominari, Bona aliqua, quæ hodie *Dominium* vocantur. Rationem inuenies in QQ. HVB. Quæſt. 8. vbi de *Fiſco Ambrá* diſputatur.

CLXXXVII. ABBATE ALBERTO.] Planè hoc tempore viuebat, & præerat *Albertus*, vt Catalogus exhibet. Hoc, & ſimilia de temporibus noto, vt in alijs quoque, etiam cum ſileo, rectam Authorum meorum *Chronologiam* eſſe mecum tibi non vanè perſuadeas. Vt in alijs quoque, quiduis malim, quàm incomperta tradere.

CLXXXVIII. ILLI *Veſtituram eiuſdem Allodij firmauit.*] *Inueſtitura* potius dici ſolet. Sed ego, vt inueni, ſic edo. Abbatum Catalogus de hâc *inueſtitura* traditione, memorabile aliquid addit. *Ad hanc donationem roborandam,* inquit, *delatum fuit Corpus* S. HVBERTI *in præfatum locum, vbi poſſeſſionem, quam Inueſtituram*

vam nuncupant, ipſius Allodij, coram Reginero, & Gosberto Comitibus, multiſque alys Regni Principibus, IPSI SANCTO *publicè confirmauit.*

CLXXXIX. Ex CONSVETVDINE *euadendi periculi.*] Senſus eſt Solitos eos, qui à rabidâ beſtiâ attrectati eſſent, *euadendi periculi* causâ ad S. HVBERTI Monaſterium accedere: idque iam *conſuetudine* obtinuiſſe.

CXC. EIVSDEM *inciſionis obſeruantiam edoctus.*] Id eſt, Quid illi obſeruandum eſſet, qui ſic eſſet inciſus. Vide Propag. Cultus, & QQ. HVB. Quæſt. 9.

CXCI. INIECTIS *dentibus infecit.*] Habet hoc illius morbi ingenium, vt morſu vulgetur. Vide ibid.

CXCII. INIMICO *ſeipſum diſſimulante.*] Ita Arduennates Diabolum vocant.

CXCIII. OBLATVM *ſibi puluerem de ſepulcro.*] Ne nimium mireris, ſi miracula patrat *puluis*, cum & *Vmbra* patrauerit, Act. 5. 15. & *catenæ ramenta*, teſte S. Gregorio Magno, quem refert in Florib. Epitaph. SS. Thiofridus meus, lib. 4. cap. 5.

CXCIIII. COACTVS *per poſteriora egredi.*] Sic DEVS ſuperbiſſimum ſpiritum ludibrio exponebat. Nam alioqui, cum corporis ſit expers, corporeo meatu non egebat.

CXCV. DONEC *vxor eius de more inciſa, ſanaretur.*] Proximè dixerat, *iniectis dentibus, à marito infectam:* qui & à Dæmone obſeſſus

 erat,

erat, &, vt hinc apparet, *rabie* laborabat.

CXCVI. NOSTRIS *quoque temporibus.*] Indicat hic ſcriptor ætatem ſuam, vt dixi nu. 138. Viuebat circa ann. 1080.

CXCVII. EAMDEM *poſſeſſionem mutuare voluit.*] Aliud Exemplar habet, *Mutare.* Senſus eodem redit. Alia bona Monaſterio pro his dare voluit: quod, DEO impediente, non ſucceſſit. Loquitur autem de Poſſeſſione *Euerneicurtis*, de quâ proximo Miraculo 21.

CXCVIII. EXPOSTVLATO *Altari eiuſdem Poſſeſſionis.*] Petijt à Laudunenſi Epiſcopo, *Altare* ibi conſecrari, vt locus *ſacer* fieret, qui antè fuerat profanus.

CXCVIIII. CELLAM *ibi conſtituit, & fratres impoſuit.*] Eiuſmodi Cellas iam vocant *Prioratus*, quod vnus aliquis, alijs fratribus pręſit, titulo *Prioris*. De *Cellis* aliquid notaui, meliori occaſione, num. 126.

CC. EXCEPTIS *tribus hamis.*] *Amam* iam vocant Germani, non *Hamam*, certæ menſuræ vas. Eſt ſexta pars eius, quod vocant *Plauſtrum.*

CCI. SIGNA *Eccleſiæ pulſari iuſſit.*] *Campanas* ſic appellat, quòd ijs ſignum ad res ſacras detur. Aut certè certa ſigna erant, quibus turbatæ res ſignificabantur: quæ mox vocat *ſonitum terroris.*

CCII. ARELEONIS *delata eſt.*] Haud abſurdè, putemus, ſic vocari oppidum, quod hodie

hodie eſt Arlunum.

CCIII. CVM STOLA *Pontificali.*] Solet hoc ſignificare Epiſcopalem veſtem, ex quâ facile ægroto Pontificem agnoſcere. Hic tamen fortè accipere liceat pro *Stolâ* illâ tam celebri S. HVBERTI, & tot miraculorum patratrice.

CCIIII. CENTENARIA *Iuſtitia.*] Iuſtitiam, more patriæ, vocat hominum Collegium, penes quos Iuſtitiæ cum authoritate ſit adminiſtratio. Sed cur *Centenaria?* An quia Centumuiralis?

CCV. IN DOMINICALI *Curiâ.*] Fortè ſic dicta, quòd loci dominus eò conueniret cum ſuis, inibique ius diceret.

CCVI. ALBERTVS *Comes Namucenſis.*] Sic ſæpe ſcribunt eius temporis Authores: etſi quandoque &, *Namurcenſis.*

CCVII. LAMBERTO *loci huius Monacho.*] Nempe *Andaïni*, Paſſim prodit Author, ſe ad eumdem ſacrum gregem pertinere.

CCVIII. ECCE *triginta anni ſunt.*] Non putreſcit fronti inſita particula, vt alijs multis exemplis conſtat. Sed de hâc re, ex profeſſo in ſecundâ & tertiâ parte.

CCIX. QVASI CYCNVS, *ita albus apparuit.*] Scimus, pluribus alijs id contigiſſe, vt quaſi momento caneſcerent. Sed hoc ad Miraculum noſter ſcriptor refert. Cui facile aſſentior.

CCX. AD MERITVM *Sancti redijt.*] Locum, in quo S. HVBERTI merita, & vis ſe prode-

bat, *Meritum* appellat.

CCXI. IPSAM *ſibi iterum imponi fecit.*] Nefas iudicarunt, particulam ſemel hominis ſanitati conſecratam, alteri vſui deſeruire.

HÆC habui, Lector bone, quæ ad *Vitam, Eleuationem, Translationem, & Antiqua Miracula* S. HVBERTI annotarem. Ea tu pro tuâ humanitate boni conſule, & DEVM, eiuſque Sanctum pro me ora.

FINIS NOTARVM, ET TOTIVS primæ partis Hiſtoriæ S. HVBERTI.

SECVN-

Secunda Pars.

S. HVBERTI CVLTVS PROPAGATIO:

EIVSDEM ADMIRANDA.

OMNIVM

OMNIVM rerum extra DEVM, quantumuis magnarum, tenuia ſunt principia. Arbores vides arduas, amplas, ramis infinitis ſupernè; infernè radicibus diffuſas? de ſingulis cani poteſt illud boni vatis:

Sub quâ nunc recubas arbore, VIRGA *fuit.*

Humana conſideras? Nihil in ijs ſupra faſtigium Regium. In Regibus, quid maius Salomone? ſed audi ipſummet: *Natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis.* NEMO *enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.* (Sap. 7. v. 3. 4. 5.) Quin & *Spiritualia*, etſi à DEO Authore, ratione peculiari ſunt; quia tamen hominum interuentu & inchoantur ſæpe, & promouentur; modica habent exordia. S. Benedictus, Dominicus, Franciſcus, B. Ignatius noſter, à quàm modicis initijs progreſſi, ad quantam amplitudinem ſacros ſuos Ordines prouexerunt? Neque id nimium miremur; cum videamus ipſum quoque *Euangelium*, ipſam *Religionem Chriſtianam*, modicam primùm, & planè *grani* inſtar *ſinapis*, (vt eam eius Author Chriſtus aſſimilat, Matt. 13. 31.) iam *implere terram: operiri montes vmbrâ eius, & arbuſtis eius*

cedros

cedros DEI: extendere palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines ſuas. Pſal. 79. v. 10. 11. 12.

Simile quid accidit in Sanctorum cultu. Illa ſumma Capita Petrus, Paulus, Iacobus, ipſa DEI Mater, in quantâ veneratione iam ſunt! Fuit, cum multo minus colerentur. Taceo alios. HVBERTVS noſter longè, lateque in DEI Eccleſiâ notus, & multifariam cultus, huius claritudinis exordia habuit minus clara. Hæc ego exordia, ſimulque progreſſus, quoad potero aſſequi, hâc ſecundâ Hiſtoriæ parte tradere inſtitui. In eam rem, præterquam, quòd *libros, Notarum* initio poſitos, diligenter conſului: etiam *loca* quædam, vbi Sancti Cultus viget, ipſe adij, & coràm partim vidi, partim publicâ famâ accepi, quæ ſcribo. *Litteras* etiam, & *Teſtimonia Magiſtratuum* obtinui, quæ ſuis locis bonâ fide produco. Denique nihil omiſi toto iam fere triennio, quo ſperarem me hanc meam Scriptionem efficere poſſe pleniorem. Hinc & DISQVISITIONEM *Hiſtoricam de Rebus* S. HVBERTI breuiter à me conceptam, quatuor linguis, typographicâ operâ vulgaui, & per me, alioſque quaquauerſum ſparſi. Huius beneficio, accepi, fateor, quædam memoriâ digna: ſed longè meâ expectatione pauciora: cum certò mihi conſtet, paſſim præclara extare, quæ ſubſidio deſtitutus, ſcribere non potui. Hæc, quæ potui, boni conſules, Lector,

& mihi imperitiam: DEO, & Sancto HVBERTO gloriam aſcribes.

Porro *Propagati Cultus* S. HVBERTI, viſum eſt hoc aditu, in tui gratiam, ſumma ponere capita.

I. *Loca, quibus celebris* S. HVBERTI *cultus.*	VI. *Sodalitates,*
II. *Eiuſdem Reliquiæ.*	VII. *Obligati, Addicti.*
III. *Miracula.*	VIII. *Munera ſolemnia, Primitiæ, Decimæ, Collectæ.*
IIII. *Peregrinationes.*	IX. *Magiſtratus.*
V. *Cultus ſolemnis.*	X. S. HVBERTI *Poſteritas.*

De his ſingulis, eodem ordine, quam potero clarè, & diſtinctè, iam agere aggredior.

CAPVT I.

LOCA, *quibus celebris* S. HVBERTI *Cultus.*

HOC Capite, ſatis mihi fuerit Loca ipſa indicare dumtaxat. Nam quid in ſingulis S. HVBERTO honoris, & cultus exhibeatur, ſequentibus Capitibus accuratè dicetur. Ægrè hîc teneo querelas, qui ſciam certò, ampliſſimè dilatatum huius Diui Nomen,

men, & venerationem: & interea tam pauca è tam multis habeam, quæ liquidò ponere poſſim. Sed cum mihi conſcius ſim; diligenter me id egiſſe; vt pleraque omnia conſequi poſſem; æquo animo ponam ea, quæ obtigerunt. Tu, Lector, ſimiliter accipies. Ergo Loca iſta habe.

BELGIVM.

Ab hoc meritò incipio: quippe cum S. Hvbertvs, licet ex Aquitaniâ, vt alibi dixi, oriundus; in *Belgio* tamen vixerit, obierit, ſepulturæ locum acceperit, & Admiranda ſua maximè oſtenderit. In hoc *Belgio*, Loca quibus ſolemni Cultu celebris eſt, ſunt iſta:

I. Andainvm, Celeberrima in Arduennâ, S. Benedicti Abbatia, Sacri Corporis eius cuſtos, & tot Miraculorum à pluribus annorum centurijs teſtis. Cui proinde nihil mirum, ſi abrogato iam, & obliuione penè ſepulto veteri nomine, ipſius Sancti nomen adhæſit, vt locus ipſe S. Hvbertvs vulgo dicatur, neque aliâ ferè nuncupatione notus ſit.

II. Leodii Cathedralis Eccleſia S. Lamberti, Reliquias huius Sancti cuſtodit, & veneratur.

III. S. Petri *Eccleſia Collegiata ibidem*, & in hâc, Crypta, in quâ *Altare S. Albini*, ad quod, Corpus ſuum deponi voluit. Eſt & Parochialis Leodij Eccleſia, S. Hvberti nomine conſecrata.

IIII. FVRA *Brabantiæ* Locus, modico ſeſquimiliari Bruxellâ diſſitus à Fluuiolo eiuſdem nominis, ſic dictus, qui fluuiolus inibi oritur. Eſt hodie Nobile ibi Templum, & in eo aliquot Brabantiæ Ducum ſepultura. Eſt & ſplendida Arx, propter loci amœnitatem, & ſalubritatem, Sereniſſimis Principibus Alberto, & Iſabellæ, gratum, & carum hoſpitium. Eſt & honeſtus pagus. Hoc loco, vt in Vitâ legiſti, S. HVBERTVS noſter, mortalitatem expleuit. Hinc pia Antiquitas Sacellum eius honori erexerat: quod ab inuidâ temporum voracitate, ſolo æquatum nuper vidimus: ſed hodie recens excitatum, amplificatum, ornatum videmus, eorumdem Principum commemorabili pietate. Vt de eo dicere liceat, quod de Salomonio Templo veridicus Vates cecinit: *Magna erit gloria Domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ.* Aggæi 2. v. 10. Vtinam & illud, vt proprium, & perpetuum addatur, quod mox addit idem: *In loco iſto dabo Pacem, dicit Dominus exercituum.*

V. TVNGRI Vrbs, Sancti HVBERTI, vltimi Epiſcopi ſui ſedes, (etſi nunquam hoſpitium) habuerit forrè aliquando, vel Ædem, vel Monumentum aliud Eidem ſacrum. Sed iam diruta, & ad illam paruitatem redacta, nihil, quod ſciam, ambitu ſuo continet eiuſmodi: proximè tamen locus eſt, cui nomen vernaculum *Sint* HVBERT *Ruſtar*: & item haud longulè,

Heren,

Heren; S. HVBERTI *Templum*.

VI. TRAIECTVM (quo loco S. HVBERTVS poſt tot alios Tungrenſes Epiſcopos habitauit) & *Reliquias* eiuſdem Sancti in Eccleſiâ Collegiatâ B. Mariæ Virginis oſtendit: & *Altare* habet in Eccleſiâ Religioſorum Patrum Auguſtinianorum, eiuſdem Diui nomine conſecratum, & Populi concurſu, etiam vicinorum, celebre.

VII. EMAL Pagus, ſeſquimiliari Traiecto diſtans, Eccleſiam Parochialem habet ab ipſo S. HVBERTO conſecratam. Monumentum, & teſtimonium exhibui in Notis.

VIII. HERNE pagus alius, prope Leodium, inſignes curationes S. HVBERTI ope, & frequentes videt.

IX. NAMVRCVM, nobilis vrbs, & capitalis Comitatûs, non procul à ſuis mœnibus, religioſum Tempellum habet, cui nomen, *Eremus* S. HVBERTI.

X. MIERTENNE pagus in eodem Namurcenſi Comitatu, S. HVBERTI Sodalitatem antiquitus habuit, neque miracula deſunt. Iam Belgij vlteriora videamus.

XI. MONTIBVS Hannoniæ adiacet Religioſarum Virginum Cœnobium, quod vulgo D. *Virginis Deſpinlieu* vocant. In eo multis ægrotis ſanitas reſtituta, inuocato eiuſdem Sancti patrocinio.

XII. FLINÆ, Cœnobium itidem Sacrarum

Virginum altero miliari Duaco diſſitum, S. HVBERTI Reliquijs, & miraculorum virtute gaudet.

XIII. HVBERCAMP, & *Hubercourt*, loca haud procul Atrebato, ſatis indicant, religiosè iam olim cultum inibi noſtrum Sanctum. De ijs locis D. de Queant in ſuis *Analectis*. Vide Notas, num. 77.

XIV. ARIÆ viuunt hodie, qui, quòd de S. HVBERTI ſtirpe ſint, admirandâ vi aduerſus rabiem pollent.

XV. S. PAVLI oppidum Ariæ vicinum, ſimili beneficio, eâdem de causâ, donatum eſt.

XVI. NOVLETTE Pagus Hesdinio vrbe haud procul, & Templum D. HVBERTO ſacrum habet: & prodigioſas eiuſdem Sancti virtutes experitur.

XVII. GELDRIA quoque, & ZVTPHANIA ad Belgium pertinent. Ille igitur Ducatus, & iſte Comitatus, etſi hâc tempeſtate miſerandum in modum hæreſi, vt multa alia terrarum, deformati, memoriam tamen adhuc colunt noſtri Diui. Nam, vt ſcribit vir Nobilis, Venatores, etiam hæretici, eius feſtum euacuando magnos ſcyphos, in extremum noctis, magnâ celebritate celebrant. Videlicet retinuerunt iſti ſeducti, quod in celebritate erat deterrimum. Sed tamen hinc, quid aliquando fuerit, licet colligere.

XVIII. In BVSCODVCENSI etiam Epiſcopatu

patu, Parochia nomine ALEM, hominum concurſum & ſanitates à S. HVBERTO præſtitas frequenter videt.

XIX. GRAVIA oppidum ſatis notum eſt, & celebre. Prope illud in Geographicis Tabulis, pagum obſeruo, cui nomen S. HVBERT, de quo aliud non potui cognoſcere.

XX. HASSEL aliud oppidum, Conuentum habet Religioſorum Patrum Auguſtinianorum, in cuius Æde ſacra, illuſtris *Comes Loſſenſis Arnulphus*, anno Chriſti 1296. Altare dotauit in honorem S. HVBERTI, cum Miſsâ quotidianâ.

AVREA-VALLIS Monaſterium eſt Ordinis S. Bernardi, in Arduennâ ſitum, tum alijs multis rebus celeberrimum, tum beneficijs, Miraculis, feſto S. HVBERTI inſigniter nobilitatum.

Hæc pauca è Belgio, vel vidi ipſe, vel ab alijs ad me perſcripta, fideliter annotaui: cum dubium non ſit, multo eſſe plura, & non minus memoriâ digna. Sed mihi propoſitum, nihil è vano haurire. Ad alias iam Regiones veniamus.

GERMANIA.

I. COLONIÆ, nobiliſſima Germaniæ Ciuitate, vide ego ſæpe ſacellum S. HVBERTI, ad plateam, quam S. Maximini dicunt. Fuit & Curia S. HVBERTI, &, vt videtur, Sodalitas, vt

ſuo loco infrà dicam. Eſt hodie & Tempellum Metropolitano adiunctum.

II. *In totâ Patriâ* IVLIACENSI (verba ſunt è litteris Reuerendi admodum, & Religioſiſſimi viri, P. *Georgij Feltzij, Prioris* RR.PP. Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, in vrbe *VValderſinga*) S.HVBERTI *dies Natalis, omnibus Incolis ſolet eſſe feſtiualis, ſeu Dominicalis.*

III. IV. Ad *Moſellam*, in ditione *Luxemburgenſi*, diœceſi *Treuirenſi*, prope REMIG, duo ſunt Pagi, BECH, & PALTZEM, in quorum vtroque celebris eſt S. HVBERTI memoria.

V. Ad eumdem MOSELLÆ tractum pene totum, maximè infrà, circa *Liſuram*, populi ruſticani pietas in eumdem ſanctum, notiſſima eſt.

VI. LAVTEREN, ſiue FRAW-LAVTEREN, nobile Cœnobium eſt Nobilium Virginum, Ordinis S. Auguſtini, quas *Canoniſſas* vocant, prope Oppidum *VValderſingam*, ad Saram Fluuium. Proximus huic Cœnobio eſt pagus (cuius nomen excidit) in quo eadem pietas viget, quam vicinorum concurſus celebriorem facit, ipſis quoque miſerè ſeductis *hæreticis*, non ſine affectu, comitantibus.

VII. Teſtari poſſum, eumdem affectum paſſim alijs vicinis Germaniæ locis vigere, etiam in ijs, qui à Catholicâ ſuorum maiorum ſemita aberrarunt: & nominatim in PALATINATV:

TV:

TV: quem religioſiſſimum quondam terræ tractum, *Caluini* infelix lolium miſerandum in modum oppreſſit.

VIII. NONWEILLER Pagus prope *S. VVendelinum*, *Treuirenſis* Diœceſis, & Ditionis, aliquot iam ſæculis, S. HVBERTI ope mira patrari in dies conſpicit.

LVBET attexere ea loca, quæ præterea S. HVBERTI cultu celebrantur, in Archiepiſcopatu Treuerenſi; vt annotauit, & ad me miſit Vir Reuerendus D. *Iacobus Pontiani*, in Andaïno Sacellanus. Ponam hîc per indiculum, ſola locorum vocabula.

Parochia S. Laurentij in ciuitate Treuirenſi:

Monaſterium Munſter in Vrbe Luxemburgenſi:

Vrbs Theonis-Villa:

Item Vrbes Sarburg, Sirck, Paltz:

Pagi, Rouuer, Hillesheim, Riol, Reckinck, Waſſerbillich, Waſſerburch, Herberen, Schlaidtweiller, Alken, Nickenich, Wolfsfeldt, Itzich: & alij quam plurimi.

Hæc loca in *Germaniá* ponere placuit, quòd in ijs vſus ſit linguæ *Germanicæ*, etſi me non latet, Theoniſ-Villam, Waſſerbillich, aliaque plura, ad *Belgium* pertinere: *Lauteren* verò, *Sirck* & *Nonvveiller* ad *Lotharingiam*, eam, quam *Germanicam* dicunt. Iam ad alteram *Lotharingiæ* partem veniamus.

LOTHARINGIA.

I. ATREIVM, ſiue ALTEREIVM, Monaſterium celeberrimum Canonicorum Regularium S. Auguſtini, nullâ re celebrius eſt, quàm cultu S. HVBERTI.

II. Idem dicere licet de alio Monaſterio, VIRDVNENSIS Ciuitatis muris adiacente, cui nomen S. NICOLAI de PREYS.

GALLIA.

I. MORIAVCOVRT Dynaſtia eſt, ſiue Baronatus primus Comitatus S. Pauli in Galliæ finibus. Fuit ibi ante infelicia illa Galliarum bella, ab hæreticis excitata, in Arce eiuſdem nominis, nobile ſacellum, S. HVBERTI honori conſecratum, quo ducebantur, qui rabie premebantur; & ſanitatem, eiuſdem Sancti ope conſequebantur.

II Viuit hodie Illuſtris vir D. IACOBVS DE REGNIER, Dominus de *la Thure* qui hæreditario iure, vt qui è S. HVBERTI poſteris ſit, rabioſos, aut rabiem proximè expectantes, ipſe, vt eiuſdem familiæ reliqui, ſolo tactu, aut iuſſu, ſanant.

Neque de Galliâ plura diſtinctè cognoui, etſi certò ſcio, eſſe quàm plurima.

III. IN VASCONIA, tamen atque vltimis eius finibus, ſancti quoque noſtri celebris memoria eſt, Miraculo excitata: quod infrà ſuo loco leges.

ANGLIA.

ANGLIA.

Anglia, heu Anglia! tu illa, quondam omnis Religionis, & Pietatis princeps: quo iam deueniſti? Sed querelas mittamus. Non ſileamus tamen Pietatis priſtinæ reliquias, non modò in alijs Religionis capitibus; ob quæ ſuperioribus aliquot annorum decadibus, tot præſtantes heroas, & heroïnas, Martyres vidiſti, ſuo ſanguine purpuratos: ſed etiam in Sanctorum Cultu, & nominatim noſtri S. Hvberti. Nam in quâdam tui parte (temporum iniquitas nomen prodere vetat) tum alijs in rebus magnum affectum erga illum oſtendis: tum eius Poſteros, homines cæterâ etiam Nobilitate illuſtres, illo maximè nomine veneraris. Faxit ille Diuus, (poteſt hoc, & plura, ſuâ deprecatione) vt aliquando, & breui, palam, Orbe terrarum approbante, quod iam *in tenebris* agis, cum immortali tuâ laude, ab omnibus videatur, & *prædicetur ſuper tecta.*

Iterum hîc conqueri lubeat, tam pauca loca mihi licuiſſe indicare, quibus S. Hvberti veneratio eximiè vigeat: cum alia ſint nec inferiora, & plurima. Mouebuntur fortaſſis aliqui, vt, his inſpectis, plura mittant. Quod illos rogo, obteſtorque. Ita illos S. Hvbertvs bene iuuet.

* * *

CAPVT II.

S. HVBERTI RELIQVIAE.

MEMORATIS locis, alijſque, quibus S. HVBERTI Cultus, religione ſingulari viget, operæ eſt pretium, inquirere, quibus maximè rebus cœperit, quibus deinceps propagatus ſit. Ac mihi quidem totam in rem diligentius intuenti, ita videtur, *Reliquiarum* maximè præſentiâ, & *Miraculorum* patratione, id potiſſimum eueniſſe; quibus homines, vel ob nouitatem; vel ob percepta beneficia, maximè capi conſtat. Oſtendit hoc clarè ſcriptor veterum Miraculorum, quæ Vitæ ſubiunximus, in primo Miraculo, quo Cæcum reluminatum docet. *Hoc vicini comperto*, inquit, *congratulabantur de præſentiâ tanti Præſulis, quem ſuis quoque neceſſitatibus ſpecialiter affuturum ſperabant: vnde & conceptâ deuotione, frequentius ad eum confluebant.* Ea gratulatio, quo latius manaret, Abbas *Alueus*, *qui tunc præerat Monaſterio, cæcum illuminatum VValcando Epiſcopo direxit, eumque gratanter exhilarauit, quia ſic diuinitus magnificaretur locus ſuæ conſtitutionis.* Neque nihil ad rem effecit, quod *aſtantibus ſibi, referens frequentius rei iocunditatem,*

tatem, apud ſe hominem retentum veſtibus nouis iuſſit indui, eique rerum ſufficientiam vſque ad obitum conſtituit.

Sed de *Miraculis* poſtea. Hoc Capite de S. HVBERTI *Reliquys* breuiter proponam, quę cognoſcere potui ab hominibus fide dignis, & ſenſu publico. Quo autem minus Lectoris confundatur memoria, hoc, & ſequentibus Capitibus, quoad res feret, ſequar ordinem, quem tenui primo Capite, cum *loca* enumerarem, quibus S. HVBERTVS celebriore ritu honoratur.

I. In ANDAINO *Corpus integrum* huius ſancti, habere ſe aiunt eius loci Religioſi Aſcetæ. Ne hic præmaturè clames, eo ipſo effici, vt nihil vſquam alibi *Reliquiarum* S. HVBERTI ſit, vtique quod *Corporis pars* cenſeri poſſit. Diſputationem hoc poſtulat: ac proinde iure à me in *Quæſtiones* reiectum eſt. Ibi lege. Habent præterea Andaïnenſes, vt conſentaneum eſt credere, tum ſacrarum eius *Veſtium*, & *apparatus* alia: tum nobilem illam STOLAM, DEI *Matris donum*, de quâ etiam in *Quæſtionibus*.

II. LEODII in *S. Lamberti Eccleſiâ Cathedrali*, *Reliquias* S. HVBERTI aſſeruari, habes apud Chapeauille, tom. 3. in Ioanne Horneo, pag. 225. vbi Authoris Anonymi, *Reliquiarum oſtenſionem*, anno Domini 1489. Leodij celebratam, deſcribentis, illa verba ſunt: *Feretrum*

deauratum, in quo habentur multa oſſa corporis S. HVBERTI *Confeſſoris, & primi Epiſcopi Leodienſis.*

III. LEODII item in *Eccleſiâ S. Petri, Clauem* S. HVBERTO à S. Petro Apoſtolo datam oſtendunt. De hâc in Notis dixi, §. 50.

IV. FVRA *Diui HVBERTI Cornu aſſeruat*, vt eſt apud Molanum in Natalibus SS. Belgij, 3. Nouemb. in HVBERTO. Vidi ego illud Cornu. *Eburneum* potius videtur, quàm in alicuius animalis fronte natum: neque eſt velut torno circinatum, vt Cornua aſſolent, ſed *angulos* habet plures, à ſummo ad imum, perpetuo ductu procurrentes.

V. TRAIECTI in *Collegiatâ Eccleſiâ B. Mariæ Virginis*, quid *Reliquiarum* aſſeruetur, diſce ex authentico Teſtimonio, die tertiâ Iunij, anno 1619. iuſſu Reuerendorum Virorum, DD. Decani, & Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ confecto, & ſigillo Capituli ritè munito. *Declaramus, & atteſtamur, in hâc noſtrâ Eccleſiâ, conſeruari Reliquias S.* HVBERTI, *duas, ſcilicet notabiles partes capitis, thecâ argenteâ incluſas, illaſáq; pro talibus ab immemorabili tempore, & ab antiquis noſtris prædeceſſoribus habitas*, &c.

VI. Iterum TRAIECTI: *Reliquias* S. HVBERTI *habuit olim hæc Eccleſia, & fortè inſigniores, quas ſcimus hæreticorum rabie ablatas. At nunc adhuc ſeruamus partem notabilem eiuſdem Sancti* HVBERTI, *quam authentico Teſtimonio Epiſco-*

Epiſcopi Siluæducenſis , ſcimus donatam cuidam Religioſo noſtri Ordinis , à Conuentu S.Agnetis, Ordinis S. Auguſtini , in Oppido Embricenſi; eamq; curauimus argenteæ capſulæ includi: prout etiam fecerunt Patres noſtri Conuentus Leodienſis circa ſimilem partem oſſis D. HVBERTI. Ita ad verbum admodum R. P. *Nicolaus Cruefen, Auguſtinianorum Traiecti Prior.*

VII. In Monaſterio Virginum FLINIS nomine, prope Duacum, argenteam *Capſam Reliquiariam* vidi, confectam anno Chriſti Domini 1440. cum inſcriptione Gallicâ: DAMME AGNES LANDASE LE DONA. In eâ Capsâ eſſe aiunt *Articulum digiti* S. HVBERTI, aut eius partem.

VIII. COLONIÆ Agrippinæ in Æde Metropolitanâ *Reliquiæ* S. HVBERTI aſſeruari dicuntur, quas ante bellicos tumultus in S. HVBERTI ſacello fuiſſe ſeniores teſtantur.

IX. In pago NONWEILLER prope S. Wendelinum, S. HVBERTI *Reliquiæ* ſunt, de quibus diſtinctius, proximo capite, de Miraculis.

X. In ATREIO Monaſterio S. HVBERTI *Reliquiæ* magno in honore ſunt.

XI. S. NICOLAI de PEYRS Monaſterium, prope *Virdunenſem* Ciuitatem, ſimiliter S. HVBERTVM in ſuis *Reliquijs* colit.

XII. Poſtremo inter inſignes *Reliquias* referri debet S. HVBERTI *Dens*, quem in ſacro

ſuo

ſuo Theſauro aſſeruat Monaſterium B. Mariæ, quod vulgò MVNSTER dicitur, *Luxemburgenſi* Vrbi proximum, cui, dum hæc ſcribo, decimumſextum iam annum præeſt plurimum Reuerendus Abbas D. *Petrus Roberti*, frater meus, vt obſeruandus, ita cariſſimus.

CAPVT III.

MIRACVLA.

LATISSIME patet hoc Caput, vel locorum, vel rerum ipſarum Mirabilium varietate. Aſtringam, quantum potero. Ac primum, nemo à me expectet, vt omnia ſigillatim Miracula recenſeam; ne ea quidem, quæ certò cognoſcere potui. Sola enim illa, librum, neque modicum, facilè implerent. Mens igitur mihi, Miraculorum *genera* potius, quàm *ſingula*, exequi: etſi quædam particulatia attingere res ipſa ſuadet, quæ ſui raritate, & inopinato euentu, vel pium Chriſtiani hominis ingenium magis tenere; vel ad DEI, Sanctique eius HVBERTI laudes, potentius queant excitare. Sed nihilominus, neque quæ eiuſmodi ſunt, omnia hoc loco memorabo: tum ne nimium excreſcat hoc Caput; tum quod Ordo mihi exigere, & clarior Methodus, videtur, vt

quædam

quædam alibi ponantur: ac maximè duo eorum genera. Nam quæcumque in cæleſti illâ STOLA notantur, in peculiari Quæſtione, eo nomine conſcriptâ, rectius tractantur: &, quæ à quibuſdam hominibus patrantur, tamquam Sancti HVBERTI, *Poſteris*, oportunius in extremum huius ſecundæ partis Caput reijci mihi videntur, vbi de S. HVBERTI *Cognatis*, ex profeſſo diſputo.

Porrò, quæ hoc loco recenſebo, etſi ſuprà propoſito locorum ordine ferè proponentur: eueniet tamen neceſſariò, vt quædam propter *rerum ſimilitudinem*, coniungantur, quæ alioqui *locis* diſſita eſſe conſtat. Iam, antequam ad enumerationem aggrediar, memor, me hâc ſecundâ Parte, S. HVBERTI *propagatum Cultum* tractare: cum per *Miracula* potiſſimum, factum ſit, vt Cultus propagaretur: rectè ipſius huius Cultus initia, hoc initio proponam.

Duo *Miraculorum* genera, vicinos primùm, tum deinde remotiores etiam populos excitarunt, vt ſingularem Sancto Præſuli venerationem exhiberent. Alterum, quo miſeris *beneficia* liberaliter conferebat; alterum, quo improbos, & in ſe impios, diris *ſupplicijs* atrociter mactabat. Priora illa, etſi alijs quoque modis, maximè tamen *arcendâ rabie* exhibuit.

Poſteriorum exempla aliquot illuſtria habes in *antiquis Miraculis*: vt in octauo, vbi ſacrilegus bonorum huius Sancti inuaſor, miſe-

rando multatur exitio: & ſimile leges in decimo, decimoſeptimo, vigeſimo, vigeſimoprimo, vigeſimo quarto.

Sed vt ad priora redeam, ſingulari, & antiquiſſimo priuilegio S. HVBERTO diuinitus conceſſum videtur, vt *Rabiem* vel arceret imminentem; vel pelleret iam dominantem. *Antiquiſſimum* dixi hoc Priuilegium, quo Diuinus hic vir, in viuis etiam tum agens vſus fuiſſe legitur. Non eſt hoc paſſim obuium: & eſt tamen digniſſimum, quod ſilentio non prætereatur. Clariſſ. Vir Claudius Deſpretz I. C. Atrebat. in *Analectis*, de HVBERTO iam Epiſcopo, Româ Traiectum reuerſo, ſic ſcribit: *Diuerſa patrat miracula, & præcipuè circa* RABIEM *Canum, Luporum, & Vrſorum: quibus tunc temporis iuſto* DEI *iudicio, puniebantur Tungria, Taxandria, & viciniores ſilueſtres Prouinciæ: rabioſè enim ſiue Princeps, ſiue Populus, occiderant S. Theodardum Epiſcopum: item S. Lambertum. Fecerant Exules S. Amandum, S. Remaclum Epiſcopos: bona Eccleſiæ prædati erant*, &c.

Familiare hoc eſt diuinæ Prouidentiæ, vt, peccatis hominum id promerentibus, clades immittat: & eaſdem per dilectos ſuos tollat, ac ſic eos præclarè magnificet. Sic, *Egreſsâ irâ à Domino, & plagâ deſæuiente, Aaron currit ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium: & ſtans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatur, & plaga ceſſat.* Num. 16. 46. 47.

47.48. Sic, vt plura alia omittam, & de noſtro Sancto aliud illuſtre afferam, cum inaudita ſæuiſſimarum tempeſtatum immanitas omnia vaſtaret: eius deprecatione ſedata eſt, vt Miraculo 6. legiſti. Sed quærat quis piè curioſus, Ecquandonam, & à quo, S. HVBERTO hæc poteſtas data auerruncandæ Rabiei. Audi vetus MS. Gemblacenſe: *Cum Miſſam ibidem* (in Eccleſiâ B. Petri Romæ *celebraret, apparuit ei B. Petrus, tradens ei Clauem quaſi auream, in manu geſtandam, in poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, & LVNATICIS, FVRIOSISQ. ſanitatem conferendi.*

Intelligo hîc, per FVRIOSOS, etiam RABIDOS: nam RABIES non ſine aliquo *Furore* eſt. Cæterum S. Petrus potius hanc *Poteſtatem* S. HVBERTO confirmare videtur, & quaſi altero ſigillo munire, quàm conferre. Nam Angelus *Stolam* afferens, etiam *Poteſtatem* illam à DEO ei conferri ſignificat apud Happart in Vitâ: DEVS, *qui corda fidelium ſuorum impleuit, & dilectis ſuis virtutem ſuper omnem poteſtatem inimici contulit; dat tibi hoc ſacro Eulogio, virtutem imperioſam ſuper Dæmoniacos, Energumenos, Phreneticos, & prorſus omnem poteſtatem inimici.*

Huius P*oteſtatis* velut *Arrham* longè antè habuiſſe HVBERTVS videtur, ac in Patre Bertrando primùm exercuiſſe, cum adhuc adoleſcentulus eſſet. Idem Happart: *Dux Ber-*

trandus malefico carmine tactus, penitus ſe ad bellum accingere non potuit (loquitur de bello ab Rege Hilderico, ipſi Bertrando imminente) *Quamobrem* HVBERTVS, *qui iam ephebos exceſſerat, inſtantem neceſſitatem penſitans, Patrem adijt*, &c. Subiungit Author S. HVBERTI acrem ad Patrem, adhortationem: ac deinde ita ait: *Mirum dictu: vix adoleſcens verba compleuerat, ſolutum eſt Sortilegium, carmina euaneſcunt, & pater, quaſi viribus ex verbis S.* HVBERTI *ſibi redditis, protinus conualuit.* His aliquot antiquorum Scriptorum locis apparet, HVBERTVM non modò in *Rabiem* eâ vi pollêre: ſed eâdem operâ, quoſuis *Furioſos, Lunaticos, Dæmoniacos, Energumenos, Phreneticos, Maleficio, aut Carminibus vitiatos*; *&* denique quâuis *Inimici poteſtate malè habitos*, poſſe perſanare. Conſtat tamen, ſæpius eius beneficium experiri, qui propriè *Rabioſi* dicuntur, ac maximè, quos *rabidi animalis morſus* infecit. In antiquiſſimo vſu id fuiſſe, apparet ex Miraculo 14. ex Antiquis; quo loco *Rabidi lupi morſu infectus, dum ſibi ineſſe ſentiret mortis periculum, ad Sancti* (HVBERTI) *confugit auxilium. Eſt enim* (ait ſcriptor) *eo in loco certiſſima ſalus huius horrendi diſcriminis*, &c. Hæc ille circa annum Domini 850. id eſt ante annos 770. Et loquitur de re iam tum pridem vſurpatâ, non quæ primum inciperet. Sed de *ſtolæ*, hâc in re, vſu, in Quæſtionibus accuratius. Hæc ſunt viſa hu-

ſa huius Capitis initio præmittenda. Iam,quo poterimus ordine, S.HVBERTI Miracula referamus.

I. In ANDAINO, præter illa, quæ in Antiquis Miraculis relata ſunt, hæc maximè memoriâ digna iudicauimus.

Primo loco meritò ponatur *Sancti Corporis* poſt tot annos *Integritas*: quæ quomodo, & quouſque intelligi debeat, in Quæſt. diſputamus.

Alterum ſit *ſacræ Stolæ*, vt ſic dicere liceat, *Perennitas*. De hâc item, & eius Admirandis, in QQ.

Tertium tribuendum videtur *Exorciſmis, & ſacris luſtrationibus*, quibus immundos Spiritus hodieque frequenter expelli conſtat.

Quartum eſto *Panis* certo ritu precibuſque *benedicti* mira vis: cuius vſum mirificè conferre compertum eſt *ad ſedandas Dæmonum tentationes, cerebri perturbationes, pauores, aliaſque afflictiones ſpirituales*.

Quinto loco, Conducit idem *Panis, aut alia Iumentorum pabula, ipſis Iumentis, & pecoribus, rabidi Lupi, alteriuſue feræ incurſu turbatis.*

Sexto, CLAVIS S. HVBERTI grande Miraculum eſt. Eſt autem hæc CLAVIS non aperiendis, claudendiſue oſtijs comparata: ſed *ſigilli* vice, aut annuli, *ſignandis animalibus*. Modum mox indico. CLAVEM autem dictam exiſtimo ex eo, quod olim & *annuli*, & *Claues*

ſigillandis domeſticis rebus adhibebantur: quę eâdem operâ ſic claudebantur. Martialis: *Nam ſignat meus annulus lagenam.* Plura, & erudita Lipſius ad lib. 2. Annal. Taciti. Ab illo igitur vſu, *Claues* ad ſignaturam adhibendi, factum arbitror, vt & *Claues Sigilla*, & *Sigilla Claues* dicerentur, etiamſi ſigillorum tantum vicem fungerentur. Tantum de nomine. Ad rem quod attinet, CLAVIS S. HVBERTI ferrum eſt teres, & rotundum, craſſitie non multo ampliore, quàm quæ cycni calamo eſſe ſolet, longitudine quatuor fere palmorum: cuius alterum extremum, datâ operâ exacutum, ligneo manubrio inſeritur, quò & facilius tractetur, & manum tenentis protegat, ne aduratur: ad alterum verò viſitur ſpecies *Cornu venatorij*, duorum digitorum amplitudine, cum ſuis habenis, omnia è ferro, vt ipſe ſtipes. Hoc igitur Cornu igni candefactum, animalis vel *vulneri* apprimitur, ſi vulnus apparet; vel *fronti*, ſi vulnus non apparet. Loquor autem de vulnere, quod fecerit vel canis, vel animal aliud *rabie* incitatum. Iam, ne merum, & brutum *ferrum* eam clauem eſſe putes, certis primum *precibus luſtratur*, & ſacræ *Stolæ attactu ſanctificatur.* Si quis Caluiniſta hæc, Luciani ſpiritu actus, ridet, dignus eſt, qui *Caluini lilio*, & carnificino ſtigmate notetur. Hoc etiam obſeruatur, vt ſi vulnus pateat, ad viuam vſque carnem aduratur. Datur deinde animali ſic inuſto, *panis*,

auena,

auena, aliudue pabulum, ſacris itidem verbis benedictum, quo dies nouem vtatur. Atque hæc de animali iam ab alio rabido, læſo. Verum licet etiam longè antè periculum præcauere. Nam animalibus tuis rectè prouideris, ſi maturè, nullo imminente diſcrimine, & frontem ijs ſacro illo ferre inuſſeris: & pabulo benedicto paueris. Vide iam, an CLAVEM, quæ tantâ vi polleat, rectè *grande Miraculum* vocauerim.

Hæc omnia hactenus enumerata, quotidiana, ordinaria, antiqua ſunt in Andaino, Miracula; &, vt vides, ſingula alterius, atque alterius generis. Iam, vt aliquid etiam particulare, & eximium addamus: omiſſis antiquis, quæ poſt Vitam legere licet, duo referam recentiſſimæ memoriæ, &, quæ cum teſtibus innumeris probari poſſint, eò tamen probatione non indigent, quòd qui ea in ſeipſis experti ſunt, hodieque ſuperſtites, DEVM in Sancto ſuo mirabilem, & beneficum laudant, & grati prædicant.

Horum prior fuit Illuſtris vir tum ſtirpe, tum militari etiam virtute, cuius nomen exprimere non eſt viſum. Is iuuenili pollens robore, cum ſtrenuam DEO, Religioni, Regi, Principique armatus, dediſſet operam: ad ſuos reuerſus, eiuſmodi morbo correptus, oppreſſuſque eſt, quem Medici, artis ſuæ peritiſſimi, vndecumque euocati, ne intelligerent quidem

ſatis,

ſatis, nedum vt curare poſſent. Nam mente captus, varias, & diras rerum imagines ſibi obuerſari identidem clamabat : cumque ijs, tamquam quæ multum, moleſtiſſimumque negotium faceſſerent, anhelus concertabat. Inter hæc, triſtem cariſſimi filij caſum dolens amantiſſimus pater; damnatâ medicorum ope, ad diuina remedia conuertitur. Depoſitum Iuuenem, alijs, atque alijs Religioſis viris commendat: qui pro ſe quiſque cum ſtudioſè omnia tentaſſent, infirmitatem ſuam faſſi, manus dederunt. Nimirum, mirabilium patratori D. HVBERTO eius curationis decus ſeruabatur. Ad eius igitur Ædem adductus: primùm, cibum, potumque omnem, diebus aliquot reſpuere: diuinis Officijs, non niſi magnâ vi attractus intereſſe: à Sacro Chriſti Corpore, cum in Liturgiâ populo oſtendebatur, oculos, vultumque auertere; totum caput pallio obnubere: nihil denique non facere, quo ſe fanatici delirij manifeſtum oſtenderet. Verum paucis pôſt diebus, Ædituus ſolemnem ei abiurationis formulam proponit, ipſius ægri nomine conſcriptam: quâ DEI, Diuique HVBERTI ope ſuppliciter imploratâ, profitebatur, ſe Cacodæmoni, omnibuſque eius artibus nuntium remittere. Huic, vt nomen ſuum ſubſcribat, diu multumque afflictum Adoleſcentem hortatur.

Mirum dictu: vix quod iubebatur, præſtiterat,

rat, cum, velut à graui ſomno excitatus; turbato primum vultu omnia circumſpicit: cum famulos ſuos agnoſcens, rogat, vbinam, & quibus in regionibus verſetur. Denique, de totâ re ab Æദituo edoctus, mentis iam vſquequaque, tamquam poſtliminio, compos, quas potuit, DEO, eiuſque Præſuli HVBERTO, gratias retulit, & ſoſpes, ac lætus, domum reuerſus, ſuos, quos in luctu, ac ſqualore reliquerat, mutatâ repente ſorte, pijs gaudijs cumulauit

Poſterior fuit adoleſcentula, *Magdalena* nomine, nata annos vigintiquatuor, patria *Baſtonienſis*. Huic improbo multorum more, damnatos Spiritus imprecatus pater, nimis ſeriò quandoque euenire expertus eſt, quæ temere, & incogitanter, irâ imperante, effutiuntur. Siquidem miſerandam puellam mox non vnus Dæmon, ſed *totæ duæ Legiones*, atque inſuper duo ſupernumerarij, inuaſerunt, occupârunt, &, tamquam rem ſuam inſederunt: tam opimam prædam, niſi à maiore coacti, minimè relicturi. Sed maior fuit S. HVBERTVS, perpetuus Dæmonomaſtyx, cuius vi apoſtatæ iſti angeli, quantumuis & numero, & viribus præfidentes, poſt longam licet tergiuerſationem, cedere coacti ſunt. Anno 1606. cœpta adiuratio, quo die Eccleſia Omnium SS. Chriſtianos triumphos, ſolemni ritu colit, id eſt Kalend. Nouemb. quo die, è tanto numero duo

dumtaxat ceſſerunt. Eodem menſe, die 19. vnius legionis dimidium: & poſtridie reliquum, ſtationem reliquit. Altera, quæ reſtabat legio, tota ſimul, cum ſuo Ductore, die 26. eiuſdem menſis, Exorciſmorum fulmine perculſa, fugata eſt. Reſtabant duo Cacodæmones omnium peruicaciſſimi: quippe qui totos viginti dies, reliquis iam expulſis, Exorciſtæ negotium faceſſiuerint. Ad poſtremum tamen & iſti, æterno ſuo cum dedecore exturbati, Puellam penitus liberam reliquerunt. Facile quiuis, quamuis ſilente me, cogitet, quinque hebdomadarum adiurationi multa interueniſſe, memoriâ omnino, & ſcriptione digniſſima: ſed neque ego integra rei geſtæ Commentaria accepi; neque vtique mei inſtituti eſt, eiuſmodi hiſtorias plenâ narratione exequi, quæ ſuo iure integrum volumen ipſæ exigant. Erit hoc fortaſſe alteri alicui curæ: Quod ſi non, eatenus ſaltem à malignâ obliuione, rem tantam, tam paucis viſum eſt vindicare. Atque hactenus de Miraculis, quæ in Andaïno, S. HVBERTI virtute patrantur. Ad alia loca tranſeamus.

II. LEODII *in Cryptâ Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri*, in quâ S. HVBERTI Corpus quieuit, prodigioſæ quandoque ſanationes, eiuſdem Sancti ope fieri dicuntur. De quibus cum nihil acceperim accuratè, plura non iudicaui addenda.

III. FVRÆ, quo loco Sanctus mortalitatem exuit,

exuit, illud prodigioſum notatum eſt. Si quis canis rabie corripiatur, vel ibidem, vel locis vicinis: nemini perniciem vel afferre, vel moliri: ſed ad *dirutum Sacellum* (iam Principum Noſtrorum pietate reſtauratum, auctum, ornatum eſt) feſtinare, & ad angulum aliquem collocato capite, innoxium placidè emori. Ita Religioſus vir, eius loci Curio mihi retulit.

IIII. TRAIECTI in Templo Religioſorum PP. Inſtituti S. *Auguſtini,* ad Altare S. HVBERTI, quæ fiant, diſce ex Epiſtolâ R. Viri D. *Nicolai Crueſen,* Prioris, ad R. atque Ampliſſ. D. Abbatem Andaïnenſem.

Sacra, inquit, *frequenter in honorem glorioſi Sancti petuntur, & celebrantur. Plures ex infirmitatibus varijs, maximè à febribus ardentibus liberantur. Nonnunquam animalia infirma, & à canibus læſa adducuntur, & claui* S. HVBERTI, *in modum Crucis factâ, & pane benedicto in honorem glorioſi ſancti adhibito, iuxta fidelium deuotionem, curantur. Quilibet Nobilium vicinorum ſtudet imaginem* S. HVBERTI, *& fruſtulum panis in honorem glorioſi Sancti conſecratum, domi ſuæ ſeruare: hoc ſibi perſuadent, robuſtiores, & ſagaciores canes effici.*

V. In pago HERNE, cognomento S. HVBERTI & Clauis vſus eſt idem, quem in *Andaino* paulo ſuprà indicaui: & à rabidis beſtijs morſi homines, adhibitis certis precibus, & ſacrificijs, a periculo ſeruantur.

VI. In altero pago MIERTENNE celebris eſt S. HVBERTI cultus, vt ſuprà indicaui. Nec fruſtrà. Non extat memoria, vnquam accidiſſe, vt rabioſus canis homini, pecudiue vllâ ratione nocuerit. Quinetiam, ſi quis canis rabie corripiatur (quod omnino rariſſimè euenit) pagum ipſum, velut occultâ vi actus, deſerit, & fugâ procul ſe proripit: neque interea vicinis damni quicquam infert.

VII. In Monaſterio ſacrarum Virginum, quod D. Virginis, DESPINLIEV dicunt, prope Montes Hannoniæ, mira itidem S. HVBERTI meritis, & ope contingunt. Totum genus cognoſcere licet ex illuſtri hiſtoriâ, quæ ante hoc triennium ibidem contigit, & quam authenticè deſcriptam habeo, ipſius Antiſtitæ manu ac fide firmatam. Dignam iudicaui, quam integrè ederem, vt Gallico ſermone accepi. Ergo Latinè à me verſam ecce habes.

In Monaſterio noſtro B. Mariæ Deſpinlieu, prope Hannoniæ Montes, Soror Magdalena l'Hermite, ex ijs, quas Conuerſas vocamus, ſeptem fere annos eiuſmodi morbo laborauerat, quem nemo agnoſceret, & Medici varijs remedijs nequicquam ſanare tentauerant. Ferijs Circumciſi Domini, Kal. Ianuarij anni 1617. in æde ſacrâ corruit, vultu in terram prolapſa; quod & alias ſæpius euenerat. Poſtridie ſolemnem S. HVBERTI *cultum inchoauimus, antiphonâ vnâ decantatâ, & recitato à Sacerdote, ad puellæ caput, Euangelio, vti*

cum

cum cæteris ægris agere mos noſter eſt. Atque id factitauimus dies quadraginta. Porro à primo die ad vſque vigeſimumquintum in deterius abibat morbus, vſque eò quidem, vt ſæuientem Magdalenam ægrè tenerent è noſtris Virginibus octodecim, aut viginti. Denique cum multos ægrotos S. HVBERTI *meritis hîc ſanari viderimus; neminem nouimus vehementius vel cruciari, vel ſæuire. Cæterum exacto die quadrageſimo, ita priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, vt ne veſtigium quidem morbi ſupereſſet. Itaque ſolemnem Miſſam decantauimus, addito Cantico, Te* DEVM *laudamus, quò* DEVM, *Sanctumque eius* HVBERTVM *debito honore afficeremus,* &c. Subſcripſit Abbatiſſa *Maria de Buzegnies*, aliæque duæ.

VIII. In alio Virginum Monaſterio, nomine FLINIS, quos rabida beſtia momordit, aut infecit, ab omni in perpetuum rabiei diſcrimine liberantur; obſeruatis, quæ præſcribuntur, cæremonijs, quas recenſeo, & examino in QQ. Hvb. Q. 9.

IX. NOVLETTA pagus *Heſdinienſi* vrbi proximus, miro priuilegio gaudet, quod à R. P. *Theodoro Gerlais* Societ. noſtræ Sacerdote, & Collegij Heſdinienſis Rectore, ſcripto comprehenſum, & ad me miſſum, totidem hic verbis deſcribo. Ita habet:

Pagus eſt ſecundo ab vrbe Heſdinianâ miliario, in Paulenſi Comitatu, NOVLETTE *vulgari nomine appellatus. Ibi Templum eſt perantiquum,*

D. HVBERTI *memoriâ conſecratum. In eiuſdem Sancti clientelâ creditur pagus eſſe: nam ab omni hominum memoriâ auditum non eſt, quemquam illius incolam, vel incolæ beſtiam, inibi à rabidis, aliunde aduenientibus morſam, in rabiem incidiſſe. Id verò loci priuilegium eſt, cum ſine vllo alio remedio, vel propagatione temporis (vulgò* repit *) vel ſimilibus, immunes, & illæſi ſeruentur. Satis eſt, eſſe incolam loci, vel ad incolam pertinere. Exempla ſunt quotidiana, & totâ circumquaque Regione notiſſima: adeò vt ijs locis commune ſit prouerbium, Noulettâ nec hominem, nec beſtiam videri exire rabidam: Cum tamen ex vicinis pagis, cum aliæ beſtiæ, tum præſertim canes, excurrant per varios pagos errabundi. Ij, ſi fortè Noulettam appellant; ab incolarum canibus, nullo ipſorum damno, occiduntur.*

X. De ALEM ſic ſcribit ad R. D. Abbatem S. HVBERTI, Reuerendiſſimus Antiſtes D. *Nicolaus Epiſcopus Buſcoducenſis: Celebris hic eſt memoria* D. HVBERTI, *in* ALEM, *parochiâ noſtræ Diœceſis iuxta Moſam. Solent læſi à canibus eò, ſanitatis gratiâ, ſeſe recipere, & ſanitatem recuperare.*

Etiam ijs locis, in quibus alioqui nullum ſolemnem S. HVBERTI cultum eſſe intellexi, eiuſdem Sancti deprecatione grandia quandoque miracula contingunt. Habeo eiuſmodi duo, quæ in Belgio noſtro non ita pridem

dem acciderunt, neque tamen ijs locis, quæ cap. primo enumeraui. Ea ponam, antequam ad aliam terræ plagam tranſeo.

XI. DVRBVTI, vrbe ſatis notâ, in ducatu Luxemburgenſi, ciuis eſt honeſtus, *Iohannes Godet* nomine, cuius vxor *Nicolaa*, ad vicinum pagum dum proficiſcitur, inopinatò lupum conſpexit, ad ſe properantem, rictu diducto, & ſanguinolento. Territa illa ilico exclamat, IESVS, MARIA. Lupus nihilominus eam inuadit, & femora, crura, brachia fœdè conuulnerat. Repetit illa ſæpius ſacra illa nomina, & ad extremum addit: S. HVBERTE, adiuua. Mirum dictu, ad iſtam vocem Lupus, tamquam fulmine perculſus eam deſerit, neque vlterius lædit. Huius narrationis confectum iuris ordine teſtimonium, ſigillo vrbis, & Actuarij manu confirmatum penes me habeo: quod à Magiſtratu Durbutenſi ad D. Abbatem Andaïnenſem miſſum fuit.

XII. Quod ſequitur; ante quinquennium contigit; &, ne de veritate dubites, nobilis fœmina R. P. *Philippo Rouſellio* Societ. noſtræ Sacerdoti narrauit, ea ipſa, quæ in famulo ſuo domeſtico triſtem tragœdiam ſpectauit: quam ad me ſcripſit eiuſdem noſtræ Societ. Religioſus *Philippus Renerius D'obry*. Ego ex eius litteris verbotenus deſcribo. Ita habet:

In Cameraceſio, pago non vſque ab vrbe diſſito, Nobilis indixerat in totam vitam, ſibi, totique fami-

familiæ ſolemne ieiunium in priuilegio S. HVBERTI, *præſidium aduerſus rabidorum canum importunos aſſultus. Soluit ſeruus vnus aliquis. Obſeruat Domina: commodum acriter caſtigare verbis; ille ridere, negligere, inſiſtere. Quid mihi, inquit, cum ieiunio veſtro, & lege? vobis otium, mihi opera eſt vita: currus agitandus: non fero abſque tentaculo. Hîc acrius increpare Domina: Diui iras non temerè memorare: vltionem acerbi contemtus præſentire: iterum, & iterum monere, facti pœniteret: malè capta bene abrumperet: perniciem, quam ſibi gratis accerſebat, caueret. Nihil ille penſi habere: capitis motu monentem, & monitum auerſari, dum qui malè ientandi initium fecerat, peius faceret finem. Currum apparat: adiungit equos: componit ſarcinas. Ecce tibi rabidum ex improuiſo moloſſicum: currum inſilit. hominem inuolat: dentium mucrones imprimit. Vociferatur, opem inclamat: interea diſturbatur in terram, & diſcerpitur: nec ſe valet vllis viribus miſer expedire luctando, cædendo, propugnando. Ita breuiſſimâ morâ proſtratum, diſcerptum, ſemianimem denique deſerit ſuapte ſponte canis, & abit. Accurrunt tandem exciti clamoribus domeſtici, omnino ſerò. Iam primas dederat cani pœnas prius quàm auditus: morti alteras, abreptus immani rabie, prius quàm curatus, dedit: vtraſque* S. HVBERTO, *cuius impiè votum exploſerat, & votiuum ieiunium violârat, prius quàm læſum graui contemtu placaret.*

caret. Hactenus hiſtoria horrenda,& cum antiquis, quas vitæ ſubiunximus, comparanda. Sed nunc iucundiora Miracula audiamus.

XIII. AVREÆ-VALLIS Monaſterio præeſt, magno, & ipſius Monaſterij,& publico bono, plurimùm Reuerendus, Ampliſſimuſque Vir, D. *Bernardus de Mont-Gaillard*: cui multis nominibus multum debet vniuerſa Societas noſtra: & ego ob ſummam, ſuauemque in me humanitatem, & affectum, longè plurimum. Cum hòc mihi colloquium aliquando fuit (vt ſæpe aliâs de alijs argumentis) de S. HVBERTO noſtro, eiuſque beneficijs,& admirandis. Quę, cum dicerem, longè, lateque ſparſa, & pijs omnibus notiſſima: approbans ille, & ex vero exaggerans, addidit, in *Aureâ* quoque *valle* ea extare. Atque ex tempore quædam recenſuit. Sed, quò magis in promtu eſſent, pro ſuâ aduerſus Diuum obſeruantiâ, Religioſo, Sacellano ſuo, R.P. *Iacobo de Vaulx* in mandatis dedit, vt ea ſcripto complecteretur, mihique traderet. Quod ille diligenter, impenſeque fecit. Ex eo igitur partim hîc, partim ſequentibus capitibus, ea referam, quæ memoriâ digna, ad rem eſſe videbuntur. Sed illud generatim præmittendum, Inter duas religioſiſſimas domos, *Andaïnenſem*, inquam, S. HVBERTI, & *Aureæ-vallis*, antiquitus initam ſocietatem, & ſtrictiſſimo nexu coalitam durare:

quâ non modò fraterno amore, & caritate cohærent: ſed & DEO, ſanctoque HVBERTO approbantibus, ijſdem beneficijs gaudent. Ad Miracula ſpectant hæc duo. Prius hominis: canes poſterius attingit.

Inauditum eſt, quemquam ex religiosâ illâ *Aureæ Vallis* familiâ, ab vllo rabioſo animali læſum fuiſſe. Quin & piè creditur, ne lædi quidem poſſe. Neque vana fides. Ingreſſus aliquando canis rabie exæſtuans, templum, atque adeò odeum, in quo ſolitum diuinarum laudum penſum DEO religioſi Aſcetæ decantabant; furibundus quidem ſingulos adijt, tamquam facturus, quod ſimiles ſolent: ſed eorum neminem attingens, innoxius receſſit, non modò è templo, ſed ex totius Monaſterij ambitu: vt ſi fugâ ſalutem ſibi ipſi quæreret, qui hominum S. HVBERTO carorum ſalutem, eodem protegente, violare non auderet.

Canes porro *Aureæ-Vallis, claue* S. HVBERTI, eo, quo alibi dictum eſt, modo, notati, ſunt & ipſi immunes à rabidorum animalium morſibus. Aut, ſi quando rabie infeſtentur, neque cuiquam nocent; & placidè in aliquo angulo, rabie ſimul, & vitâ defunguntur.

XIV. COLONIA ad me ſcribit R. P. Philippus Bebius noſter, In ſummæ Ædis Paſculo eſſe S. HVBERTI Clauem, cuius ſæpiſſimè ſit vſus in conſecratione aquæ, panis, &c. quorum virtute, adhibitis per dies aliquot, certis

preci-

precibus, non pauci perſanantur.

XV. In pago NONWEILLER, præter certum remedium aduerſus imminentem rabiem: eſt & aliud ſtupendum planè Miraculum. Clauis eſt ferrea, quod ad ſtipitem quidem attinet, ijs, quæ in Andaïno fiunt, fere gemina: ſed extrema multum diſtant. In illâ enim non eſt Cornu, vt in his eſſe diximus, ſed tribus digitis ante extremum ſinuatur ferrum in circulum, cuius diameter tres etiam fere digitos colligit longitudinis. Per medium iſtum Circulum decuſſatim ducitur ex eodem ferro Crux, cuius quatuor brachia à centro obliquè ad Orbis ſinum pertinent, nullo vel ad cuſpidem, vel ad capulum, producto. Formam mox ſpectare licet.

Longitudinem integram non capit vna pagella: itaque fractam exhibeo. Ea ſic reconcinnanda eſt. Extremum notatum litterulâ A. iunge cum altero, cui vides adiectum B. Quamquam ne ſic quidem integra magnitudo integrè conſtat. Ad litteram C. initium eſt manubrij lignei, quod ſcito, porrò extendi eò vſque, vt virilem manum, commodè impleat.

Sed in ipſo prorſus extremo ſupra orbem, & crucem, eſt Miraculum. Viden' nigellam illam cuſpidem procurrentem? Corpuſculum eſt, quod duorum granorum hordei inſtar habeat, ſi vel tantum habet. Vbi quis acceſſit,

quem rabida beſtia læſerit, immittitur ea cuſpis in ignem, dum tota ad inſtar ignis ipſius candeſcat. Tum vulneri applicatur: ac protinus venenum, quod plaga celabat, ſpumæ inſtar, candenti cuſpidi circumponitur: quæ iterum igni immiſſa, expurgatur, & venenum vorax flamma abſumit. Quid præterea ſalutem oranti præſcribatur, dico in eâ Quæſtione, quâ Curationes examino. Hîc aliud Miraculum conſidero. Cum illud, de quo ago, corpuſculum aliquot iam ſeculis idemtidem candentibus prunis immergatur, nullum hactenus detrimentum à tam edace elemento ſentit: cum quoduis ferrum, aut chalybem, ſi vel decuplo maior fuiſſet, pridem planè conſumtum fuiſſe oportuerit.

Nec-


B
A
C

Necdum hactenus dixi, quænam illius Corpuſculi *materia* : neque facilè dicam, cum intelligam ignorari ab ijs etiam, qui proximi ſint, qui etiam eius curam, & cuſtodelam ſibi commiſſam habuerint. Eſt in Lotharingiâ Germanicâ nobile S. Benedicti Monaſterium *Theolegia* (vulgo vocant *Tholai*) cui hodie Abbas præeſt admodum R. ac Religioſiſſimus, Ampliſſimuſque Vir, D. *Martinus Nennich*, qui, cum paucis, quibus ſacra gubernacula tenuit, annis, multa præſtiterit ; ſpem facit, fore, vt multo plura, & maiora præſtet. Ad eum nuper profectus, & humaniſſimè exceptus, rogaui, pro authoritate, quâ valet, *Nonvvetlerianum* Parochum (qui duo dumtaxat Germanica inde miliaria abeſt) ad ſe euocaret (commodum feriæ erant S. *Maurity*, qui *Theolegiæ* Patronus præeſt) & *Clauem* illam S. HVBERTI afferri iuberet. Fecit ille impensè quod rogabatur. Affuêre pro vno, duo Parochi, ſenior alter D. *Iohannes Neunkirchen*, qui Nonweilerianæ Eccleſiæ totos quindecim annos præfuerat: alter iunior, D. *Petrus Linteo*, qui tum præerat, & nec ita pridem præeſſe cœperat. Ferebat is ſacrum illud pignus. Quod in ſacrâ Theolegianâ Æde expoſitum, mihi licuit videre, inſpicere, tractare, & contrectare. Aderat ipſe Archimandrita, aderant præter duos illos, quos dixi, Parochos, quidam RR. Religioſi, alijque ſacri homines. Inter quæſita

aliquot

aliquot mea, etiam illud fuit, Quænam prodigioſæ illius Cuſpidis *materies* eſſet. Quidam exiſtimare, ex *Oſſibus* eſſe S. HVBERTI, ſed & illi, & denique omnes, profiteri ignorationem,& cum illis ego quoque : etſi nemo negabat, quicquid illud erat, ſimilius eſſe ferro, aut chalybi, quàm oſſi. Sed faciamus eſſe ferrum : nemo pius item negauerit, diuinitus S. HVBERTI promeritis eam vim accepiſſe, quâ tam diu ignis vim eludit: maximè cum effectus præterea in perpetuâ ſanatione appareat, qui non poſſit eſſe niſi è cælo. Hæc ita particulatim narrare placuit, vt in re paucis, extra illam plagam, notâ, & Miraculo ſuam authoritatem aſſererem: & fidem meam conſtabilirem, tum præſenti inſpectione; tum talium virorum grauiſſimo teſtimonio.

Sed, vt ſalutaris eſt hoc loco pijs S. HVBERTI beneficentia: ita metuenda ira impijs. Id vno hoc exemplo, omiſſis alijs, diſcere licet. Pagus eſt *Irmenach* in monte, prope vrbem *Trarbach*, Moſellâ haud ita procul. Eius pagi Pſeudopaſtor, homo hæreticus, & hæreſeon improbus ſator, ac meſſor, non ita pridem rabiei periculo proximè vrgente; monebatur, Sancti notam opem inuocare. Pudebat videlicet hominem impudentem. Sed tamen de pelle ſuâ ſolicitus, eo deuenit denique, vt, miſſo in *Nonvveiler* nuntio, rogauerit ad ſe mitti ſalutarem Clauem. Negauit Curio, moris,

ris, aut iuris eſſe, efferri id Depoſitum; patere omnibus viam: non debere quemquam pigere breuis itineris, qui tantum expectet beneficium. Sed vicit hæreticus pudor periculi metum: neglexit diuinum remedium rabula infelix. Sed caro illi ſtetit neglectus. Non ita multò pòſt, dirâ rabie correptus, extinctuſque, miſerandum in modum interijt. Hoc quoque inter nefariæ hæreſeos execrandos fructus numeretur.

XVI. In ATREIO, ſiue ALTEREIO Monaſterio, & Ordinarium Miraculum eſt, ac propè quotidianum: & quædam ſunt particularia eiuſmodi, quæ nefas ſit ſileri in hâc Hiſtoriâ. Vtriuſque generis cognitionem, candidus Lector, & eo nomine gratias mecum debebit Religioſiſſimo, Ampliſſimoque illius loci Antiſtiti D. *Iohanni Laurentio*: de quo hoc teſtari poſſum, excepto Andaïnenſi Præſule, neminem planè fuiſſe, qui S. HVBERTI honorem ita ſibi cordi eſſe oſtenderit; aut qui res de eo ſibi notas, accuratius, & vberius in Commentarios referri curauerit. Minimè dubium eſt, plurimum ad id valuiſſe & authoritatem, & diligentiam, pietatemque Reuerendiſſimi Antiſtitis D. Adami Peetz, Epiſcopi Tripolitani, & Argentinenſis Proëpiſcopi: qui eos Commentarios ab Atreienſi Abbate acceptos, ad Andaïnenſem miſit, & hic porrò ad me. Ex his Commentarijs authenticè conſcriptis, & eiuſ-

eiuſdem Abbatis manu, & ſigillo confirmatis, hæc hauſi, quæ hoc capite ſcribo, & porro hauriam, quæ ſequentibus ſcripturus ſum. Ergo quod ad Miracula attinet, illud ordinarium eſt. Delirio, aut alioqui cerebri quouis vitio laborantes, & quibus mens purum ſolidè conſtat, eò frequentes adducuntur, & ſanantur. Et, quamquam non omnes in ipſo loco, & veſtigio; tamen domum reuerſi, intra paucas hebdomadas, plerique omnes: dum præſcripta diligenter obſeruent. Ea quænam ſint, ad Quæſtiones pertinet. Iam verò & homines, & pecora quoque, & domeſtica quæque animalia, certum ibi præſidium paratum habent contra rabiem, quæ ijs alioquin immineat, quòd à rabioſo aliquo offenſa fuerint.

Iam verò particularia aliquot Miracula, & quaſi Extraordinaria, in Commentario illo, de quo dixi, annotata ſunt.

Eiuſmodi ſunt, eos, qui præſcriptam S. Hvberti methodum accuratè non obſeruârunt, in rabiem incidiſſe, & miſerando exitio perijſſe: cum contrà, ij qui examuſſim omnia præſtiterunt, nihil mali, in pari periculo, paſſi fuerint. Atque hæc frequenter, & hoc etiamnum tempore ibi videntur. Sed vnum aliquanto antiquius hic non reticebo.

Anni ſunt fere trecenti, cum ex Atreienſibus Religioſis quidam venatu ſe exercens, Aprum à canibus diu agitatum, & denique ſiſte-

re iuſſum, venabulo confixit; non longulè à pago, cui à S. Helenâ nomen, proximè ipſum Monaſterium. Ex eo pago cum quidam, canum latratu excitati ad ſpectaculum concurriſſent, affuit & Prætor; qui prædam ſibi vendicabat, quòd intra S. Helenæ fines cecidiſſet. At enim negare Atreienſis, & quam ſuâ manu ſtrauiſſet, domum velle auehere. Prætor *formularum iuris*, tali in re ſcientior, Aprum manu tangens, *contingo*, inquit, *hanc feram, nomine Ducis Domini mei.* At contra Atreienſis: *Ego verò*, inquit, *mihi eam aſſero, & iure retineo nomine* S. HVBERTI. Audi rem horrendam. Ad ea verba corruit miſer Prætor, & rabie correptus, in ipſo veſtigio emoritur: ibidemque paulò pòſt inglorius ſepelitur. Huius Miraculi memoriam vitreæ Atreienſis Templi feneſtræ, penicillo adumbratam hodieque retinent.

XVII. In Abbatiâ S. NICOLAI DE PREIS proximè Virdunum, ferijs S. HVBERTI quotannis magna panum, variorumque pabulorum vis benedicitur, quæ amuleta certiſſima eſſe conſtat ijs animalibus, quæ alia, rabie agitata, dentibus offenderint.

In Galliâ multa præclara eſſe, quæ ad Sancti noſtri gloriam magnopere pertineant, certâ fide à viris fide dignis accepi: ſed pauca admodum ita diſtincte, & ita teſtata, vt huic hiſtoriæ inſerere auderem. Vnum, quod ad hoc caput

caput pertinet, viſum mihi eſt non omittendum.

XVIII. Ex vltimis VASCONIÆ finibus, non ita pridem, trecentorum prope miliarium iter emenſus, nobis viſus eſt Illuſtris Iuuenis *Petrus Paulus Baro de la Barte*, *Dynaſta in Mont-Gaillard*, cum Patruum ſuum, Ampliſſimum *Aureæ-Vallis Abbatem* viſeret. Is narrabat, in domo paternâ ab ſe viſum canem, ex ipsâ *Aurea-Valle* eò aliquando miſſum, S. HVBERTI *Claue* prius inſignitum. Qui, cum multò poſt in rabiem incidiſſet: neque ſolitum furorem oſtendebat, neque nocebat cuiquam. Quinetiam addebat, eo ipſo tempore, manibus non ſemel à ſe, & ſine noxâ, attrectatum. Denique paſſim, pro more illius animantis, obuijs blanditus, & laborem, doloremque ſuum teſtatus, malo inualeſcente, vitam amiſit.

Vti dixi huius Capitis initio, duo præcipua *Miraculorum* genera alibi commodius tractanda videntur. Itaque de S. HVBERTI *Miraculis* hîc iam deſino.

CAPVT IIII.

PEREGRINATIONES.

AB OMNI æuo hoc habuit zelus, non Chriſtianorum modò, ſed & antiquioris populi DEI, vt loca vel Diuinis Miraculis clara, vel Sanctorum hominum veſtigijs preſſa, vel nobilitata factis, aut denique ſacrorum pignorum cuſtodiæ, DEI nutu deſtinata, magno concurſu facto, pietatis causâ, inuiſerent. Id vocamus *Peregrinationes.* Harum Author eſt ipſe DEVS, qui etſi vbique eſt, & vbique colendus, & adorandus: tamen quibuſdam locis & apertius ſe, illuſtriuſque exhibet; & ijs ipſis maximè adorari dignatur. Ille eſt, qui Iacob dilecto ſuo ait; *Ego ſum* DEVS *Bethel, vbi vnxiſti lapidem* (Gen. 31. 13.) Ille, cuius eſt mandatum ad eumdem Iacob: *Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi, facque Altare* DEO, *qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* (Gen. 35. 1.) Ille, qui Salomoni alteri amico ſuo illa ſuggerit (lib. 3. Reg. cap. 8. v 41.) *Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſraël, cum venerit de terrâ longinquâ propter nomen tuum, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui; & facies*

cies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena, vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſraël, & probent, quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc, quam ædificaui. Ille ipſe, qui Naaman leproſum mitti voluit *ad Iordanem, & in eo lauari, vt ſanitatem reciperet caro eius.* (lib. 4. Reg. cap. 5. v. 10.) Iam in Chriſtianâ hiſtoriâ, quis neſcit, *Apoſtolum* (Act. 20. v. 16.) *feſtinaſſe, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis?* Ad eamdem Vrbem, & vicina loca perpetuæ hominum concurrentium vndæ fuerunt, poſtquam Chriſtus *in* ijs *terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Solus Hieronymus eam Peregrinationem celebrem reddere poſſit, vel ſuo exemplo, & piâ ſedulitate: vel pietatis aliorum accuratâ deſcriptione. Taceo *Romipetarum*, & *Compoſtellam* ad *Magni Iacobi* ſacra pignora confluentium, notum ſtudium, & diligentiam. Taceo *Beatiſſimam Matrem* DEI, tum alijs tot locis cultam: tum *Laureti in Italiâ*; tum in *Belgio noſtro Hallis, ad Aſperum Collem, in Dionantenſi viciniâ.*

Noſtro etiam S. HVBERTO, is honos diuinitus contigit, vt frequentiſſimis *Peregrinationibus*, maximo omnium ordinum, & ætatum concurſu, ſummâ pietate celebretur. Et, quod paucis alijs Sanctorum eueniſſe videas, non modò *Andainum*, honoris, & deprecationis eius causâ conuenitur (etſi omnino cò

maximè conuenitur) ſed ad alia quoque multa loca, in quibus ob perpetua in mortales collata beneficia, celebris eius memoria eſt. Sufficerit, breui enumeratione ea loca recenſere, ſeruato iterum primi Capitis ordine, niſi quod *Andainum* vltimo potius loco, quàm primo, conſtituendum ideo iudicaui, quod ipſæ *Peregrinationes*, quæ eò fiunt, peculiare aliquid habent. At alijs in locis, quicquid præterea dici poſſit (quod quidem ego cognoſcere potuerim) ad alia Capita deinceps proponenda, pertinet.

I. TRAIECTI, ad Altare S. HVBERTI, quod eſt in Æde PP. *Auguſtinianorum*, feſto eius die, *è vicinis pagorum incolis, centeni, & centeni, cateruatim, & turmatim, maximo affluxu* concurrunt, *vota ſua, preces, & oblationes* S. HVBERTO *delaturi*, ait R. Vir *Nicolaus Crueſen, Prior.*

II. Eodem die ad pagum MIERTENNE è viciniâ frequentiſſimè concurritur.

III. Item in ALEM Diœceſis Buſcoducenſis, Reuerendiſſimo *Epiſcopo* teſte, omni exceptione maiore.

IV. Simile quid, de ſuo Monaſterio AVREÆ-VALLIS pari fide teſtatur Ampliſſ. Præſul, D. Bernardus de Mont-Gaillard.

V. Item ad pagum, prope Monaſterium *Lauteren*, accurſus eſt, etiam hæreticorum.

VI. In NONWEILLER non modò Natali S.

Præ-

Præſulis die, id eſt, tertiâ Nouemb. ſed & decimaquartâ Iunij, ingens hominum multitudo concurrit, non tantum Catholicorum, ſed & eorum, quos impia Lutheri, & Caluini placita corruperunt. Nimirum tot annos id non potuit efficere nefaria hæreſis, vt piam maiorum ſuorum conſuetudinem obliuiſcerentur.

VII. ATREIVM, vt in alijs pleriſque capitibus, ita in hoc, illud peculiare habet, quòd præter maximam hominum multitudinem, die tertiâ Nouemb. confluentem; *Aſcenſionis Domini feſto*, tum è Lotharingiâ, tum etiam, quod magis miremur, e Burgundiâ, & Germaniâ, tantus eſt *peregrinantium* populus, vt ægrè, qui non viderit, narrantibus credat. Quid vis dicam? Templum, quantumuis capaciſſimum, eos non capit: idque à primâ luce, vſque ad primam, aut ſecundam horam pomeridianam, quo tempore rareſcere incipit illa hominum, vt ſic dicam, nubes. Denique neque piſtores ſatis panis; neque œnopolæ vini, conuehere poſſunt, quantumuis & lucri auidi ſint, & diligentes.

VIII. Venio iam ad ANDAINVM, de quo illud dici poteſt, Etſi quibuſdam diebus plures; tamen, toto anno plurimos eò confluere *Peregrinos*. Sed duo addenda ſunt. Alterum, totos ſæpe pagos, eoſque plures, & quaſi ex compacto coniuratos, conuenire, eo numero, vt ægrè

hoſpitia reperiant. *Germanos* maximè obſeruaui, plurium dierum itinere, voti ſoluendi cauſâ, concurrere. Alterum, venire plurimos, quibus integrum non ſit, non venire, quòd ſe, quandoque & ſuos, ad id obligarint, atque etiam poſteros. Huius *Obligationis* originem operæ eſt pretium, repetere ex Miraculo ſexto, Vitæ adiuncto. Ibi, cum Author narraſſet, S. HVBERTI ope tempeſtatum furorem ſpe citius fuiſſe ſedatum; addit: *Prouinciales tam celerem diuinæ propitiationis experientiam, meritis Beati* HVBERTI *reputantes, petierunt ſibi concedi, vt per ſingulos annos, certificatis diebus, pro neceſſitatibus ſuis multis, conuenirent: eâ nimirum conditione interpoſitâ, vt quiſque deferret ad deuotionis gratiam, prout eſſet illi facultatis copia. Cuius deuotionis conſuetudinem ne quiſquam infirmare, vel minuere præſumeret, banno Imperiali, & lege Synodali confirmata eſt.* Ita ibi. Quod ſi tempus requiras, notatur ibid: annus Domini *Octingenteſimus trigeſimus ſeptimus.*

Non fuit tamen hoc initium huius *Peregrinationis.* Nam *Happart in Abbatum Catalogo*, antiquiorem facit. *Has Cruces*, inquit, *edicto Ludouici Imperatoris, filij Caroli Magni, & Synodali banno VValcandi Epiſcopi, ante huius* (Seuoldi Abbatis) *tempora, nouimus Eccleſiæ confirmatas. Magnis enim neceſſitatibus compulſi Prouinciales,* DEO, *& Beato* HVBERTO *has ſibi legaliter confirmandas obtinuerunt.* Vide, quàm

ſeriò id egerint, vt non modò ſuâ ſe voluntate, ac poſteros ſuos ipſi æternum aſtringerent; ſed ne aliquando quiſquam reſilire poſſet, geminô præterea nodo, à ſupremâ poteſtate tum *Eccleſiaſticâ*, tum *Seculari* confirmarent.

Iam, quod ait, *Synodali Banno VValcandi has Cruces fuiſſe confirmatas*; ex Miraculo ſexto paulo antè deſcribebam, etiam *Imperiali Banno* confirmatas fuiſſe, & *Lege ſynodali*. Ex quibus locis intelligimus, *Edictum*, *Legum*, *Bannum*, pro eodem vſurpari. BANNVM voce Francicâ (Galli etiamnum vocant BAN) appellat *Generale Mandatum, quod omnes tangat, à ſupremâ Poteſtate profectum.* Hinc dicuntur *Molæ Bannales*, *Furni Bannales*, quò tota vicinia aliqua vel frumenta molenda, vel coquendos panes deferre, Principali *Banno*, ſiue Edicto, obligatur. Hinc etiam paſſim in antiquis Chartis hæ, de quibus agimus, CRVCES, dicuntur BANNALES. De quibus illa quoque digniſſima ſunt, quæ poſteritati commendentur, eodem Catalogi loco: *Viri Religioſi proximi, & longinqui, conſiderantes, mundum ſæpius ob ſcelera flagellari, & plurimis neceſſitatibus ſubiacere: obtinuerunt à præfato Reuerendo Abbate* (Seuoldo) *vt ſingulis annis cum Crucibus, & oblationibus, ad merita Beati Pontificis admitterentur. Vnde ſtatutum fuit, vt tribus per annum oblationibus, circa feſtum S. Iohannis Baptiſtæ, Eccleſiam Beatorum Petri, atque* HVBER-

TI *ſolemniter honorarent.* Mox: *Diſcretis igitur huius Voti terminis, à Lieriſo Caſtro, vſque Fredonis villam: à Gabelio ſuper Moſam, vſque VVez in Archiepiſcopatu Treuerenſi, diuerſis nominibus, Cruces Falmenenſes, Palatienſes, & Arduennenſes nuncuparunt.* Non eſt iam difficile, intelligere, cur iſtæ *Peregrinationes*, ſiue Proceſſiones, CRVCES dicantur: nempe quia non modò cum oblationibus, ſed cum CRVCIBVS, conueniebant. Hodie adhuc in Andaïno, & vicinis locis, Proceſſiones vulgo CRVCES dicuntur. Porro, quæ de *Oblationibus* diſtinctius reperio, ad aliud Caput reſeruo, quo de *Obligatis, & Addictis*, ex profeſſo tracto.

De *Peregrinationibus* igitur tantum hoc loco dixiſſe ſufficiat.

CAPVT V.

CVLTVS SOLEMNIS.

SCIO, ad hunc Cultum pertinere, & *Peregrinationes*, & *Sodalitates*, & *Obligationes*, & *Munera ſolemnia*. Sed, quia ſingula hæc mihi viſa ſunt ſingula Capita poſſe efficere, malui diſtinctius de iis agere. Hoc igitur Capite ponam ea, quæ neque ad illa commodè referri queunt: & digna tamen ſunt, quæ locum ali-

aliquem in hâc Hiſtoriâ obtineant.

I. Primvm in his locum obtinere poſſunt Statvæ, & depictæ in tabulis; aut parietibus, Imagines, quæ paſſim in Belgio, & Germaniâ, ſupra domorum ianuas, aut alioqui in frontiſpicio viſuntur, tum in oppidis, tum in pagis: vt ipſe non raro obſeruaui. Earum duplicem eſſe rationem intelligo. Nam quædam, eorum tantum ſunt, quos S. Hvberti *Prætores*, aut *Quæſtores* vocant; de quibus infrà dicetur: aliæ, aliorum quorumuis, qui obſeruantiæ erga ſanctum, & pietatis causâ, eas exponunt, voluntque eſſe eius obſeruantiæ apud omnes ſpectatores, publicum teſtimonium. Sperant autem iſti, nec vanè, S. Hvberti patrocinium, opem, & præſidium, tum alijs in rebus; tum vt ipſi, cum familijs, canibus, pecoribuſque à dirâ *rabie*, eiuſque periculo vindicentur.

II. Proximè ſequuntur Gestamina. Sic voco res quaſdam minores, quas eiuſdem Pietatis causâ, S. Hvberti cultui addicti geſtitant. Eius generis ſunt *Cruciculæ*, & *Imagunculæ* ex auro, argento, ſtanuo, alioue metallo, ligno, charta; quæ ipſum S Patronum exhibeant. Geſtantur hæ è Roſarijs, Galeris, aut ex Collo pendulæ: ſed prius certis Benedictionibus luſtratæ, & cæleſtis *Stolæ* attactu ſanctificatæ. Similia quædam alibi quoque ad aliorum Sanctorum memorias obſeruare fortaſſe liceat.

Sed S. HVBERTO peculiare eſſe videtur, vt paruula CORNVA, ſimili ritu ſanctificata, honoris eius gratiâ geſtentur: quod S. HVBERTVS, venationi quondam deditus, Venatoribus etiam nunc impensè faueat.

III. Accedunt FESTI DIES, noſtro Diuo colendo peculiariter dicati. De his generatim aſſerere poſſum, eos, & inſtitutos eſſe, & magno ſtudio celebrari omnibus ijs locis, quos primo capite recenſui: Sed tangamus vnum particulare.

Traiecti publico feſto dies S.HVBERTO *anniuerſaria ſolemni ritu per totum oppidum celebratur, tum à Clero, tum à populo: quod tamen non fit in honorem aliorum ſanctorum Epiſcoporum huius oppidi, quos pluſquam viginti numeramus ſanctos. Eadem dies non tantum Ciuibus celebris; ſed & vicinis pagorum incolis, &c.* Verba ſunt R. Viri *Nicolai Crueſen* Prioris Auguſtinianorum, quem & alibi laudaui. Sed cum Feſti dies vario cultu celebrentur: alijs omiſſis, Virdunenſium pietatem audiamus.

IIII. Ad S. *Nicolaum de Preys*, S. HVBERTI feſto die, non tantum Virdunenſis populus, & vicini Pagani concurrunt; ſed congregati, hinc *Eccleſiæ Cathedralis Canonici*, ſacram eò pompam ducunt: inde *Vrbis Magiſtratus*, tamquam ſi Senatus habendus ſit, ſimul omnes, & ordine conueniunt. Et vtrique non ſine *Muneribus*, de quibus infrà ſuo loco.

V.

V. Ad eumdem *Solemnem Cultum* pertinet, quòd S. HVBERTI CLAVES, de quibus antè dictum, vndique, etiam è remotiſſimis locis petuntur, & in magno pretio habentur, etiam à maximis Principibus. Certè proximo menſe Nouembri huius anni 1620. *Sereniſſimus Archidux Carolus*, FERDINANDI *Cæſaris* germanus Frater, eiuſmodi *Clauem* à R. Abbate Andaïnenſi peti curauit, cum aliquot Icunculis, & Cornibus. Quâ de re mecum egit Illuſtris, & Generoſus D. *Petrus Erneſtus Baro à Crichingen*, Colonienſis, & Argentinenſis Canonicus. Ego, ſcriptis ad eumdem R. Abbatem litteris, tam iuſtum poſtulatum pientiſſimi Principis propoſui, & quod petebatur, impetraui. Porro de *Clauium* iſtarum admirandâ vi, ſuprà egi, vbi de *Miraculis*.

Omittere hoc loco non debeo teſtimonium D. *Iacobi Pontiani*, in Andaïno Sacellani: qui in ijs, quæ de Archiepiſcopatu Treuirenſi, annotauit, hæc etiam habet: *De Imaginibus, aut ſtatuis, longum foret, ſermonem texere; cum ad teſtificationem pij cultus, Sanctique* HVBERTI *honorem, vix vlla notabilis Eccleſia (imò vix vlla capella) in toto prædicti Archiepiſcopatus diſtrictu, reperiatur, quæ non habeat vel Altare in honorem Sancti præfati, erectum: vel aliquam Imaginem, Sanctum in habitu Pontificali, repræſentantem: vel ſaltem admirabilis Conuerſionis hiſtoriam in aliquo pariete depictam. Inſuper, & ante*

te fores Fidelium (licet in multis, bellorum iniuriâ,& vetuſtate, conſumtæ ſint, & ablatæ) reſtant tamen in multis Imagines vetuſtiſſimæ, & præcipuè in Ducatu Luxemburgenſi. Videlicet Kettenhouen, Didenhouen, VVeiller zum Thurn, Recking, Bettemburg, Schiſling, Adich, Kail, Mondrich, Belles, Saſſem, Hondling, Keurich, Michevveiller, &c.

Eiuſdem Sancti HVBERTI *Feſtum* diem idem ſcribit, paſſim ijſdem, alijſque locis celebrem eſſe; non tam Eccleſiæ præcepto, quàm ſpontaneâ pietate. Illud tamen adiungit, Præter *piam conſuetudinem*, quibuſdam *Feſtum* eſſe ex *voto parentum*: alijs ab *accepto infortunio*, aut *gratiâ*; non modò, quæ homines ipſos attingat, ſed & eorum pecora, reſque alias.

CAPVT VI.

SODALITATES.

DVPLICI notione SODALITATES hoc loco conſiderare licet. Vel enim *Sodalitas* dicatur multitudo quantumuis magna aliquorum hominum, qui ſe B. HVBERTI cultui, peculiari quâdam ratione addixerint. Sic olim Hungaria vniuerſa D. Virginis Mariæ *Sodalitas* fuiſſe videtur, cum eius tutelæ ſe

ſe commiſſet, & venerationi totam mancipaſſet: quo tempore S. Stephanus eius Gentis primus Rex Chriſtianus, nobilem Baſilicam Virginis Matris honori dicauerat in regia Vrbe Albanenſi, vt apud Surium legere licet in vitâ Sancti illius Regis, & S. Gerardi Epiſcopi. Certè ex eo tempore, tota Hungaria DEI Matris Familia, ſiue Sodalitas vocitari cœpit. Eiuſmodi & S. HVBERTI Sodalitates dici poſſunt, qui, tamquam in eius Clientelam iurati, totis aliquot pagis, & oppidis ſe effundunt, & ad eius limina, ſtatis temporibus peregrinantur: de quibus capite 4. dictum à nobis eſt.

Sed preſſius S. HVBERTI *Sodalitas* intelligitur pauciorum hominum conuentus: qui certis legibus deuincti, in album referuntur: idque authoritate legitimâ Magiſtratus Eccleſiaſtici; qui & Caput, ſiue Præſidem Sodalibus præficit, aut ijs poteſtatem facit, ſibimet præficiendi. His talibus conceduntur non rarò Indulgentiæ peccatorum à ſupremâ Apoſtolicâ Sede. Notiſſimæ ſunt tales Sodalitates in B. Mariæ Virginis honorem erectæ totâ Europâ, & extra eam in vtrâque Indiâ. Atque hâc poſteriore notione de *Sodalitatibus* S. HVBERTI hocce capite agimus. Scimus quidem eas eſſe complures: ſed fatali (ſi dicere licet) neglectu quorumdam factum eſt, vt de paucis ſanè certi aliquid afferre nobis liceat.

Cæte-

Cæterum quicquid illud eſt, bonâ fide proponam. Erunt fortaſſe, quos, penuriâ meâ, in tantis opibus, visâ, libido capiet mittendi, quibus hiſtoria plenior fiat. quod voueo, & rogo.

I. Principem omnium meritò cenſeo *Sodalitatem Hubertinam*, quæ eſt in ANDAINO: ſicut Annunciatæ Virginis primariam fatemur eſſe Romæ.

II. Altera eſt FVRÆ prope Bruxellas. Hanc à Pontifice Maximo Paulo V. dato diplomate, inuenio laudatam, & Indulgentijs liberaliter cumulatam. Ait, Sodalitatem eſſe deuotam, & piam: & Sodales vtriuſque ſexus multa opera patrare à virtute, & caritate profecta.

III. In pago MIERTENNE antiquitus *Sodalitas fuit* S. HVBERTI, cui nomen dederat magnus numerus, virorum, mulierumque. Solebant inde *Sodales Andaïnum* mittere dimidium eorum omnium, quæ eidem *Sodalitati*, pietatis causâ, pendebantur. Sed, cum bellis latè graſſantibus, eadem *Sodalitas* ad nihilum fere recidiſſet: ſupplicarunt nuper Andaïnenſi Præſuli, Miertennenſis Parochus, & Magiſtratus, eam ſibi vt bonâ ipſius pace, & approbatione, inſtaurare liceret.

IIII. COLONIÆ Agrippinæ S. HVBERTI *Sodalitatem* olim fuiſſe, conijcere ex eo licet, quòd in *Regiſtro defunctorum Fraternitatis S. Petri in Paſculo*, duodecim recenſentur, qui dicebantur MAGISTRI CAPSÆ S. HVBERTI,

& alij

& alij tres, SOCII *Magiſtri Capſæ.* Item SERVITORES, & FAMVLÆ *in* CVRIA S. HVBERTI. Hoc Regiſtrum ex MS. membranaceo ad me miſit R. P. *Philippus Bebius*, Societ. noſtræ Sacerdos: cui vtendum dederat R.D. *Petrus Speicherus* in Paſculo Paſtor.

V. Denique *Sodalitas* etiam eiuſdem Sancti eſt in Monaſterio S. *Nicolaï de Preys* prope Virdunum. Neque iam plura occurrunt de argumento.

Hoc tamen minimè prætereundum, Cum multæ paſſim ſint S. HVBERTI *Sodalitates*, & cuiuſque generis, ac ſexus hominum: eos tamen, qui Venationi addicti ſunt, ſuo quaſi quodam iure id ſibi ſumere, vt in eius Sodalitate ſint. Vnde vbicumque fere celebrior eſt S. HVBERTI memoria, eam nemo celebriorem reddit, quàm *Venatores.* Nobiles maximè, & Illuſtres homines, vbi ſancti huius Natalis aduenerit, ſe, familias ſuas, ſua denique omnia commouent. Tum maximè hominum clamor, & celeuſma; tum cornuum raucus cantus; tum hinnitus equorum: Canum denique tum maximè auditur latratus, baubatus, vlulatus. Dicas, præſentis Numen, & animata, & inanima omnia perſentiſcere.

Et, ne quis ſeuerior Cato, ſupercilio adducto, ita dictitet, leuicula iſta videri, &, quæ pios Sanctorum Cultores parum deceant; oſtendit ipſe ſanctus Antiſtes non rarò, gratam ſibi eſſe

 illam,

illam, vt ſic dixerim, *Venatoriam* pietatem. In Antiquis certè Miraculis videre licuit, quandoque opimam prædam, ſancti nutu, Venantibus oblatam: quandoque verò fruſtratos, & multatos, qui callidè eum fruſtrari meditabantur. Grauiſſimum autem ſupplicium de Prætore ſumtum, pro ſuo Duce, contra S. Hvbertvm conteſtante, legiſti hâc ſecundâ parte (cap. 3.) in *Atreio*.

Agnouerunt porrò pij Venatores, hanc Sancti Patroni tam piam in ſe, & propenſam voluntatem, & fauorem. Itaque, vt alia taceam, eidem *Annuæ Venationis Primitias, & Decimas cuiuſque generis ferarum, perſoluebant*, vt proximo cap. dicimus.

Antequam Venatores deſero, & Venationes; lubet hoc loco proponere *Problema*, quod minimè videatur extra inſtitutum meum. *Petrus Matthæus* nobilis Hiſtoriographus Gallus, in eâ Hiſtoriâ, quam Gallico ſermone accuratè, & eruditè ſcripſit, refert (lib. 1. Narrat. 5.) Regi Chriſtianiſſimo *Henrico IIII.* venatione animum oblectanti, ſpectrum, ſiue phantaſma obiectum, auditumque, tamquam ſi qui alij, primum procul; tum mox, proximè venarentur. Miſſi, qui inſpicerent, inter denſa arbuſtorum, atrum hominem prægrandem vident, cuius vnica illa vox fuit: *Ecquid me intelligitis?* ac cum voce diſparuit.

Subdit ſcriptor, Paſtores, qui in proximo cum

cum gregibus ſuis verſarentur, ita exiſtimare, ſpiritum eſſe, quem *Magnum Venatorem* vocitent. *At alij*, inquit, *aiunt, eſſe* VENATIONEM S. HVBERTI, *quæ & alijs locis auditur.* Hæc igitur poſtrema verba, quid ſibi volunt? Nam exiſtimare, S. HVBERTVM, tot iam ſecula in cælo beatum, *inebriatum ab vbertate domus* DEI, *& torrente voluptatis potatum*, adhuc oblectari venatu, & ferarum inſectatione; inſigni ſuperſtitione, & errore non careat. Profiteor hîc ingenuè ignorationem meam, & diſcendi causâ, omnibus eruditis Orthodoxis, ac maximè Gallis hominibus, propono, vt dixi, hoc

PROBLEMA:

Quænam hoc loco, & in hâc opinione, intelligenda ſit VENATIO S. HVBERTI?

CAPVT VII.

OBLIGATI, ADDICTI.

NON fuit ſatis pientiſſimis maioribus noſtris, DEVM Opt. Max. eiuſque ſanctos varijs obſequijs, officijſque colere: niſi inſuper ſe, ſuos, ſuaque ijs *obligarent, addicerent*, & velut *in ſeruitutem traderent.* Notum

 eſt,

eſt, quis fuerit *Denarius S Petri*, tum alibi, tum in religioſiſſimo quondam Angliæ Regno: in quo nefanda hæreſis, & illius memoriam, & omnem Religionem, Religíoniſque functiones publicas nuper extinxit. Mitto alia exempla. Duo referam vulgo non omnibus nota: alterum antiquum; recentius alterum, & hodieque vigens. Prius à Viro Nob. *Guilielmo de Rebreuiettes* refertur in Hiſtoriâ S. *Gertrudis*, parte 3. cap. 19. ex quo nobiliſſimum Antiquitatis Monumentum ad verbum deſcribendum iudicaui. Sic ſe habet.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. *Notum ſit tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum. Ego* GISLA, *cum ſecundum mundanæ dignitatis gloriam, liberis orta parentibus in Gandauo, ſatis forem ingenua: in Sanctorum Patrum exhortationibus animaduertens, humilitatem inter cæteras florere virtutes: concupiui animo, in ſanctorum ſeruitio, carne, & ſpiritu humiliari, quorum patrocinio, & interuentu,* DEI *miſericordiam aſſequerer. Hâc ergo præmunitâ intentione, me, cum meâ totâ ſobole, tradidi per liberam manum Beatæ* GERTRVDI IN ANCILLAM, *vt ſuo acceptos nos dignetur famulatu, in remiſſionem peccatorum. Tradidi autem me ſub hâc* LEGE INDISSOLVBILI, *vt tam ipſa, quàm tota progenies mea, & poſteritas, 16. Kal. April. ſingulis annis pro capitali cenſu, ad capitale Virginis Altare, vnum denarium*

narium perſoluamus: pro mortuâ manu tantumdem. Nullum Aduocatum, præter Louanienſem Comitem; nullum Cenſuarium, præter Cuſtodem Altaris habentes: liberi deinceps à caterâ exactione. Et, ne quis præſumeret, hanc legem nobis violare: promulgata eſt ab Eccleſiâ Niuellenſi, ſententia anathematis in eum, vt pereat cum Dathan, & Abiron. Actum eſt autem hoc publicè, anno Incarnati Verbi MXXX. Indictione primâ, Epactâ XVII. Imperante glorioſo Conrado: Præſidente Domino Nokero Leodienſi Præſule: Comite Louaniæ Henrico: Abbatiſſâ Eccleſiæ Alhede. Subſignatis teſtibus.

Alhedis Abbatiſſæ.
Frederici Præpoſiti
Godescalci || Gualteri || Cononis || Iohannis.

Hactenus pietas nobilis fœminæ in D. *Gertrudem*, cum *obligatione* ſui, & ſuorum. Audi iam pietatem, nobilis viri, ſed Gentilis, in D. *Iohannem Baptiſtam.* Deſcribit hiſtoriam memoriâ digniſſimam, Societatis noſtræ Sacerdos P. *Petrus du Iarric*, in nobili illo opere, quod *de rebus Indiæ Orientalis*, Gallico ſermone edidit, lib.6.cap.13.ex quo hîc tibi reddo,ſed in compendium redactam.

In ampliſſimo terrarum tractu, quem *Malabariam* vocant, Regnum eſt *Paru*, & in eo vrbs eodem nomine, ſed cum addito, *Paruum Paru*; in quo Chriſtiani, quos *Sancti Thomæ*

vocant, Templum habent magno Præcurſori Iohanni Baptiſtæ dicatum. In huius Templi aditu ſedebat *Alexius Meneſius* Archiepiſcopus Goanus, rarâ vir ſapientiâ, & ſanctitate; & Officium Diuinum in horas certas diſtributum, perſoluebat. Videt interea hominem neſcio quem, genibus nixum ad Templi fores, magno pietatis ſenſu preces fundentem, quantum quidem è corporis geſtu externo colligere licebat: atque etiam pecuniæ aliquid mittentem in appoſitum ad hoc gazophylacium. Sed neque vnquam ſalutare Crucis ſignum formabat, neque luſtrali ſe aquâ, Chriſtianorum ritu, aſpergebat. Ex quo Antiſtes rectè collegit, Chriſtianum non eſſe, ſed è Nobilibus Ethnicis, quos *Naïres* vocant, qui veſtitu Chriſtianis S. Thomæ ſunt quàm ſimillimi. Hunc Archiepiſcopus oratione abſolutâ, ad ſe vocat: quærit, ſitne Chriſtianus? negat ille. Cur igitur, inquit Alexius, in Chriſtianorum Eccleſiâ, & Orationes fundis, & eleemoſynas largiris? Audi mirum reſponſum. Sum, inquit Gentilis, huius Eccleſiæ mancipium, & eo nomine, quotannis, natali meo, pecuniâ me redimo, vt & alij complures. Admiratus Præſul, Eccleſiæ Curatorem vocat, & ex illo alijſque Chriſtianis diſcit, plurimos eſſe, non modo ex Nobilium, ſed & plebeiorum ordine, qui liberis carentes, ad huius Eccleſiæ limina, non ſine donarijs, accedant, & voto ſe obſtringant, ſi

ſponſi

ſponſi Amico precatore, prole donentur, fore vt ea illius *Eccleſiæ Mancipium* perpetuum cenſeatur: idque eos frequenter obtinere, ac voti reos eſſe. Ex quo fieri, vt memoratæ Eccleſiæ plurima eiuſmodi eſſent *Mancipia*. Porro autem, horum obligationem in eo poſitam eſſe, vt quoties à Chriſtianis vocentur ad operis quippiam in Eccleſiâ præſtandum, gratis omnino id efficere teneantur; idque eos impensè, & nunquam non præſtare. Neque hoc ſolum: verum etiam, quam diu pueritiæ annos non exceſſerint, eorum loco, matres: vbi adoleuerint, ipſoſmet, die ſuo natali, eam Eccleſiam accedere, & aureum *Fanonem* (monetæ genus eſt) offerre, quo Obligationem, quam Captiuitatem, ſiue ſeruitutem vocant, palam profiteantur. Quinetiam tam in eâ re eſſe accuratos, vt, ſi, diei eius, quo nati ſunt anniuerſario, magnis negotijs legitimè impediantur: alium tamen ſuo loco allegent, qui votiuum munus deferat: hoc ſibi certò perſuaſum habentes, ſi huic officio deſint, fore, vt, Diuo Iohanne periurij, & temerati voti pœnas repentente, inopinâ morte meritò multentur. •

Duo hæc tam illuſtria Obligationis exempla, ſi quis iudicabit, eſſe extra meam Hiſtoriam, fateatur tamen idem, non eſſe præter meum inſtitutum: dum per ea oſtendo, D. HVBERTO ſeſe, interpoſitâ Obligatione, addicere, non adeò eſſe mirum, aut peregrinum, quin

idem

idem erga alios Diuos,& ab antiquis,& à recentioribus fuerit piè ſanctèque factitatum.

Aliud omnino illuſtriſſimum, ac planè Regium eſt exemplum, *Votum Ramiri Regis in Hiſpaniâ, eo nomine primi, quo ream fecit Hiſpaniam pendendi modium frumenti quotannis per iugera, B. Iacobi Apoſtoli Templo Compoſtellano.* Quod integrum habes apud *Io. Marianam* noſtrum in eo Tractatu, quem *de Aduentu Iacobi Apoſtoli Maioris, in Hiſpaniam*, ſcripſit. Sed propius iam ad noſtra.

I. OBLIGATIONVM iſtarum *Originem* eamdem fuiſſe exiſtimo, quam ſuprà notaui fuiſſe Peregrinationum; ac proinde antiquiſſimam, & iam inde à temporibus Ludouicij Pij Imp. & Walcandi Leodienſis Epiſcopi, circa annum Chriſti 839. Non inuenio autem antiquiorem illâ, quâ ſe ad *Cruces Bannales* ſtatis temporibus frequentandas, obligarunt, vt eo loco oſtendi. Sit igitur prima, & antiquiſſima *Obligatio* ad SOLEMNES illas PEREGRINATIONES,& PROCESSIONES.

II. Altera, ad MVNERA, iјs ipſis *Crucibus Bannalibus* deferenda. Quænam illa? Accipe ex Catalogo Abbatum, ſimulque nouam illius Obligationis confirmationem, à ſupremâ Eccleſiaſticâ authoritate profectam. *Anno Domini 1133. mortuo Roberto* (Abbate) *ſuccedit in Prælaturam D.Gilbertus. Iſte imitatus prædeceſſorem ſuum, cum videret Eccleſiam à diuerſis moleſtari; impe-*

impetrauit à ſede Apoſtolicâ, confirmationem, & roborationem certorum bonorum, & priuilegiorum ipſius Monaſterij. Anno enim Domini 1139. 15. Kal. Maij, Innocentius II. ſcripſit illi, ſuſcipiens ipſum Monaſterium in tutelam Romanæ Sedis, Priuilegia, & quicquid Monaſtery S. HVBERTI *erat, confirmando.* Et mox: *Item obtinuit confirmari Monaſterio Oblationes Fidelium, quæ vulgo* CRVCES BANNALES *dicuntur, de tribus Decanijs. Primo de Decanià Gradenſi,* OBLATAM CEREI, *ſiue ipſum* OBOLVM LEODIENSIS *monetæ: &* CASEOS *de* TOTO LACTE VACCARVM, OVIVM, CAPRARVM VNIVS DIEI, *de ſingulis domibus Villarum in* BVLLA *inſertarum. Pari modo de Decania Ochanienſi, & Baſtonienſi, illo addito, quod Baſtonij deberent de ſingulis domibus* PANEM VNVM. Ita ibi. Si antè miratus es, *Cruces Bannales* à Cæſare, & Epiſcopo Leodienſi confirmari; non minus mirum iam iudicabis, ab ipsâ Apoſtolicâ etiam ſede, iteratò ratas, firmaſque haberi. Porrò per OBLATAM CEREI intelligo minutum aliquem Cereum, qui, quod offerretur, OBLATA dicebatur. Eius pretium apparet fuiſſe OBOLVM, quod ſatis clarè innuere videntur illa verba addita: *ſiue* IPSVM OBOLVM *Leodien. monetæ.* Quanti autem *Obolus* ille tum fuerit, inquiret alius, cui plus otij, & lubentiæ. Hoc pro certo habeo, non intelligi minutiſſimam, quæ hodie eſt, Leodienſem pecuniam: nam

quis eo pretio *cereum*, quantumuis minutum conficiat? aut quis, cum Sancto ſe ſponte, & tam propensè obligare vellet, tantillum polliceretur?

Iam verò, quòd harum Oblationum Abbas Gilbertus Confirmationem à Romano Pontifice peteret, iuſtâ ratione non carebat. Meminerat videlicet, Theodorico ſancto Abbati, à quo minimè oportebat, negotium ſuper eâ re, exhibitum. Quâ de re Cantatorij Author, circa annum Domini 1080. ita ſcripſit: *Tribus per annum Oblationibus, circa feſtum B. Iohannis Baptiſtæ, Eccleſia B. Petri, &* B. HVBERTI *ſolemniter honoratur: quæ vulgo Cruces Falmerienſes, Palatienſes, & Arduennenſes dicuntur.* Infrà: *Noſtris autem temporibus Godiſcalcus Abbas Haſterienſis Palatienſes Cruces fraudulenter tentauerat imminuere, & Presbyteros villarum muneribus ſeducens, Harneas, Gabelum ----- detrahens noſtra, ſuæ attraxerat Eccleſiæ. Hanc eius præſumtionem compertam Abbas Theodoricus grauiter tulit: & vt inde ſibi reſponderet in Conſilio Presbyterorum, Grades denominato, per Freduardum Decanum, euocauit. Ibi Godiſcalcus, præſente Bodone Archidiacono, Erneibaldo Altaris Aduocato conuictus, indicio, & ſucclamatione totius Concilij, Eccleſiæ* B. HVBERTI, *quòd ſuum erat ab antiquo, recognouit: & aſſurgens Theodorico Abbati iuſtitiæ vadium ei, per manicam tunicæ ſuæ porrexit: pro quo & vades decem librarum exa-*

exactus depoſuit. & ſic deinceps à præſumtione ſuâ ceſſauit.

Vides, adeo *Obligationem* hanc fuiſſe liquidam, vt etiam iure contra auertentes ageretur.

III. Fuit & multorum *Obligatio* ad pecuniarum, aliarumue rerum Pensitationem annvam, & perpetvam. Dabant huius *Obligationis* teſtes *Litteras in Membranâ*, appoſitis de more ſigillis: cuiuſmodi Litteras plures in Andainenſi Monaſterio vidimus.

IIII. Villa eſt in pago *Noulette* prope Heſdinium, quæ Maiorum inſtituto, quotannis Ceræ Libram, ipſo Diui Hvberti feſto die, eius Templo pendere tenetur: quæ duodecim diuiſa cereis, illius diei lumini ſeruiat. Ita ad me R. P. *Theodorus Gerlais* noſter.

V. Vt à *Venatoribus* peculiari ſtudio S. Hvbertvs colitur; ita peculiarem illorum reperio *Obligationem*. Pendebant enim eidem Diuo Venationis Primitias, & decimas: maximè qui erant *illuſtriores*. Repeti iſta poſſunt ex decimoquinto Miraculo Antiquorum. *Erat,* inquit, *ab antiquo, totius Arduennæ Primoribus, ex debito firmatæ conſuetudinis per ſingulas vices annuæ venationis,* Primitias, & Decimas *cuiuſque generis ferarum Beato* Hvberto *perſoluere: eo quòd idem ſanctus, priuſquam, mutato ſeculari habitu, propoſiti ſancti ordinem percepiſſet, huius exercitij fuerit ſtudioſus.*

dioſus. Vnde & de cætero à quibuſdam vicinis Nobilibus idem ſtudium in eius nomine agitur. Annotaui ad illum locum, num. 72. & 73. *Antiquitatem* huius Obligationis, quam *Debitum* vocat: &, quid per *Annuam Venationem* intelligat. Hîc addo, ſtudium huic debito ſatisfaciendi DEO, eiuſque ſancto adeò fuiſſe gratum, vt eius neglectum inopinatâ fruſtratione, & quaſi ſubſannatione puniuerit & illuſorem luſerit.

Hactenus memoratæ Obligationes, *pecunias* fere, & alia *externarum* rerum tangunt. Afferamus iam aliqua, quæ ipſum hominem, eiuſue actiones obſtringant.

VI. Si ea relegas, quæ cap. 3. diximus de *Miraculis*, reperies §. 12. *Nobilem Virum in Cameraceſio, in totam vitam, ſibi, familiæque omni,* SOLEMNE IEIVNIVM *indixiſſe in peruigilio* S. HVBERTI, *quod præſidium cenſebat aduerſus rabidorum canum importunos aſſultus.* Videbis etiam, quam grauiter luerit, qui id pium debitum temerare auſus eſt: &, quod magis mireris, cum non ſe ipſe obligaſſet, ſed alius, cui, non vt mancipium, obſtrictus erat, ſed mercenariam dumtaxat operam dabat.

VII. Maiorem *ſuiipſius Obligationem* ſibi impoſuit *Otgarius* ille clinicus in Miraculo quinto; qui S. HVBERTI ope ſanus, *Ne videretur ingratus*, ait ſcriptor, *poſtquam circumquaque diſcurrens, Sancti gloriam cum laudibus prædicauit;*

dicauit; reuerſus ad Eccleſiam, eius ſe deinceps OFFERTORIALI SERVITIO MANCIPAVIT. Eam *Mancipationem* intelligo, cuiuſmodi fuit aduerſus S. Iohannem Baptiſtam, illius *Nairis.* de quo huius Capitis initio narrauimus. Niſi quod huius noſtri *Otgarij* etiam maior fuit, qui nuſquam à S. Præſulis Eccleſia videtur receſſiſſe. Conſidera verba, & verum fateberis. Sed quæ reſtant, ſubiungamus.

VIII. Cantatorij Author ita narrat: *Adeladis Comitiſſa Araleonis, fuerat filia nobiliſſimi Ducis Theodorici, ſoror verò Sigifridi, patris Marchiſſæ Beatricis. Huius quidam cubicularius à rabido cane morſus, & infectus, ſolum quod ſupererat ei remedium ſalutis, ad* B. HVBERTI *patrocinium confugit.* Tum, quibuſdam interiectis, adiungit: *Prædictus Cubicularius Adeladis, ex more inciſus, &* SOLVTO CAPITALITIO, SERVVS *ſancti effectus, ad Miſſam matutinalem deductus eſt, communicandus. Capitalitium* vocat pretium, quod in ſingula capita ſoluebatur ab ijs, qui, tanto beneficio accepto, Sancti ſeruituti ſe addicebant. Sed hoc quomodo id temporis haberet, ex *Happart* diſcere licet, qui in *Abbatum Catalogo*, eamdem hanc hiſtoriam cum narraſſet circa annum Chriſti 1080. contigiſſe ſub Abbate Theodorico, ſubijcit de ijs, qui ſacræ Stolæ præſidio à Rabie ſeruabantur: *Efficiebantúr hi* SERVI S. HVBERTI, *ſoluto Capitalitio, quos nos nunc* PEREGRINOS S. HV-

BERTI, *dicimus.* Duo mihi hic videntur annotanda. Alterum, eo tempore, omnes illos *Inciſos*, &,vt ſic dicam, STOLATOS, S. HVBERTI *ſeruos* fuiſſe effectos: neque huius Authoris verba aliter accipi poſſunt. Alterum, hoc, quicquid fuit *Obligationis* (neque ènim hinc apparet, quo ſe vſque illa ſeruitus extenderit) non ex ipsâ rei naturâ (vt cum Philoſophis loquar) fuiſſe, ſed voluntate ſuſceptum: quandoquidem hodie, qui idem ſanitatis beneficium conſequuntur, non tamen eamdem *Obligationem* ſubeunt. Imò, præter illa, quæ nouem illis ſolemnibus diebus præſtare tenentur, nulla eis hærere videtur *Obligatio*, excepto, quòd natalem S. HVBERTI diem, quoad vixerint, feriatum habere teneantur; vt in FORMVLA explicamus. Itaque quod Happart hic ait, ſuo tempore, tales vocari *Peregrinos* S. HVBERTI, crediderim aliud nihil ſignificare, quàm quòd *Andaïnum*, ad eius Limina, peregrinati fuerint: non autem quod id iterum præſtare, ac ſæpius, teneantur.

SVPPLEMENTVM iterum huic Capiti eſto Annotatio D. *Iacobi Pontiani*, vbi de Archiepiſcopatu Treuirenſi agit. *Monaſterium Pruvienſe obligatum* ait *ad pendendum annuatim medium maldrum auenæ: Monaſterium Nobilium Virginum Marienthal, annuè aureum: Nobilium item Virginum Cœnobium Lauteren, porci valorem, idque annuè, aut alternis annis, prout glandes*

des creſcunt. Quod idem addit obligationis eſſe *Nobilium Virginum Monaſterio Bardeburg, ſiue Claire-Fontaine.* Denique concludit: *Cætera omnia fere Monaſteria vtriuſque ſexus, prout deuotio ſuggerit, aliquid in prædicti Monaſterij* (S. HVBERTI) *& Hoſpitalis vtilitatem contribuere. Sunt denique plurimæ Communitates, quæ ſe obligarunt ad certam menſuram ſiliginis aut auenæ, vt VVaſſerbillich, Mertert, Herberen,* &c.

CAPVT VIII.

MVNERA SOLEMNIA, PRIMITIÆ, Decimæ, Collectæ.

EORVMDEM odioſam repetitionem (quam Tautologiam Græci vocant) meritò mihi quis hîc obijciat, niſi alia munera afferam, quàm quæ proximo capite ex *Obligatione* noſtro Sancto delata fuiſſe monui. Atque ita faciam. Vt igitur non repetam *Primitias, & Decimas* cuiuſque generis ferarum, quæ annuâ Venatione caperentur: vt ſileam Crucibus Bannalibus oblatos *cereos, obolos, caſeos, panes*: reperio præterea tria Munerum genera, quæ dignum eſt non ſileri.

I. Primum genus eſt eorum, quæ ad Monaſterij

ſterij *Andaïnenſis* (in quo S. HVBERTI Corpus quieſcit) FVNDATIONEM, aut Fundationis incrementum pertinent. Quo in genere princeps fuit WALCANDVS Epiſcopus. Ne *Pipinum* quidem, & *Plectrudem* Principes ei præfero. Nam etſi, vt alibi retuli, *Beregiſo* Viro Sancto locum primi attribuerunt, & bona complura addiderunt; non tamen S. HVBERTI honori id dederunt, qui & adhuc inter viuos agebat, nec Andaïnorum Patronus futurus ſciebatur. De Walcando verò, ita Abbatum Catalogus: WALCANDVS *Filius Aldrici Comitis Bolonienſis ex Britanniæ Ducis filiâ, ex Decano Leodini Collegij*, ANTISTES *factus eſt. Iſte Reuerendiſſimus Antiſtes verus inſtaurator, ſeu potius* FVNDATOR *Monaſterij noſtri Andaïni, cum illa S. Beregiſi Congregatio defeciſſet, & ipſum Monaſterium, tum inediâ, tum negligentiâ incolarum dirutum eſſet; à fundamentis reſtituit, ac ampliauit.* Expreſſius aliquanto iſta Cantatorium. *Quantâ*, inquit, *& quali ſagacitate idem Epiſcopus VValcandus, locum ipſum* (Andaïnum) *ampliare ſtuduerit, quibus poſſeſſionum reditibus, vel ex proprio, fratriſque ſui Eroenholdi patrimonio ---- ſubſidium viuendi tam poſteris, quàm præſentibus, perpetuo habendum procurauit: ſi quis noſſe voluerit, relectis authoritatis eius priuilegijs, pleniter addiſcere poterit. Quæ priuilegia, licet ex magnæ deuotionis affectu condidiſſe videretur; moroſo tamen conſilio, & ſæ-*

pius

pius ventilato aſſenſu Cleri, & Senatus, & quorumcumque Nobilium, & ſapientium Leodien. Eccleſiæ: ſed & conſenſu Metropolitani ſui Colonienſis Hildeboldi Pontificis: authoritate etiam Leonis Rom. Pontificis, & atteſtatione piiſſimi Imperatoris, filij Caroli Magni, ea condidit, & Canonicâ confirmatione roborauit. His verbis ſubiungit author quædam ex ipſis Priuilegijs, vt vocat, ſiue Donationum litteris, verbotenus depromta: quæ ſponte omitto, tum quod mihi videntur præter meum inſtitutum: tum etiam gratiâ breuitatis.

Omitto quoque alios, qui fundatam à *VValcando* S. Hvberti Domum liberaliter deinceps auxerunt, quos vel idem Cantatorium, vel Abbatum Catalogus recenſet. Verbo tamen viſum eſt indicandum, flagrantiſſimum fuiſſe plurium Imperatorum, Regum, Principum erga S. Hvbertvm, aſſiduis in Andaïno miraculis coruſcantem, ſtudium, & munificentiſſimam pietatem; quâ allecti, ſimulque religioſiſſimâ *Andainenſium* Aſcetarum viuendi ratione, plurima *Munera, Priuilegia, Honores,* plenâ, quod aiunt, manu, ijs contulerunt. In his longè eminent *Chriſtianiſſimi Galliarum Reges, Potentiſſimi Belgarum Dynaſtæ, & Reuerendiſſimi, ac Religioſiſſimi Leodienſes Epiſcopi.* Iſti, hodieque (vti ad me ſcribit D. *Nicolaus Fanſonius* Andaïnenſis Abbas) *ampliſſimis fauoribus, immunitatibus, nec non protectionis ſuæ*

præſidÿs, Monaſterium ipſum, poſſeſſiones, Iura, redditus, & vniuerſa ad illud ſpectantia, tam in perſonis, quàm rebus, ſtudiosè proſequuntur, vti ex diuerſis titulis, & documentis, quæ ibi aſſeruantur, liquet. Ac de primo illuſtrium Donorum genere, hæc pauca hoc loco dixiſſe ſufficiat.

II. Secundum genus eſt, eorum *Munerum*, quæ tamquam ANATHEMATA offeruntur, vt ſigna, & monumenta beneficiorum, S. HVBERTI ope, prodigiosè acceptorum; vel alioqui fiduciæ in eumdem Sanctum, & grati animi: quòd qui offerunt, piè credant, & ſe hactenus eius ope ſeruatos, & ſeruandos in poſterum. Paſſim hæc videntur: vt Traiecti in FF. *Auguſtinianorum* Æde, teſte R.P. *Nicolao Crueſen* Priore: *Appenduntur*, inquit, *plurimæ imagines ex cerâ, ferro, ligno, chartâ, &c.* Item ibid. Sunt *ſpontaneæ Oblationes pecuniæ, frumenti, ouorum, aliorum fructuum.*

Vt in *Aurea-Valle.* Nam ingens hominum multitudo, tum ex adiuncto pago; tum ex alijs vicinis, *Vota, & Oblationes ad Altare* S. HVBERTO *cum humilitate deferunt*, dum in eius Feſto Miſſarum ſolemnia celebrantur. Ipſum porro *Aureæ-Vallis* Cœnobium, *pro conſeruatione domus à rabie, ſingulis annis, oblationem aliquam, ad ædes ſacras Beatiſſimi* HVBERTI *mittere ſolet.*

Vt in Monaſterio *Altereio*; vbi nulla dies eſt, quâ, concurrentibus vndique peregrinis, iiſque vt plurimum oppidò nobilibus, non offerantur ad

ad D. Hvberti Aram, *pecuniæ, frumenta, legumina, caſei, pernæ, pulli, lana, cera, aliaue* pro cuiuſque opibus, & pietate. Sed illud ibidem ſingulare. Qui rabiem fugientes, præſidium quærunt, exactis certâ ratione 40. diebus (de quâ in Quæſtionibus diſputo) redeunt ipſi (vel ſuo loco aliquem allegant) feruntque *dependentem ex humero faſciam*, (vulgo, Eſcharpe) *& ſcipionem, ceræque libram, aut eodem pondere cereum*; quæ omnia ad Sancti Altare piè deponunt. Alibi ſimilia licet obſeruare.

Obſeruauit in *Archiepiſcopatu Treuirenſi D. Iacobus Pontiani*, & annotauit in Commentariolo ad me miſſo. Notat primum Monaſteria Ordinis S. Benedicti: nempe *Imperiale S. Maximini, S. Matthiæ, S. Martini, S Mariæ ad Martyres*, in Vrbe, vel ad Vrbem Treuirenſem. Item eiuſdem Ordinis *Mediolacenſe.* Addit Carthuſiam *Rettel* ad Moſellam, vrbi Sirck proximam. Tum Nobilium Arces, vt *Keurich, Sasheim, Sibenborn, Vſelding, Klein-Macheren, Bertringen, Dieſdorff, Luchting*, &c. Porro in toto fere tractu Moſellano, à pago *Vkking*, ſupra Theoniſ-Villam, vſque *Cochemium*, ſcribit idem varia offerri, alia ab alijs. Vt *Vinum, porcos, aut glandium pretium ad porcos ſaginandos; frumenta, ceram, linum, lanam, oues, aut horum pretium.*

III. Tertio loco lubet annotare ea *Dona*, quæ Sancto colendo, eiuſque Eccleſiæ, aut Reliquijs ornandis Splendidiora à Principi-

bus collata ſunt. Cantatorium, vbi de Tranſlatione ſacri Corporis Andaïnum, agit, & *Ludouici Principis* pium ſtudium deſcribit: *Etiam multa Dona contulit Regiâ largitione, quæ licet deperierint, vel temporum vetuſtate, vel vaſtatorum destructione: ex eis tamen quædam adhuc noſtris temporibus ſuperſunt Eccleſiæ. Supereſt optimus ſanctorum Euangeliorum Textus, auro, gemmiſque paratus. Supereſt Pſalterium auro ſcriptum, per denos Pſalmos capitalibus litteris diſtinctum,* &c. Sed idem Author infra memorabile munus eiuſdem Ludouici Principis indicat, CALICEM AVREVM *viginti librarum*: & eiuſdemmet, ac Walcandi Epiſcopi plura *auro texta ornamenta.* Videntur & hodie in Andaïno talia Regum Galliæ, aliorumque Principum præclara munera, quæ DEI Prouidentia, Sanctique HVBERTI patrocinium, in tot periculis hactenus tuetur à *gente non ſanctâ.*

Quàm verò eiuſmodi Munera à Chriſtianâ pietate profecta, DEO pietatis authori grata eſſent, & quàm ea vellet eſſe ſacroſancta, diſce ex hâc nobili hiſtoriæ gemmâ, quæ alicuius ſancti Caluiniſtæ aures mirè demulcebit. Rapuerat impius quiſpiam Caluini Prodronus *Pſalterium auro textum, vel ſcriptum* (verba Cantatorij) *quod Ludouici Imperatoris fuerat proprium, eius imagine in principio inſignitum.* Id Pſalterium Andaïno ſubductum *apud vrbem Tullenſem fuerat venditum, quaſi in exterâ*

Prouin-

Prouinciâ ſecurius ibi celandum. Diuina tamen diſpoſitio reſtituit illud Eccleſiæ ſuæ hoc modo. Mater Domini Papæ Leonis noni, venale illud inueniens, emit, & eidem filio ſuo, tunc Brunoni, vt in eo Pſalmos addiſceret, diſpenſauit. Sed cum in alio quolibet Pſalterio, *& planè legeret, & facile quod diſcebat, redderet: in illo tantum incurrebat tales offenſiones, vt nimio tædio à lectione videretur deficere. Nolebat enim Spiritus S. (cuius electum vas idem puer futurus erat) vt alicuius ſacrilegij contactu, vel ignoranter, contaminaretur. Mirante vero matre, ſic filium in* Pſalterio *aduerſari, audiuit, vulgante famâ, fuiſſe illud Eccleſiæ* B. HVBERTI, *& multiplici anathemate, per diuerſas regiones, publicam eius quæſtionem fieri. Nec diu morata, ad locum properauit, puerumque ſecum deduxit; & abſolutionem huius ſuæ ignorantiæ humiliter poſtulans,* Pſalterium *Eccleſiæ reddidit. Obtulit etiam pro ſatisfactione, librum vnum Sacramentorum.* Hactenus ibi. Contigiſſe oportet hanc Hiſtoriam circa annum Domini 1000. Tum enim puer erat Bruno, qui poſtea anno 1049 LEO nonus Pontifex factus eſt. Rectè autem *Tulli* habitaſſe dicitur: fuit enim *Comes Dagsburgenſis* è nobili Francorum ſanguine, & *Tullenſis Epiſcopus.*

IV. Addamus verbum vnum de COLLECTIS. Sumſi hoc verbum ex S. Paulo, qui (1. Cor. 16. 1.) id exponit illis verbis: *De* COLLE-

CTIS *autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinauj Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite.* Per *vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens* (Græcus Contextus habet, θησαυρίζων) *quod ei bene placuerit.* Deinde mox explicans, quem in vſum iſta reponerentur, ſubdit: *Quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem* Erant igitur eæ *Collectæ*, pecuniæ à ſingulis ſepoſitæ (idque pietatis causâ, bono die, *per vnam Sabbati*, id eſt die Dominico) ſuo tempore pauperibus Chriſtianis diſtribuendæ, ijs, & eâ ratione, quam Apoſtolus iudicaſſet. *Collectæ* autem dicebatur, vel quod ſinguli de ſuo *colligerent*, & cumulo paulatim adderent: vel fortaſſe potius, quòd ea, quæ ſinguli ſepoſuerant, à deſignatis, quando commodum erat, *colligebantur*, vt in pauperes erogarentur. Atque hâc poſteriore ratione hoc loco S. HVBERTI *Collectas* accipio. Videlicet vt ſit pecuniæ, vini, frumenti, fructuum, caſeorum, aliarumue rerum coaceruatio, pio in Sanctum animo facta, ſiue Obligatio acceſſerit, ſiue ſecus: quæ deinde res vel Andaïnum deferantur, vel in pecuniam redactæ, eiuſdem loci domeſticis vſibus cedant. Credibile planè eſt, ſic congregata fuiſſe, quæ *Crucibus Bannalibus* offerebantur, de quibus vide, quæ cap. 7. diximus. Idem conſtat fieri hodie ad Moſellam, & paſſim per Germaniam. Et quidem ad Moſellæ tractum, *Collectæ* cenſeri de-

ri debent pleraque eorum Munerum, quæ ſupra ex Andaïnenſis Sacellani obſeruatione retulimus: quoniam, vt ipſe ait, *ad aduentum Emiſſarij, reſeruantur oblata, ſiue fidelium largitiones, & vota.* id eſt, dum veniat is, quem Andaïnenſis Præſul, cum poteſtate mittit. Id fit in *Paltz: VVaſſerbillich, Riol*, &c.

Hæc ita collecta aſſeruari ſolent apud *Magiſtratus* ad id conſtitutos. de quibus conſequens iam eſt, vt agamus.

CAPVT IX.

MAGISTRATVS.

Igitvr ſtudium illud S. Præſulis noſtri colendi, eò vſque excreuit, vt non ſatis fuerit Chriſti Fidelibus, eum *Peregrinationibus, Sodalitatibus, Muneribus*, alijſque pijs cæremonijs celebrare, & inſuper ad hæc talia ſe vltro *obligare*: ſed hoc etiam præterea addiderint, vt quoſdam eſſe vellent, qui pietatem illam fouerent, ne quâ ratione aliquando refrigeſceret: quin potius eamdem quibuſcumque poſſent modis adaugere conarentur.

Reuerendus admodum, ampliſſimuſque Abbas Atreienſis *Iohannes Laurentius* in Commentario, de quo ſuprà dixi, vbi de *Claui* ſiue

Ferro

Ferro agit, quo Iumenta, pecudeſue inſigniuntur, quas rabida animalia offenderint: *In ſingulis pagis,* inquit, *ſiue paroecijs, cuſtodiendum hoc ferrum traditur ei, quem Prætorem, ſiue* P*rocuratorem* S. HVBERTI *Atreienſis conſtituimus.* Idem de quibuſdam Germaniæ partibus, Lotharingiæ finitimis, in Diœceſi Argentoratenſi, & Baſileenſi, ait, *in ſingulis* itidem *paroecijs* P*rætorem, ſiue* Procuratorem *conſtitutum eſſe, Muneribus recipiendis, & aſſeruandis, quæ à multis offeruntur: ſic, vt omnia diligenter ei repræſentet, quem Abbas mittat, quoties viſum fuerit eſſe oportunum.* Similes paſſim *Prætores* alibi quoque inuenias: quorum hactenus duplex munus animaduertis. Nam & S. HVBERTI *Clauem* ſeruant: & quæ offeruntur, colligunt, conſeruant, mittunt, aut tradunt quibus fas eſt. Sed alia quæ huc ſpectant, colligere licet ex Litteris in membranâ exaratis ante annos plus centum, quas viſum eſt integrè deſcribere, & ſermone ipſo vernaculo, vt eas apud me habeo, vt natiuam emphaſin retineant.

NOVS NICOLAS DE MALAISE, *par la permiſſion de Dieu, humble Abbé, & tout le Conuent du Monaſtere ſainct* HVBERT *en Ardenne, de l'ordre ſainct Benoit, au Dioceſe de Liegè, ſalut.* SCAVOIR *faiſons, à chaſcun, & à tous, que pour la bonne deuotion, que Franchois le Mariſchal, demourant à Grende. Dioceſe dudit Liege, ait, & diſt auoir, au glorieux corps ſainct, Monſieur*

ſieur ſainct HVBERT, *l'auons prins, & receu, luy, ſa femme, enfans, meſmes & tous biens quelconques à eux apartenans, tant beſtes, maiſons, granges, comme aultres biens, en la Confrairie, protection, & garde de Dieu, & dudit glorieux Sainct. Et par ces preſentes certifions, auoir commis, & inſtitué ledit Franchois,* MAIRE *de Mondit Sieur Sainct* HVBERT, *& de nous, comme d'ancienneté auons acouſtumé. Et parmi ce leurs ottroyons, qu'ils puiſſent mettre deuant leurs hoſtels, & domicile, la Repreſentation, & Image du dit benoit ſainct* HVBERT, *& porter le* CORNET, *pour eux iouïr, & vſer de noz priuileges, & franchiſes. Si prions treshumblement à tous Seigneurs, Princes, Ducs, Comtes, Barons, Cheualiers, Eſcuiers, Capitaines, Gens d'Armes, & de traict, & à tous aultres, auquels ces preſentes ſeront monſtreés, qu'il leur plaiſe en l'honeur de Dieu, & en reuerence du glorieux ſainct* HVBERT, *iceluy noſtre* MAIRE *& ſeruiteur, enſemble ſa femme, enfans, meſmes & tous biens quelconques à eux apartenans, auoir & tenir pour eſpeciallement recommandez, & les laiſſer aller, venir, conuerſer, labourer, & ſeiourner en leurs beſoignes, & affaires, ſans eux faire, ou ſouffrir eſtre faict quelque deſtourbier, grief, dommaige, ou empeſchement en corps, nen biens. Mais vous plaiſe, eux preſter ayde, & confort, ſi meſtier eſt. En quoy faiſant, vous ferez bien, & aulmoſne. Si ferons touſiours tant plus tenus, de prier Dieu,*

& ledit benoiſt ſainct HVBERT, *qui vous vueille preſeruer, & garder de la cruelle, & horible maladie de Raige, dont iournelement il eſt requis, & reclamé. En ſigne de verité* NOVS *Abbé, & Conuent deſſusdits auons faict appendre à ces preſentes noz propres ſceaulx. Donné en noſtredit Monaſtere, en l'an 1506. du mois d'Aouſt le 25. iour.*

Iam, quoniam facile eueniet, vt hic liber ab iis videatur, qui iſtam linguam minime intelligant; paucis indicabo, quid hæ litteræ ſibi velint. Nam totas Latinè reddere minime videtur neceſſarium. Abbas igitur Andainus, *Nicolaus de Maleſijs*, & cum eo Monachorum Congregatio, quem Conuentum vocant, *Frãciſcum* quendam *Fabrum* cum vxore ac liberis in Fraternitatem ſuſcipiunt S. HVBERTI: in eiuſdemque Sancti, ac in primis DEI opt. max. protectionem, & ſingularem curam admittunt, non ipſos modò, ſed & eorum pecora, domos, agros. Ipſum verò Franciſcum conſtituunt S. HVBERTI, ſuumque *Prætorem*: atque eâdem operâ permittunt, vt ad domus ſuæ aditum collocet *Imaginem* eiuſdem S. HVBERTI. Atque inſuper, vt Prætori, eiuſque vxori, ac liberis *Cornu* geſtare liceat, ac ſic vti frui priuilegijs omnibus, atque immunitatibus, quæ eâ ratione, iam ex antiquis temporibus, ab Abbate Andainenſi concedi ſolent. Ad extremum, Principes, alioſque rogant, vt

eos

eos tueri eo nomine velint, quemadmodum ipſi a dirâ Rabie optant eſſe immunes. Quod hic de *Cornu* dicitur, de venatorio intellige, ſed minuſculo, quod ſit potius geſtamen & inſigne huius, quam legiſti, admiſſionis, quàm feris citandis, canibus excitandis. Vide, quæ diximus, vbi de Cultu ſolemni. Solent autem, (vt hoc obiter addam) hæc *Cornua*, vt alia pia geſtamina, ſacris benedictionibus luſtrari. Reliqua, quæ in illâ formulâ notatu digna ſunt, tute obſeruabis.

CAPVT X.

S. HVBERTI POSTERITAS.

MIRVM primâ fronte, non immeritò cuipiam videatur, me, vbi de *Propagato* S. HVBERTI *Cultu* ago, de eius *Poſteritate* agere. Ac ſit, qui fortaſſe expectet, vt S. FLORIBERTI, eius filij, aliorumque eius Cognatorum *ſanctitatem* producam, & prædicem; eamque ad noſtri ſancti *Cultum* proficere velim. Sed alia mihi mens eſt. Memorabitur quidem mihi eius Sancta & illuſtris Cognatio alibi in Tabulis: ſed hîc aliâ ratione illius Poſteros conſidero: quæ planè eius *Cultum* illuſtriorem efficit, & pleniorem. Sunt videlicet ho-

die varijs locis, qui ſe S. HVBERTI *ſtirpe*, longâ ſerie propagatos aſſerant, & eo nomine mirabilia efficiant, & quæ omnem naturæ vim longè ſuperent: quæ omnia nemo negauerit, ad ipſius Sancti illuſtrandam ſanctitatem, magnopere pertinere. De his, quæ ritè teſtata cognoui, & publicâ tum famâ, tum fide conſtant, hoc loco referam, nemini, quod ſciam, hactenus ſcripta; eoque ſtudioſo, pioque Lectori meritò futura gratiora. Sed antè quàm aggrediar, obiectio remouenda videtur. Cum è S. HVBERTI vitâ conſtet, ex nobiliſſimâ, atque adeò *Regiâ* ſtirpe progenitum: & ex meis, *tabulis Genealogicis* planum fiet: quomodo hi, quos hoc loco referam, ad eiuſdem Sancti cognationem genus ſuum referunt, quos conſtat, etſi Nobiles, tamen ad Regum, Principumue maieſtatem minimè accedere. Qui ſic quærat, ei nihil commodius, ſolidiúſue reſponderi poſſe video, quam ipſo ſacrorum Euangeliorum contextu conſtare, *Ioſephum*, B. Virginis Maritum, Chriſti Nutricium, tot Reges, ac Principes, rectâ lineâ, Maiores habuiſſe: neque tamen eo minus, opificio manuali Fabrum fuiſſe. Hoc vnum, tam ſolidum, vti dixi, reſponſum, cuiuis, quantumuis contentioſo, modò Chriſtiano, abundè faciet ſatis. Vnum addo, neque mihi aliter conſtare, neque ipſos aliâ ratione probare hanc Cognationem, quàm factis ipſis. Nam vbi totæ familiæ eo ſolum nomi-

nomine admiranda patrant, quòd S. HVBERTVM ſanguine contingant, nefas videtur dubitare, ita ſit, nec ne. Neque enim æterna Veritas tam illuſtria teſtimonia perhiberet Vanitati. Sed iam, quinam tandem ſint hi, ſancti Epiſcopi noſtri *Poſteri*, & quibus Miraculis hanc *Poſteritatem* Orbi Chriſtiano probent, aperiamus.

I. Tribus locis non ita à ſe diſſitis hoc hominum genus reperio: videlicet in vrbe S. PAVLI, ARIÆ (qui vterque locus ſatis notus in Arteſiâ) & in Galliâ Arteſiæ finitimâ, in Arce, cui nomen MORIAVCOVRT. Neque tamen vt locis, ita ſtirpe, hi ſecernuntur. Quippe omnes originem trahunt è nobili familiâ, hodieque notâ, & ſplendidâ, quam vocant DE REGNIER. Referam de his, quæ accepi, & eo, quo accepi, ordine: excepto, quod Cæremonias, vt alibi monui, in Quæſtiones reijciam, cum alijs examinandas.

II. Igitur in S. PAVLI oppido degit annos iam totos quadraginta quinque GVILIELMVS LE COVVREVR, ex familia SS. HVBERTI, & EVRONII. Matris originem refert ad illam, quam dixi familiam de REGNIER, cuius, Matris pater, Dominus erat, de MORIAVCOVRT, ipſius *Guilielmi* auus. De hoc igitur *Guilielmo* (quem coram allocutus ſum, & ex eius ore quædam quæ hîc refero, deſcripſi) hæc bonâ fide teſtati ſunt *Prætor, & Scabini S. Pauli*, con-

fectis ritè litteris, quas Vrbis ſigillo probè munitas aſſeruo. 1. Publicè haberi pro eo, qui è ſtirpe ſit ſanctorum HVBERTI, & *Eurony*. De hoc S. *Euronio* diſputo infra hoc capite. 2. Totos quadragintaquinque annos aſſidue eum præſidio fuiſſe ijs, quos canes, lupi, aliæue beſtiæ rabidæ, morſu, aliouc contactu offendiſſent. 3. Non conſtare, quemquam ex ijs, qui eiuſdem GVILHELMI præcepta ſecuti ſint, rabie præualente deceſſiſſe. 4. Conſtare, eſſe & alios huius propinquos, tam in Arteſiâ, quam alibi, qui eadem poteſtate polleant. 5. Virum eſſe probæ, & honeſtæ vitæ. 6. E Scabinis eius loci vnum eſſe, & id muneris plures annos ſummâ cum integritate geſſiſſe. Iſta Paulinus Magiſtratus. Ipſe verò Guilielmus hæc inſuper mihi referebat. 1. Se rabidos quoque ſanare, dummodo ante vigintiquatuor horas accederent, aut non multo ſecus: non enim referre ſi paulo plus, minuſue, prout rabiei vis maior, minorue. 2. Cognatos alios ſuos, eamdem poteſtatem habere, etiam fœminas; imò, & qui ab his, etſi patres ex aliâ ſtirpe. 3. Si qui iam rabie depoſiti, & deſperati, ſuauiter, & innoxios in horum manibus, aut præſentia, defungi. 4. Si quis iteratò mordeatur, aut lædatur, redeundum. Hactenus quæ Guilielmus le Couureur, de ſe, & alijs: & alij de ipſo.

III. ARIÆ porrò hodieque viuit pia virgo, DEO ſacrata, Religioſa Profeſſa Conuentus

nigra-

nigrarum ſororum tertij Ordinis S. Franciſci. Eius nomen eſt Soror MARIA CHRESSEN. De hâc, alijſque eius propinquis, legitimè teſtata habeo, quæ hîc ponam, Prætoris Arienſis, & Aduocati Fiſcalis manu firmata; die 28. Auguſti, anno 1619. Hæc autem, & quæ mox ſubiungam de Iacobo de la Thure, mecum debebit pius Lector Reuerendo Patri IACOBO MALLEBRANCQ Societ. noſtræ Sacerdoti: de quo id bonâ fide teſtari poſſum, ex ijs, qui in hac opellâ me adiuuerunt, neminem vnum fuiſſe, qui maiorem zelum, diligentiam, alacritatem oſtenderit: vt meritò ſperare poſſit, Bonum DEVM, eiuſque Sanctum, viciſſim, ei auxilio, & præſidio futurum: quod vnum ipſum ſpectaſſe, conſentaneum eſt credere. Ego tamen, vt debeo, meo, & publico nomine ei gratias & ago ſeriò, & ſemper debere cupio. Sed audiamus de Sorore Mariâ.

IV. 1. E ſtirpe deſcendit SS. HVBERTI, & Euronij. Mater eius fuit nobilis Matrona *Iohanna du Croc*: cui vis miraculorum circa rabidos patrandorum, ex maternâ origine adhæſerat: quippe inter cuius progenitores fuerat *Iohanna Regnier*: cuius paterna ſtirps id longo tractu ſolemne habebat. 2. Ab omni hominum memoriâ, quotquot eius familiæ cenſerentur, viri, mulieres, ſenes, iuuenes, interpoſitis nominibus SS. HVBERTI, & *Euronij*, rabiem curarunt, quam rabioſorum canum morſus attuliſſet.

liſſet. 3. In eodem Conuentu, ante annos viginti, amitam habuit hæc ſoror Maria, ſiue materteram, (Gallicè, *vne tante*) ſororem *Iohannam du Croc*, quæ opem tuliſſe dicebatur plus quàm mille hominibus, quos rabidæ animantes malè multauerant. Quinetiam ex ijs fuiſſe, quibus totus à corpore auulſus humerus: alios, quibus ſura, aut etiam vultus. 4. Ad eius matrem, annis ſuperioribus, maximi calamitoſorum eiuſmodi hominum fiebant concurſus, etiam è locis remotiſſimis, quibus integram ſanitatem impertiebatur. 5. Ad *Iohannam de Regnier* adducebatur aliquando vir, quem rabies ad extrema deduxerat, vt nec à multis hominibus coërceri poſſet: ſed incumbente nocte, vrbis portis excluditur. *Iohanna*, cum eum accedere non poſſet, & de more tangere, mœnia conſcendit, & procul conſpicata, ſuâ eum benedictione luſtrat. Mirum dictu, ſubito ſic manſueſcit homo, vt agnellum diceres: ac deinceps plenè valetudini eſt reſtitutus. 6. Huiuſdem propinqua, *Iohanna le Maire* nomine, ſanctè affirmat, ſe pluribus, quàm quadringentis, quinquaginta rabiem depuliſſe. 7. Huius Iohannæ mater *Nicolaa du Croc* mirificam rem narrat, de Principe fœminâ, è Galliâ, oriundâ; cuius nomini conſultò parcitur. Ardebat hæc cupiditate huius Priuilegij, quo S. HVBERTI poſteri, diuinitus fruuntur. Itaque huic ipſi *Nicolaæ* magnam auri vim pollicetur,

cetur, ſi id ab eâ impetret. Videlicet imprudens impium illum Simonem falsâ pietate ducta, æmulabatur. Sed prudens, & pia Nicolaa piè reſpondit, eiuſmodi munus non obtineri pecunijs. Illa nihilominus inconſulto deſiderio flagrans, Andaïnum proficiſcitur, & ſacræ ſtolæ fragmentum fronti inſeri poſtulat,& obtinet. Sed magno ſuo malo. Nam cum in diuerſorio eſſet, repentinus venti impetus feneſtram apetit, ſimulque ſpeculum proximè penſile, cum antè inuerſum eſſet, eius vultui obuertit: in quo ſe illa intuita, repentino, & miſerabili lætho deceſſit. 8. Denique refert eadem Nicolaa, à filiâ ſuâ, in loco, cui nomen *Beaurain*, multis opitulatum, nec illis è plebe. Et, ſi teſtes requiras, affuiſſe omni exceptione maiores, Ducem Niuernenſem, Franciæ, quem vocant, Mareſchallum, & Epiſcopos quatuor. Venio iam ad tertium locum.

V. In Arteſiæ confinibus, arx eſt MORIAVCOVRT, quæ cenſetur primus Baronatus (ſic cum vulgo loquamur) Comitatûs S. Pauli: eademque olim primaria ſedes, & Dynaſtia familiæ de *Regnier*, cuius antè mihi facta mentio eſt. Huius nobilis familiæ caput hodie eſt IACOBVS DE REGNIER, *Dominus de la Thure, Camp de Glaiue*, &c. qui coram quibus legitimum fuit, hæc bonâ fide teſtatus eſt, eaque nos ritè conſignata habemus. 1. In Arce *Moriancourt* ante extrema Galliæ bella, nobile

Sacellum erat, S. HVBERTI nomine conſecratum, & proximè Conclaue, ex quo in ipſum Sacellum inſpectio erat: in quo Conclaui, qui rabie tenebantur, Nouemdiale Sacrum D. HVBERTI honori obibant. Erat ibidem & canalis, ſiue aquæductus, excipiendæ aquæ ex ore, aut vulneribus rabientium, qui diligenter obturari ſolitus: quòd experientia docuiſſet, ſi quis canis, appoſito ore, tantillum elingeret, protinus rabie corripi ſolitum. 2. Ampliſſimis litteris in membranâ exaratis continebatur, hoc ſanandæ rabiei Priuilegium, familiæ de *Regnier*, diuinitus conceſſum, in poſteros à Parentibus propagatum. Eas litteras abſtulit ſuperiorum bellorum iniuria, & ſolemnes inſolentium militum expilationes. Porro, plura, quæ ijſdem in litteris legebantur, Iacobus ſe vel ignorare, vel oblitum ingenuè fatetur, quod tum puer eſſet, cum eas vidit. Quemadmodum nec illud meminit, fueritne illud Diploma à Romano Pontifice, an ab Epiſcopo Terouanenſi. 3. Vnæ ſunt reliquæ litteræ, quibus *Franciſcus de Melun*, Terouanenſis Antiſtes poteſtatem facit in Arce Moriaucourt ſacrificandi: atque rationem rabidos ſanandi approbat, quâ vtebatur Iacobi auus, iam ante annos 120. 4. Nuperrimè, anno 1620. Epiſcopus Bolonienſis eam ſacrificandi facultatem transtulit in Arcem de Thure: quo loco Sacellum extruere Iacobus meditatur, D. HVBERTI

TI nomine conſecrandum.

VI. 5. Plures iam annos certâ experientiâ conſtat, eos, qui rabie agitati, ad hunc Dynaſtam adducuntur; cum primum eius agrum attigerint, ſtatim manſueſcere: fuiſſeque, qui ſic furerent, vt à quatuor viris coërceri non poſſent: & ijdem mox vt ipſum aſpexiſſent, aut intra eius limen pedem poſuiſſent, conquieuerint. 6. Animaduerſum eſt, quoſdam, qui ab alijs S. HVBERTI cognatis curari nequiuerant, aut certè non integrè: ab eodem Iacobo Regnier fuiſſe perſanatos. Quod ille eò fieri cenſet, quod ipſe rectâ lineâ à S. HVBERTO propagatus ſit; reliqui è ramis obliquis deſcenderint. 7. Præter tot alios, tot ſuperioribus annis, dirâ rabie liberatos: anno 1619. menſe Auguſto dumtaxat, tanta fuit confluentium multitudo, vt ægrè numerus iniri poſſet: qui omnes curati ſunt. Iam particularia aliquot exempla attexamus, ſed non, niſi inſigniora. 8. Quo tempore Terouana penultimum obſidebatur, ad MICHAËLAM LA PERSONNE, Iacobi, quem dudum memoro, auiam, quidam eſt adductus incredibiliter ab rabie furens. Matrona, cum, adhibitis, quæ ſolebat, nihil in eo curando proficeret; tum alia quærit, tum etiam, Eſſetne forſitan hæreticus, aut ſalutaris Baptiſmatis expers? Comperit, nihil horum eſſe, ſed Excommunicationis vinculo aſtrictum teneri. Quo à legitimo Eccleſiæ Magiſtratu,

ſoluto, hominem à ſæuo illo malo, nullâ difficultate, itidem abſoluit. Illuſtre omnino hoc exemplum eſt, ex quo diſcamus, non modò animam, ſed quandoque & corpus, Excommunicationis, tamquam ancipitis gladij vim perſentiſcere: DEO Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſcita, etiam miraculis, extra naturæ ordinem, modumque patrandis, palam approbante.

VII. 9. Non ita res ceſſit Deformato cuidam (Reformatos id hominum genus ſe vocitant) qui cum ad ſalutare hoc remedium (ſanctâ videlicet conſcientiâ vetante) accedere tergiuerſaretur, à rabidâ morte, miſerandum in modum miſer abſorptus eſt.

10. Mulier eodem malo vexante, opem experiebatur à matronâ quadam obliquè à D. HVBERTO, non rectâ lineâ, oriundâ: ſed ſic, vt ſextâ quaque hebdomade, in idem incommodum recideret. Suadentibus amicis, contulit ea ſe ad Dynaſtam de Thure: idque magno ſuo bono; quippe integram, ac plenam valetudinem ab eo conſecuta:. Itaque quibus res innotuit, maiorem in hoc, quàm alijs noſtri Sancti Cognatis, vim agnouerunt, & admirabundi palam deprædicarunt.

11. Extremum ſit, quod LVDOVICVS REGNIER, noſtri Iacobi parens, toto populo teſte, in hoc genere patrauit. Puellam ſic rabies occupârat, vt non modò valetudinis ſpes reliqua nulla eſſet; ſed nec iam humanâ vi coërceri

ceri poſſet. Itaque de eâ extinguendâ impia inibantur conſilia. Cum igitur Atrebatum traheretur, DEO ſic ſuauiter dirigente, obuius fit memoratus Ludouicus. Hic puella, neſcio quo inſtinctu occulto acta, tenentium induſtriam eludens, & vires ſuperans, erumpit, & in Ludouici amplexum irruit. Qui manum eius apprehendens, momento domitâ rabie, eam manſueſcit, & paucis diebus, totâ Ciuitate Atrebatenſi ad tam inuſitatum ſpectaculum, ſtupeſcente, perfectæ reſtituit ſanitati.

Hæc ſunt, Chriſtiane Lector, quæ de Diui HVBERTI Poſteris, mira, ipſius ſancti ope patrantibus, cognoſcere potui; quæ ſanè mirum eſt, hactenus in tenebris latuiſſe, illis tantum nota, qui ea vel in ſe experiri, vel proximè videre, audireue potuerunt. Quod ſi quis iam me roget, Quid tandem ſit, quòd nemini alteri id datum ſciamus, vt propter eius Sanctitatem, illius ſtirps, admiranda præſtet: vni HVBERTO id ſit tributum? non habeo quod aptius reſpondeam quàm illud diuinum: *Scitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum.* Pſal. 4. 4. Si hoc ipſum importunus vrgeat, Cur ſic HVBERTVM, & alium neminem? eò remittam? *Quis nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Rom. 11. 34.

VIII. Spectat hoc familiæ Hubertinæ nobibile, & rarum Priuilegium ad DEI Gratias, quas

vocant Theologi *Gratis datas*. Non eſt autem huic ſimile, id quo pollent Galliæ Reges, (de quo in Quæſtionibus aliquid dico) in ſcrofulis ſanandis: cum ſoli Reges, non etiam Regiæ familiæ cæteri illud habeant. Quod idem dicendum de Angliæ Regibus, qui olim Annulos benedixiſſe dicuntur, neruorum contractioni, & ſpaſmo ſalutares. Nam & hoc ſoli Reges præſtabant. Minus etiam ſimilis eſt poteſtas, quâ *Saluatores*, ſiue *Salutatores* Hiſpani donati dicuntur; aut qui ſacroſancto *Paraſceues* die editi. De quibus omnibus vide, ſi lubet, Delrium noſtrum in Diſquiſ. Magic. lib. 1. cap. 3. q. 4. F. G. Aliud notaui, quod aliquanto videtur ſimilius, neque paſſim notum, Deſcribit illud *Renatus Benedictus* in poſteriore Tomo eorum duorum, quibus illuſtrium ſanctorum Vitas Gallico ſermone edidit, in Vitâ S. *Marculphi*, primâ die Maij, in *Additionibus*. Inde hæc accipe à me excerpta, & Latinè reddita.

IX. Eſt in Galliâ *Baro de* AVMONT, *Comes de Chaſteau-Raoul*, qui itidem vt Galliæ Reges, *ſtrumas* abſtergit. Gaudet autem hoc Priuilegio, eo nomine, quod *trium Regum Magorum* corpora apud fontem ſacrum quieuerint, in illius Dynaſtæ prædio, in *libero Comitatu Burgundiæ (en la franche Comté de Bourgogne.)* Dat autem Strumâ laborantibus panem benedictum, eo nomine conſecratum. Eius generis

panem

panem ſemper penes ſe habet, tamquam *Eulogiam*, ſiue Benedictionem, iuxta primorum Chriſtianorum ritum. Porrò hæc poteſtas miracula faciendi, eſt in ſolo Primogenito familiæ de *Aumont*, qui memoratum fontem poſſidet. Is fons aliquando incluſus à quodam eorum Baronum, mox aruit. At vbi primum iterum apertus, ægrotis patuit, piè eò concurrentibus, & ſe lauantibus; viuas denuo aquas dedit: DEO manifeſtè oſtendente, velle, ſua beneficia omnibus patere; non malignè intercipi, & pluribus ſubduci. In eâdem S. *Marculphi* vitâ, ab eodem editâ, ſcriptum reperio, ſeptimum quemuis maſculum filium, ex eodem patre, & matre, nullâ interpoſitâ filiâ, eamdem vim habere ſtrumas ſanandi, in nomine DEI, & S. Marculphi, ſi tres, aut nouem dies ieiunus malum tangat. Delrius loco paulo antè à me allegato, de Saluatoribus loquens, litt. G. *Falluntur*, inquit, *dum putant hanc vim* (tactu ſanandi) *competere ſeptimo cuique filio, ſi maſculinum ordinem, fœmineus partus non interruperit. quod eſt ridiculum.* Non videtur Delrius intellexiſſe id cum circumſtantijs, quas apponit vita S. Marculphi, maximè de inuocatione DEI, & illius Diui. Eſt tamen res mirè mirabilis: nec facile explicatu, quo modo, & cui id primum in mentem venerit. Scriptor illius vitæ rem gratiſſimam lectoribus feciſſet, ſi addidiſſet, id S. Marculphi deprecatione fieri, quòd

ipſe

ipſe talis ſeptimus filius fuerit, vel alicui tali primum conceſſerit: aut denique aliquid, quod tam mirum euentum aliquâ tandem ratione cum S. Marculphi vitâ connecteret. Ego tamen rem, qualiſcumque eſſet, omittere nolui, maximè cum dicat Author, *Toti Galliæ id eſſe notiſſimum.*

X. Non poſſum, quin hoc loco referam, quod narrat *Claudius Deſpretz* I. C. Atrebatenſis in ſuis *Analectis*; in hæc verba:

Anno 1595. inquit, *in Quodlibeticis Quæſtionibus fuit quæſitum, An neceſſe ſit, ortum eſſe de familiâ, aut agnatione* S. HVBERTI *ad ſanandam rabiem? Varijs hinc inde deductis argumentis, coniecturis, opinionibus, authoritatibus, traditionibus, & rationibus; memini, me in oratione, quam ſuper eâ re habui, concluſiſſe, id non eſſe neceſſe. Quod vt apertius intelligatur, notandum eſt, me legiſſe hæc verba in perantiquo manuſcripto libro, qui paſſim, & ſemper vagabatur in Eccleſiâ Fratrum Dominicanorum, Duaci, hoc titulo:* VITÆ Sanctorum Epiſcoporum Confeſſorum: *Anno 719. Sanctus* HVBERTVS *Epiſcopus dicebat verbum* DEI *populo Villæ-Epiſcopi. Et ecce ſubito homo extraneus rabie infectus, ſe ingerit in medium turbæ, quæ cœpit timere, & illico hinc inde fugere, Sanctum deſerens Epiſcopum: qui eâ diuiſione, & fugâ mœſtus, & afflictus, imperioſè iuſſit rabiei abire, & hominem relinquere liberum;*

berum. Cui rabies paruit; & homo redditus ſanus manſuetus vt agnus, reuocauit vnumquemque ex turba, & inuitauit ad peraudiendum verbum DEI *per Epiſcopum. Redierunt itaque, & concione finitâ, ait illis Epiſcopus: Ite in pace, & in ſignum deuotionis, & humilitatis veſtræ, ſcitote vos, & eos, qui ex vobis nati ſunt,* ET NASCENTVR, *hoc habituros particulare, & priuilegio ſingulari, Rabiem pellere, ab eâ liberare, eam ſanare poſthac, & in perpetuum: ſi modo fideliter credatis, credantque* DEO, *& Eccleſiæ Romanæ, cuius Legia filia eſt. Inde ij, natique ex ijs, cœperunt ſanare, & ſoli in hoc priuilegio perſeuerant: quod approbauit ſuo Diplomate Victor Secundus, anno 1055.*

Hactenus verba *Deſpretz*, & illius antiqui Manuſcripti. Noua planè iſta mihi; credo etiam tibi, Lector erudite. De fide referentis nefas planè cenſeo dubitare. Porrò Manuſcriptum probæ item fidei fuiſſe, vt ſimiliter credam, facit eiuſdem Eruditiſſimi Deſpretz tum doctrina ſingularis, tum limatiſſimum iudicium. Tuum tamen iudicium, vt par eſt, Lector, tibi relinquo.

XI. SATISFACIAMVS alteri cuidam curioſæ Quæſtioni, quæ facile ſtudioſo homini in mentem venire poſſit, dum de S. HVBERTI *Poſteris* audit. Nam cum ſic vocari oporteat, qui ex eius filijs nati ſint, aut nepotibus: quis tandem Author ſcriptum reliquit, fuiſſe S HVBERTO liberos, è quibus eius ſtirps deinceps

ſit propagata? De S. *Floriberto* quidem eius filio, qui in Epiſcopatu ei ſucceſſit, nemo id credat, qui cogitet, à tali Patre, ab ipsâ vſque infantiâ, diuinis obſequijs, & *Clericali militia* fuiſſe addictum. Huic Quæſtioni ita reſpondendum eſſe arbitror. Vel S. HVBERTO, præter *Floribertum*, alij fuerunt liberi, è quibus nepotes naſci potuerunt: (hos, quòd de ijs ſcriptores ſileant, in Tabellas referre non potuimus) vel non ſine catachreſi, S. HVBERTI Poſteri dicuntur, qui fratris eius *Eudonis*, aut alterius alicuius conſanguinei, nepotes ſint. Horum reſponſorum alterutrum elige, Lector, vel tute melius aliquid comminiſcere. Nec plura de S. HVBERTI *Cognatis*, eorumque admirandis priuilegijs.

XII. Imo hoc etiam vide, Lector, antequam te dimitto, & hoc caput claudo. S. EVRONIVM in hoc de S. HVBERTI *Cognatis* tractatu, ſæpius legiſti. Ferunt alij fuiſſe noſtri Diui *Fratrem*; alij certè Conſanguineum. Vt facile adduci poſſum, vt vtrumuis credam, ita candidè ſignifico, nuſquam alibi id mihi lectum. Dum tamen ſtudiosè quæro, duos ſanctos reperio, quorum nomen ita affine eſt, vt pro eodem haberi poſſit.

Alter eſt S. *Ebrulphus* Confeſſor, & Abbas, nobili ſtirpe editus in Normandia, qui apud Childebertum Franciæ Regem, eius nominis primum, Magiſter prius fuerat libellorum ſupplicum,

plicum, Orator facundus, & Cauſarum inter aulicos Patronus. Hic obijt circa annum Domini 523. Ætatis ſuæ 87. Floruit igitur ante S. HVBERTI Epiſcopatum annis totis ducentis. Vnde apparet eorum error,& puerilis anachroniſmus, qui hunc, & S. HVBERTVM fratres fuiſſe voluerunt. Cæterum nominis affinitas non ita apparet, dum latinè *Ebrulphum* vocamus. Sed ſciendum à Gallis vocari *Eurou*, ſiue *Euron*, ex quo ſponte ſuâ, Latino fine, fluit Euronius.

Alter eſt S. *Euphronius*, ſiue *Eufronius* Epiſcopus Turonenſis, cuius obitus incidit in annum Chriſti 574. Neque hic eſſe potuit S. HVBERTI *frater*, cum obierit ante S. HVBERTVM annis fere centum ſexaginta. Iam an alteruter S. HVBERTI *Cognatus* fuerit, equidem me latet. Si coniecturis agendum eſt, parum id videatur probabile, conſideranti illorum, & S. HVBERTI diuerſam fortunam, & ſtirpem, quam procliue eſt ex eorum vitâ colligere. De priore vide Surij vitas, 29. Decemb. & Baronij Annal. anno 559. De poſteriore Gregorium Turonen. lib. 4. cap. 15. & Martyrol. 4. Auguſti. Hæ duxi non omittenda, ne vulgaris error hiſtoriæ veritati officeret: &, vt eruditi Lectoris acuerem induſtriam in alio quærendo, dum videt, nullum adhuc inuentum, in quo ſolidè acquieſcere poſſit.

XIII. HACTENVS de PROPAGATO S. HV-

BERTI CVLTV iſta dixerimus, eiuſdemque ADMIRANDIS. Non dubitamus, multo eſſe plura, memoriâ, & ſcriptione digniſſima, ſed quæ vel penitus nos lateant; vel non ſatis explorata habeantur. Hæc, quæ certâ fide teſtata conſequi potui, tu, pie Lector, boni conſule: & ſi qua alia noueris, candidus ſuggere, Secundâ Editione, ſi bonus DEVS eam aliquando adornari conceſſerit, cum gratâ tui memoriâ, huic Hiſtoriæ inſerenda. Monet iam res, & tempus, vt *Tertiam Partem*, id eſt *Quæſtiones Hubertinas* aggrediamur.

FINIS SECVNDÆ PARTIS *Hiſtoriæ* S. HVBERTI, *de Propagato eius Cultu.*

HISTO-

HISTORIÆ

S. HVBERTI

Pars Tertia,

in quâ

QVÆSTIONES

HVBERTINÆ,

conſcriptæ à

P. IOHANNE ROBERTI

Societ. IESV *Sacerdote, S. Theol. Doct.*

IN HAS *Quæſtiones* ea conieci, Lector, non modò quæ *dubia* quoquo modo eſſent, ſiue reapſe, ſiue hominum aliquorum opinione: verum etiam, quæ ampliora, quàm vt breuibus *Notis* contineri poſſent. Id tute obſeruare facile poteras: lubuit tamen verbo monere. Neque tamen viſum eſt, omnia, quæ de hoc genere eſſent, huc congerere. Quin potius pauca, & ex pluribus inſigniora ſelegi, & quæ ſuſceptum opus, & Inſtitutum non patiebatur omitti. Vno verbo,hoc volui: neque hæc talia planè omittere; quod negligentiæ tribuendum videbam: neque omnia temere congerere; quod affectatæ, & odioſæ prolixitati deputaretur. Hæc, cuiuſmodicumque ſunt, lubens lege. Si quid omiſſum iudicabis,erit,cum integrum erit,addere. Vale.

QVÆSTIO I.

DE ANNO, QVO NATVS S. HVBERTVS,

QVOD te non latet, Lector bone, Chronologicæ diſputationes vt plurimum ma-

magnis difficultatibus intricantur: vel quòd maiores noſtri accuratam illam Temporum rationem non ita attendebant: vel quòd, tum in ſingulis litterulis, & apicibus; facilè tum longè facillimè in Numerorum notulis errores contingunt. Ita tamen eſt hoc noſtrum ſeculum, vt Tempora quoque à Scriptoribus requirat, eaque quam accuratè indicata. Cogor itaque hánc diſquiſitionem inire, è quâ ægrè, ſcio, me expediam. Sed, cum quod vero ſit ſimile tantum pollicear, non, quod vſquequaque certum; facilis apud candidos iudices, lapſibus venia erit: eò magis, quod & doceri ſum paratus, & errata emendare. quin & gratias agere beneuolè monenti. Sed ad rem.

QVÆRO, Quo potiſſimum Chriſti Domini anno Diuus noſter HVBERTVS in hanc vitam editus fuiſſe videatur? Cenſeam ego, quod Hiſtoriæ initio, & in Tabulis poſui, anno quinquageſimo ſexto poſt ſexcenteſimum. Quo anno eius Magiſter Lambertus Tungrenſem Eccleſiam Epiſcopus ſibi deſpondit. Argumenta, quibus iſtam mihi ſententiam perſuaſi, hæc ſunt potiſſimum:

SENEM ex hâc calamitosâ vitâ, ad beatiorem illam migraſſe HVBERTVM, diſcipulus eius in vitâ ſignificat. Id Senium ſeptuaginta annis diffinio: quorum initium oportunè, memorato illo Chriſti anno ſumas.

NAM

Nam cvm totos triginta annos Epiſcopatum tenuerit: neque vlla ratio permittat, vt Epiſcopum factum credamus ante annum ætatis trigeſimum; tenemus iam annos ſexaginta. Sed ego nec ante quadrageſimum iniјſſe arbitror: ideoque ſolidum etiam decennium addo. Sed diſtinctius rem explicemus.

Scribit Anonymus, Vitæ initio, Hvbertvm, *eo tempore, quo Ebroini crudelitas Regnum Francorum grauiter opprimebat, Adoleſcentem fuiſſe litterum ſtudijs eruditum, & armorum exercitatione ſtrenuum.* Interfectus eſt Ebroinus tyrannus anno Chriſti ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quinto. quo anno Hvbertvs annum decimum nonum; vel, illo expleto, vigeſimum agebat. Nimis præceps ſit, qui hîc occlamet, minorem illam eſſe ætatem, quàm vt armorum magna exercitatio, haberi potuerit. Nam, vt ſileam, Romanos, tum maximè, cum Armis magnam Orbis terræ partem tenerent, adoleſcentulos annorum ſedecim vulgo ſcripſiſſe: vt non dicam, Diuum Martinum anno ætatis decimo quinto militiæ nomen dediſſe: obſeruatum eſt, in amplâ, & ſplendidâ fortunâ (cuiuſmodi Hvberto noſtro obtigerat) Iuuenum animos maturius extolli, & ad belli maximè decora, velut dato interius ſigno, prouocari. Sic igitur Hvbertvm Vigeſimo fere vitæ anno, in Auſtraſiam, ad Pipinum migraſſe, probabili ratione ductus, affirmo.

IAM alios viginti annos aduſque eiuſdem Epiſcopatum fluxiſſe, mihi inde perſuadeo, quòd Pipinus adoleſcentem ſibi gratum, & cognatum videatur amicitiæ, & beneficentiæ vinculis magis, ac magis alligaſſe (& ſunt, qui ſcribant, Aulæ ab ipſo præpoſitum) quòd HVBERTVS ipſe alio ſe vinculo nuptiarum cum Floribanâ, alligârit: quòd poſt prodigioſum Cerui occurſum, multus cum S. Lamberto fuerit: quòd pœnas, vel ab hoc Præſule impoſitas, vel ſponte ſuſceptas, aliquot annos à ſeipſo ſeuerè exegerit: quòd Bertrando parente humanis rebus exemto, res Aquitanicas, vt quædam veteres Membranæ tradunt, compoſuerit: quòd vxori ſuperſtes, eam ſepelierit. Denique, quod DEI nutu, non antè Romam, & Principum Apoſtolorum limina petierit, quàm imminenti iam in meliorem vitam Lamberto, ipſe à Sergio Pontifice diuinitus admonito ſuffici poſſet.

VIDEO, his ipſis poſitis & conceſſis, non ideò eſſe conſequens, vt HVBERTVS illo præciſè anno natus ſit, quem conſtitui. Sed, cum aliquid ſtatuendum eſſet, ijs, quas dixi rationibus ductus, poſui, quod ad veritatem proximè accedere iudicabam.

NEC me latet, eſſe, qui velint natum anno ſalutis ſexcenteſimo quadrageſimo quinto: ſed ſic maior quinquagenario fuerit, cum Romam peteret; quod non facile mihi perſuadeam.

Minus etiam credibile eſt, quod alij totos decem illi annos addunt, & editum ſcribunt anno ſexcenteſimo, quinto & triceſimo. Sed hâc in re, cuique per me licet, opinioni indulgere.

QVÆSTIO II.

DE NOMINE, HVBERTVS, Atque eâdem operâ, de tot alijs, quæ ſimili fine cadunt.

VT VIDES ipſe, Lector erudite, monet res ipſa, vt conſtituto ſancti Principis noſtri Natali; de eius nomine agamus, quod natis infantibus mox imponi mos eſt. Itaque ſuo iure hæc ſibi Quæſtio hunc locum poſtulat. Sed cum conſidero, neque intelligi, ac neque ſatis quidem rectè legi poſſe, niſi ab eo, qui linguæ Flandricæ, aut Germanicæ peritus ſit: ne tot earum imperitos, etſi cætera eruditiſſimos, parum comiter, in hoc Quæſtionum Hubertinarum tamquã veſtibulo, excipere videar; dũ eos cogo, pagellas aliquot, non ſine aliquâ nauſeâ, tranſilire: poſito hîc ſolo lemmate, viſum eſt Quæſtionem ipſam, & Diſputationem in huius tertiæ partis finem reijcere: vbi eam & peritus facilè reperiat; & imperitus negligat. Accedit, quòd, cum non ſit meus, ſed

ſed alienus partus (etſi amicorum opera, noſtra cenſeri debet) rectius fortaſſis extra ordinem locabitur.

QVÆSTIO III.

DE PRODIGIOSO CERVI OCcurſu, qui venanti S. HVBERTO *viſus.*

SATIS videbatur, hoc in Hiſtoriâ Vitæ legiſſe, adeò vt nec in Notis tangendum videretur, nedum Quæſtio de eo inſtituenda. Sed quia eâ ætate viuimus, quâ plerique pro arbitrio credunt, quod ſibi credibile videatur: cætera vel reijciunt, vel eleuant: eiuſmodi etiam ingenijs, ſi ſperari poteſt, conemur facere ſatis. Non veniſſet mihi in mentem, de re tam teſtatâ diſceptare, niſi vir quidam Clariſſimus, & Eruditiſſimus, ad Allegoriam meram detorquere conatus fuiſſet. Nam, cum *Diſquiſitionem Hiſtoricam* de rebus S. HVBERTI conſcripſiſſem, & aliquot linguis cuſam, quaquauerſum ſpargi curaſſem, vt ſubſidia ad vitæ ſcriptionem, colligerem: eâ Diſquiſitione viſâ, memoratus ille Vir, vt eſt S. HVBERTI cultui ſingulariter addictus, quædam conſcripſit, ſanè bona, &, quibus, ſuis locis, cum gratiâ vtar.

Sed de Ceruo, hæc verba habet: *Vt erant Principis* (HVBERTI) *fluxæ voluntates, nec omnino firmæ, & ſtabiles, ita factum eſt, & ſcriptum, vt piè dicatur, Eidem Dominus IESVS Crucifixus, apparuiſſe inter cornua Cerui currentis à facie venatoris.* Ita vir doctiſſimus, & Societati noſtræ amiciſſimus. Et quidem, niſi de Hiſtoriæ authoritate conſtaret, doctè admodum & aptè. Nullum enim aptius Hieroglyphicum vagæ Iuuentutis, quam ea fera, dum æſtuans, inſequentes fugit venatores. Et vt illa ætas leuitate animi ſemel capta, ipſam quoque Pietatem, leuiter, &, vt ſic dixerim, curſim circumfert; ſatis aptè dicatur *Crucifixum inter Cerui cornua* geſtitare. Et ſane per me licet, vt ad alios per eruditam Allegoriam accommodetur, quod in HVBERTO reapſe contigiſſe conſtat. Conſtat, inquam, Et hoc ita conſtare oſtendam; vt nihil ſit, quod eius veritatem vllo modo labefactare poſſit.

Ac principio, etſi id ſtupendum fuit miraculum; tamen in eo genere fuit neque primũ, neque ſolum. Duo ſunt quæ non ita facile apud quoſdam, fidem reperiant: alterum *Cerui obſequium*; alterum, *Sermo Crucifixi.* At neutrum incredibile eſſe, ex ijs apparebit, quæ iam ſubiungo.

Nam cur magis paradoxum ſit, Ceruum, DEO inſtigante, homini non ſolitam dare operam, quam *Coruos Eliæ Prophetæ deferre panem*

nem & carnes manè; ſimiliter panem, & carnes veſperè? (lib.3.Reg.17.v.6.) Et, ne hi ſoli tam dociles cenſerentur Corui, imitatus ille eſt, qui tanto poſt tempore, *Paulo Eremitæ*, dimidium quotidie panem afferebat: & cum hoſpes ad eum acceſſiſſet Antonius, *duplicauit annonam*, vt in hiſtoriâ loquitur grauiſſimus Author Hieronymus. Nec ſilendus ille magno *Benedicto* famulatus Coruus, cum veneno grauidum panem, Florentij Sacrilegi Presbyteri parricidale munus, miſericordior beſtia longè proiecit. (Gregor. lib.2. Dialog, cap. 8.) Quid, quod Aquilæ, carniuorum genus, Martyris *Stanislai* fruſtillatim diſſectum, & diſiectum corpus, non modo non glutiuerunt: ſed, ne ab alijs feris deuoraretur, vt diuinitus miſſi ſtipatorés, valenter tutatæ ſunt? Sed ne videamur, ſolas Aues, earumque miniſteria memorare, ſolæ Vitæ Patrum ab Heriberto Roſweydo noſtro nuper correctæ, & elegenter editæ exhibent *Onagros* operam dantes magno Antonio; *Serpentes* Hilarioni; *Crocodilum* Pachomio; *Columbam* Theophilo; *Hippopotamum* Beno; *Dracones* Ammoni; *Hyænam* Macario; *Leones* denique Macario, Iohanni, Simeoni, Geraſimo, Sergio, Paulo Helladico, & alijs.

Cui lubet, licebit etiam conſulere Marcum Marulum, lib. 4. cap. 5. Et, ne *Ceruorum* alia exempla requiramus, eſt alius S. HVBERTVS (Molanus 25. Martij, *Humbertum* vocat) qui

non modo Vrſo, tamquam iumento ſarcinario vſus eſt, ſed & *Ceruum* pallio ſuo texit, venatoribus inſectantibus, ad ſe fugientem. De S. *Euſtachy* exemplo, huic noſtro, planè gemino, commodius paulò infrà. Iam ad alterum difficultatis caput tranſeo, de voce à Chriſti Crucifixi imagine, editâ.

Hoc, qui incredibile putat, meminerit, etſi ipſe *Ceruus* locutus diceretur; nihilo magis mirum futurum fuiſſe, quam quòd Pſeudoprophetæ *Aſina* locuta eſt (Num. 22. 28.) Meminerit idem, omnium potenti Deo peræquè facile eſſe, cuiuis Imagini ſermonem tribuere, atque cuiuis animanti. Cogitet præterea, ſub eâ imagine credibile eſſe, fuiſſe *Angelum*; vti erat cum *Columnâ nubis*, (Exodi 14. v. 19.) quem voces edere, & homines ad pietatem exhortari, nihil nouum eſt. Meminerit, B. Thomæ Aquinati, cum ad *Crucifixi* imaginem, in oratione effudiſſet animam ſuam, eam celebratiſſimam vocem auditam: *Bene ſcripſiſti de me, Thoma*. Denique ſimillimam hiſtoriam audiat de S. *Euſtachio* Martyre, ex actis ab Surio relatis 2. Nouemb. quæ, tamquam legitima, & optimâ fide conſcripta, laudat Baronius in Martyrolog. 20. Septemb. alijs quoque Authoribus allatis. Igitur cum dixiſſet Metaphraſtes, Ducem *Placidam* (qui poſtea baptizatus, *Euſtachius* dictus eſt) venatione animum laxantem, *Ceruum ingentis magnitudinis* inſequentem,

tem, & à comitibus longius abductum, & totum capiendo Ceruo intentum, *Capitur*, inquit, *ipſe potius à diuinâ, & magnâ ſapientiâ. Nam ſupra caput Cerui, qui apparuit, & ex vtroque eius cornu, ſalutaris Crucis erat ſignata figura, colore admodum ſplendido, & luminoſo: in ipsâ autem, ille, qui carne fuit pro nobis paſſus, tamquam in tabulâ, formatus erat in aëre. Ex illo autem ſpectaculo, vox quædam audiebatur, dicens: Placida, quid me perſequeris? Ego ſum Chriſtus IESVS, qui tuis delectatus virtutibus, non pulcrum eſſe iudicaui, tantas virtutum copias tegi ſub profundis tenebris cultûs ſimulacrorum, & eas perire temere.* Tum, vbi narrauit, ex equo ſtupefactum decidiſſe, & illud Paulinum vſurpaſſe, *Quis es, Domine?* ſubiungit: *Rurſus audit vocem reſonantem à ſacrâ illâ imagine: Ego ſum Chriſtus, &c.* Qui his de S.Euſtachio, fidem adhibet, nec ſimillimis adhibet, de S.HVBERTO; certè fidem is habet arbitrariam, cuius rationem nullam rogatus poſſit reddere, niſi ratio illa eſt,

——— *Sit pro ratione voluntas.*

Quæ hucuſque dixi, non ſunt eiuſmodi, vt probent de *Ceruo*, S.HVBERTO, occurrente, quæ volumus. Sed eiuſmodi certè ſunt, vt probent, fieri potuiſſe, cum in alijs tam multa non minus mira; in quibuſdam etiam, tam ſimilia, & gemina contigerint. Sed oſtendamus præterea, factum eſſe, quod fieri potuiſſe, ſatis

proba-

probauimus. Certè illa de alijs allata, ideo credimus, quia idoneos Authores habemus, qui ſcriptis ſuis ea poſteritati commendarunt. Quid? an nobis Scriptores deſunt, qui de noſtro HVBERTO, ea quæ aſſerimus, planè, & bonâ fide, teſtentur? At ego profiteor, plurima, & optimæ fidei, antiqua MSS. ita, vt in Hiſtoria poſui, eam rem enarrare. Eam narrationem pro verâ venerantur tot Authores; & nouiſſime Nobilis vir *Guilielmus de Rebreuiettes* in aureolo ſuo libello, quem Nobilitatis Typum vocat, Gallico idiomate, conſcripto (cap. 2.) quo etiam eleganti & oportunâ digreſſione excurrit in laudem nobilis exercitij, quod eſt Venatio. Noſter *Happart* ſolito hîc eſt vehementior, etſi ſemper acer pro veritate, & pietate. *Sunt nonnulli*, inquit, *in ſuo ſenſu abundantes, communi Eccleſiæ negantes, quod binis, terniſue teſtibus concederent.* Meritò Eccleſiæ eam mentem eſſe aſſerit: quando, paucis nimis curioſis exceptis, omnes Eccleſiæ filij, certiſſimæ hiſtoriæ libenter aſſentiuntur. Auſim dicere, ſi Authores deeſſent, tali in re ſufficere nobis debere Chriſtianam traditionem, à ſuperioribus tot ſeculis ad nos longo tractu deriuatam. Quam, etiam ſine libris, ſatis probant picturæ, ſculpturæ, aliaſque monumenta, & Regum, ac principum donaria atque anathemata, quæ tum alibi, tum in Andaino maximè Monaſterio, hodieque viſuntur. Maneat igitur,

igitur, verè S. HVBERTO, dum venaturæ operam dat viſum, & auditum Crucifixum. Sed huius Viſionis circumſtantias quaſdam, hoc loco oportunè conſideremus.

MODVM, & Ordinem mihi videtur *Happart* accuratius cæteris tradidiſſe. Ait igitur, Cum paulò ante Paſcha (quo tempore magis decuerat Dominicæ Paſſionis conſideratione animum, quam Venationis tumultuosâ agitatione corpus exercere) HVBERTVS Princeps feras agitaret, prægrandem *Ceruum* inſecutum, nec ab effuſo curſu antè ceſſaſſe, quàm Ceruus ipſe ceſſaret, ac intrepidè, canes nihil veritus, conſiſteret. Stupere ad hæc HVBERTVS, & conſiderare *Ceruum cæteris* (verba Happart) *corpore grandiorem, pilis clariorem* (conſonat, quod MS. Gallicum Huberti le Prouoſt, ait fuiſſe *pilo albo*) *& inter ramoſa cornua Crucifixi ſignaculo ſtupendiorem.* Hic igitur talis Ceruus, *non iam ſimulatam fugam* (iterum Authoris verba) *prædandus petebat, ſed diuino reticulo ipſum Venatorem prædaturus, ſe vltro tali munitus clypeo, ſpectandum præbebat.* Narrat deinde HVBERTI ſtupore attonitam mentem; ac poſtea ſubdit: *Reſumtis viribus, equo deſilit, complodit manus, vtrumque in terram figit genu.* Iterum infra: *Ecce vox facta eſt diuini oraculi:* O HVBERTE, HVBERTE, *quouſque ſylueſtria animantia venaris? an ignoras, te ad hoc natum, vt* DEVM *Creatorem intelligas, ames, poſ-*

ſideas, & eo æternaliter fruaris? quouſque tempus ſalutis tuæ ſine fructu tranſis? Hoc diuino alloquio accepto, cum cordis ſui arcana penetraſſet, illud Apoſtolicum reddidit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Vade Traiectum ad ſeruum meum Lambertum: hic te docebit, quid te oporteat facere. Quibus geſtis, Ceruus, expleto miniſterio, ad eremi interiora ſe recepit. Hactenus Happart ſanè luculenter, & graphicè.

Sed quod ait, *ad Eremi interiora ſe recepiſſe,* quam Eremum eam fuiſſe dicemus? Satis conſtat, non fuiſſe ſiluas Venationi opportuniores, quàm quæ *Arduenna* dicebatur. Celebris omnino eo nomine is ſaltus & hodie eſt, & fuit olim. Venantius Fortunatus (lib. 7. Epigr. 4. de Gogone amico quærens, quid tandem agat? quærit etiam, num Venatu ſe exerceat? nec Ardennæ obliuiſcitur:

Aut æſtiua magis nemorum, ſaltusq́ perérrans,
Cuſpide, rete feras hinc capit, inde necat.
ARDENNA, *an Voſagus, cerui, capreæ ibicis, urſi*
Cæde ſagittifera ſilua fragore tonat?

Verum, cum latiſſimè Silua Arduenna pateret, gratiſſimum mihi foret, ab aliquo traditum fuiſſe, quânam tandem eius Siluæ regione, captandis feris intentus noſter HVBERTVS, ipſe captus ſit. Quod apud neminem reperio. Indulgeamus, tuâ bonâ cum veniâ, bone

ne lector, conjecturæ probabili. In Notis meis reperies, (§.33.) narrante Happart, *non longè à Monaſterio Andaino, veſtigia adhuc apparere diruti Sacelli*, eo loco, vbi S. HVBERTVS pœnas à ſeipſo ſeptennium exegit. Quid ni credam, ad placandum Numen, eum ipſum locum elegiſſe, quo Numinis ipſius primam vocem, & vocationem, adminiſtro Ceruo, audiuerat? Ac ſic prope ipſum Monaſterium felicem illam Venationem inſtitutam fuiſſe credibile mihi ſit, quâ Venator ipſe tanto ſuo bono captus eſt.

Iuuatur hæc conjectura ex eo, quòd & Happart, & Cantatorium diſertè teſtantur, HVBERTVM familiarem, & amicum fuiſſe *Beregiſo*, primo Andaini Archimandritæ. Quibus etiam DEVS hoc beneficij ſuauiter conceſſerit, vt eorum corpora eodem loco, poſt mortem quieſcerent, quo animis & colloquijs ſanctiſſimis, adeò viui adhuc, conjuncti fuerant. Et quanquam duo illi Authores de eo potiſſimum tempore loqui videantur, quo HVBERTVS Epiſcopatus iam habenas moderabatur: nihil tamen obſtat, etiam de eo intelligi, quo, ſeculo adhuc implicitus, Venationes, & id genus oblectamenta ſectabatur.

Monet me hic locus, vt poſtremo etiam de *tempore* loquar, quo in prodigioſum hunc Ceruum HVBERTVS incidit. Significaui in Notis (§.19.) nō videri id accidiſſe, cum in *Fran-*

ciâ Sequanorum adhuc degeret, Ebroini Tyranni iugo obnoxius: ſed potius cum ad Pipinum propinquum ſuum iam profugiſſet in *Auſtraſiam.* Nam, præterquam, quòd MSS. Codices id paſſim tradunt, rectius etiam cum eo cohæret, quòd ad S. Lambertum inſtruendus mittitur: qui vtique apud Auſtraſios agebat, procul à Sequanis.

Deſino iam de hâc Venaturâ, ſi vnum hoc addidero. Dixi, HVBERTVM à DEO fuiſſe captum: ſed & hoc verum eſt, DEVM viciſſim ab ipſo captum fuiſſe. Iuuat audire *Macedonium*, è vetuſtis Patribus vnum, de quo grauis Author Theodoretus Cypri Epiſcopus ita narrat. (cap. 13.) *Ducem militum venationi intentum interrogabat Macedonius, quid in montem veniſſet? Venaturus, inquit. Tum Macedonius: Et ego meum venor* DEVM, *& eum capere cupio, & contemplari deſidero. Nec ab hâc pulcrâ ceſſabo Venatione.* Eadem tibi, & mihi ſit mens, mi Lector.

QVÆSTIO IIII.

VTRVM S. HVBERTVS VSQVE ad Cerui occurſum, Gentilis fuerit: an pridem Chriſtianus?

QVÆSTIONI huic occaſionem præbuerunt ex Authoribus nonnulli. Codex *Gem-*

Gemblacen: In Chriſtum adhuc non credebat. Et mox: *Lambertus eum baptizauit, & inſtruxit in fide Catholicâ. MS* Gallicum, *Incredulum* vocat *& Idololatram.*

———*Sed non ego credulus illis.* Plures, & meliores, nihil tale agnoſcunt. Oſtendamus primùm, mox à ſuo Ortu fuiſſe Baptiſmo, Chriſto renatum, & à pueritia, Chriſtianâ, & Catholicâ fide imbutum: deinde, qui factum ſit, vt in contrariam ſententiam, quidam abirent.

I. Principio igitur, ſatis conſtat, iam inde ab anno Chriſti 496. vel, iuxta alios, 499. non modo Regem *Chlodoueum, S. Remigij* operâ, ad Chriſtianam Religionem conuerſum, & ſacro fonte ablutum; verum etiam, eius exemplo, & ipſius *Remigij* laboribus cultam *vniuerſam Francorum Gentem*, eadem ſacra ſuſcepiſſe. Digna ſunt, quæ hîc deſcribantur *Gregorij Turon.* verba, (*De geſtis Francor.* lib. 2. cap. 31.) quibus, quàm breuiter, tam diſertè, rem iſtam exponit: *Regina* (Clotildis, Chriſtiana mulier, Chlodouei coniunx) *accerſiri clam S. Remigium, Rhemenſis vrbis Epiſcopum, iubet, deprecans, vt Regi verbum ſalutis inſinuaret. Quem Sacerdos accerſitum ſecretius, cœpit inſtigare, vt* DEVM, *verum factorem cæli, & terræ, crederet, Idola negligeret, quæ neque ſibi, neque aliis prodeſſe poſſunt. At ille ait: Libenter te, Sanctiſſime Pater, audiam: ſed reſtat vnum, quòd Populus, qui me ſequitur,*

quitur, non patitur relinquere deos ſuos. Sed vado, & loquor eis iuxta verbum tuum. Conueniens autem cum ſuis, priuſquam ille loqueretur, præcurrente potentiâ DEI, *omnis populus pariter acclamauit: Mortales deos abijcimus, pie Rex: &* DEVM, *quem Remigius prædicat, immortalem, ſequi paratiſſumus.* Nec aliter fecerunt, ac dixerunt. Teſtantur tum alij, tum Pontifex Rom. *Hormiſda*, in Epiſtolâ, quam ad ipſum S. *Remigium* gratulabundus dedit (quam legere licet in eius vitâ apud Sur. 13. Ianuar.) Vicarium illum ſuum, per Francorum Regnum conſtituens; *Quem* (Ludouicum) *cum gente integrâ, conuertiſti, & ſacri dono baptiſmatis conſecraſti, &c. Agathias* nobilis ſcriptor Græcus, non ita multo poſt hanc Conuerſionem ſcribens, hoc breue elogium de Francis reliquit: *Sunt Franci* OMNES CHRISTIANI, *& rectiſſimæ inter cæteros, de* DEO, *opinionis.* Ita ille, lib. 1. Hiſtor. Addamus in eandem ſententiam, *Legis Salicæ* Proloquium, quo ſibi Franci gratulantur, maximè de *rectâ Religione: Gens Francorum inclyta, authore* DEO *condita, fortis in armis, firma pacis fœdere, profunda conſilio, corpore nobilis, & incolumis: candore, & formâ egregia; audax, velox, & aſpera: nuper ad* CATHOLICAM FIDEM *conuerſa*, IMMVNIS AB HÆRESI.

II. NEQVE ſtatim refrixit, ſed magis, magiſque incaluit hic Religionis Catholicæ feruor,

uor, vt apud citatos Authore legere licet, & paſſim apud Baronium. De Childeberto, Chlodouei filio, illud pietatis Chriſtianæ illuſtre teſtimonium eſt, quòd, Edicto propoſito, *Iudæos vetuit Chriſtianis miſceri* à die Iouis ſancto, vſque ad feriam ſecundam poſt Paſcha. Memoriâ & illa digna, quòd bellum contra Arianos Gothos in Hiſpaniâ, mouit; quòd Reliquias Sanctorum, inde aduectas, præ victorijs, & ſpolijs opimis, caras habuit, & honore affecit: quòd plures Eccleſias ædificauit, &c.

Quod ſi propius ad S. HVBERTI noſtri tempora accedendum eſt, anno Chriſti 595. ad *Brunichildem* Francorum Reginam, de ipſo Franciæ Regno, ita ſcribit S. *Gregor. Magnus* Papa, neque vanus, neque adulator teſtis (lib. 4. Epiſt. 5. Ind. 14. *Non immeritò contigit, vt cuncta Gentium Regna præcelleret: quippe earumdem Gentium Creatorem, & purè colit, & veraciter confitetur.* Item Epiſt. 6. *Eſſe Regem, quia ſunt & alÿ, non mirum eſt: ſed eſſe Catholicum, quod alÿ non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor, in tetræ noctis obſcuritate, luminis ſui claritate fulgeſcit; ita fidei veſtræ claritas, inter aliarum Gentium obſcuram perfidiam, rutilat, & coruſcat.* Porrò anno 652. id eſt, quadriennio dumtaxat ante Diui noſtri ortum, *Sigebertus Auſtraſiæ Rex*, plurima bona largitus eſt S. *Remaclo* Epiſcopo, & Abbati, pro Monaſterijs *Stabulaus, & Mal-*

mun-

mundario. Chapeauillus tom. 1. pag. 96. ex *Notgero*, in Vitâ S. Remacli. Denique etſi non omnes Francorum Reges, & Principes, pari ſanctitate floruerunt; de *Hæreticis* tamen hâc tempeſtate nihil, nihil de *Gentilibus* leges. Quis igitur credat, HVBERTVM tot Principum, Regumque ſtirpem, ita neglectum fuiſſe, vt ſupra viginti annos, in *Paganiſmi* ſordibus hæreret?

III. MINVS etiam id credibile videatur conſideranti, Tempora illa, quibus vel natus noſter Sanctus, vel adoleuit, fuiſſe ætatem, vt ſic dixerim, *Sanctorum*: idque potiſſimum in *Francorum Regum* ditionibus, quas eâ tempeſtate, conſtat *Belgium* quoque noſtrum complexas. Conijce obiter oculos in illius tempeſtatis Hiſtorias. Statim leges *Colonienſem Epiſcopum Cunibertum*; *Tungrenſes*, *Ioannem Agnum*, *Amandum*, *Remaclum*, *Theodardum*, *Lambertum*: *Nouiomenſem*, *& Tornacenſem Eligium*: *Teruanenſem Audomarum*. Leges & *Leodegarium*, *Audoënum*, *Philibertum*, *VVandregiſilum*, *Ansbertum*, *Trudonem*, *VVillibrordum*, *Vindicianum*, *Bainum*, *Maurontum*, *Suibertum*, *Vrsmarum*, *& alios*. Et in altero ſexu, *Gertrudem*, *Ittam*, *Rictrudem*, *Aldegundem*, *Aldetrudem*, *VValdetrudem*, *Beggam*, *Odam*, *Madelbertam*, plureſque alias.

IIII. QVID, quòd horum Sanctorum non pauci, & item alij Sancto HVBERTO vel *populares* fuerunt, vel *ſanguine coniuncti*? Certè

Aqui-

Aquitani fuerunt SS. *Amor, Amandus, Remaclus, Hadelinus, Goar, Saluius.* Sanctum autem HVBERTVM *ſanguine contigerunt* tot Sancti, quot difficulter credat, qui non legerit. Abundè id oſtendimus in *Tabulis Genealogicis*, quas, ſi placet, conſule. Sed hoc loco, minimè mihi tacenda S. ODA, quam eorum ſcriptorum nemo tacuit, qui horum temporũ Eccleſiaſticã Hiſtoriam attigerunt. *Nicolaus* Canonic. Leod. in Vitâ S. Lamberti, cap. 13. iſta ſcribit, ſanè luculenter: *Amita eius* (HVBERTI) ODA, *venerabilis matrona, doctrinam S. Pontificis* (Lamberti) *gratanter expetebat, depoſito ſecularis gloriæ ambitu, humiliter ſedens ſecus pedes eius, audiebat aſſiduè ab eo, verba caſtitatis, & ſobrietatis: quæ in corde ſuo, tamquam in bonam terram ſemen, recondens; & in his die ac nocte meditans, retulit in tempore ſuo,* DEO *acceptum ſanctæ viduitatis fructum ſexageſimum.* Addit de eius inſigni munificentiam in pauperes, & DEI ſeruos: quæ etiam leges apud *Molanum*, in Natalibus SS. Belg. die 23. Oct. *Sigebertus* anno 711. ait, *Sanctam* ODAM *ſanctitate claruiſſe in Galliâ, & Eccleſias* DEI, *ſuâ ditaſſe munificentiâ.* De hâc igitur ODA, cum & in S. HVBERTI vitâ (cap. 1.) & paſſim alibi, legamus S. HVBERTO nepoti, *quaſi comitem indiuiduam, adhæſiſſe*: quid dubitemus, eam omni ope, & contentione id egiſſe, vt Regij Iuuenis animum ad omnia Chriſtianæ pietatis

officia, ſedulo, conſtanterque informaret? Nedum, vt in tenebris infidelitatis, eum iacentem, ad id vſque ætatis, negligeret. Imò credibile omnino mihi cogitanti videri ſolet, ideo grauiſſimam Matronam, poſthabitâ ſuâ quiete, Nepotem comitatam, ne in illo ætatis flexu, per aulicas blanditias, & licentiam, longius à virtutis, & ſanctimoniæ tramite abduceretur. Accedit, quòd ex Molano diſcimus, Sanctiſſimę huic Viduæ *Sacellanum* fuiſſe, præcipuâ dilectione carum, & venerabilem, Beatum POMPEIVM *Presbyterum*; vitâ, & moribus probatiſſimum. Neque de talis viri Eruditione dubitandum. Eſt hic ſepultus eodem, quo S. ODA, loco, id eſt *Amaniæ*. Ex quo rectè colligamus, ipſum quoque conſtanter adhæſiſſe, & ODÆ, & HVBERTO, & cum ijs ex Aquitaniâ demigraſſe. Credamuſne igitur, talem virum, Chriſtianam inſtitutionem, paſſum HVBERTO Principi deeſſe? ſtimulante maximè ſanctâ matert erâ. Nefas id quidem ſit. Satis de ODA.

V. BOGGIS verò vterque, alter HVBERTI auus paternus; alter auunculus (vide Notas num. 26.) quomodo cariſſimum Nepotem neglexerint, qui Catholicæ Religionis zelo acti, Heraclio Imperatori, in Perſas mouenti affuerint: atque etiam pro tam piâ causâ, ſanguinem, vitamque fuderint, multis Martyribus, eo nomine, vtique æquandi?

Sed

Sed propius ad ipſum S. HVBERTVM accedamus. Repetamus animo, quæ dixi de eo adhuc adoleſcentulo, in *Propagatione Cultus*, cap. 3. *Patris ſortilegium, à malefico carmine illatum, verbo ſoluiſſe.* Nunquam ſanè dixerimus, id Gentili homini à DEO tributum, quod ne magnis quidem ſanctis ſcimus fuiſſe conceſſum. Porrò, quòd *Ebroinum* fugit, non modo *Chriſtianum* fuiſſe arguit: ſed & pietatis notum iam tum ſectatorem. Nam neque Ebroinus alios inſectabatur: & HVBERTVS, impij illius *actus execratus, Franciam Sequanorum deſeruiſſe* ſcribitur.

At enim, inquis, in portentoſo illo Cerui occurſu, iubetur *Conuerti ad Dominum.* Fateor. Sed quid inde confici vis? Non fuiſſe *Chriſtianum*, inquis. Itane verò? At ego ex eo ipſo loco, multo rectius colligo, *Chriſtianum* fuiſſe. Nam *Conuerti* quidem iubetur, ſed *per ſanctæ vitæ propoſitum*, nullâ *Baptiſmi* facta mentione, qui primo loco nominandus erat, ſi Baptiſmi adhuc expers erat.

Idem clarius etiam euadit, ex eo, quòd à S. Lamberto inſtitutus, dicitur *mutatus, & cæleſtis patriæ deſiderio ſuccenſus, aſcribi voluiſſe diuinis obſequijs*, id eſt, *Clericum profiteri.* An non erat præmittendus *Baptiſmus*? at neque de eo, ac ne de *Catechiſmo* quidem, ibi verbum vllum. Atque ita tenemus, HVBERTVM, non modo non fuiſſe eatenus *Gentilem*: ſed ne-

que *Catechumenum*, id eſt, Religione quidem, & fide Chriſtianâ imbutum, ſed necdum per Baptiſmum, Chriſto renatum. Neque id cum aliquâ probabilitate fingi poteſt, quippe cum eâ tempeſtate moris fuerit, vt etiam Regiæ proles, non ita multo poſt natiuitatem ſalutari illo fonte tingerentur. Teſtis eſt *Sigebertus*, Dagoberti Regis filius, qui viginti annis ante S. HVBERTVM natus, dum, à S *Amando* Tungrenſi Epiſcopo, quadrageſimo ab ortu ſuo, die, baptizatur, circumſtantibus minus attendentibus, clarâ voce reſpondit, *Amen*, vt, præter alios, ſcribit *Harigerus* in Amando, cap. 44.

VI. RESTAT, vt rationem reddam, ob quam nonnulli *Chriſtianum* tam ſero factum velint. Eam, dum ſedulò quæro, vnicam inuenio, eamque oppidò leuem, ex vnâ voculâ natam. Legebant, ſiue audiebant; HVBERTVM ad DEVM CONVERSVM. Id ita acceperunt, ac ſi a Gentiliſmo *Conuerſus* fuiſſet; cum intelligendum eſſet, à laxiore, ac liberiore viuendi ratione, arctiorem, ſanctioremque fuiſſe *Conuerſum*. Tenue ſanè argumentum, & quod nimis quam arctè eius vocis notionem aſtringit. Atqui tantum abeſt, vt hoc ſolum ſit *Conuerti*, vt Diuina Scriptura frequentiſſimè hoc verbi adhibeat, ad id, quod antè factitaris, aut tractaueris; adeo vt æquè ad malum ſit *conuerſio*, atque ad bonum. Vnicum exemplum nunc ponam ex Pſal. 77. v. 41. vbi Propheta

pheta de duricordibus, & ſæpe refractarijs filijs Iſraël: CONVERSI *ſunt*, inquit, *& tentauerunt* DEVM, *& ſanctum Iſraël exacerbauerunt*. Inter Eccleſiaſticos tractatores, vbi de *Monachiſmo* agitur, aut ingreſſu in Religionem, *Conuerti* abſolutè dicitur hoc ipſum, *Ingredi*, inquam, *Monachorum ſtatum*. Apud vnum Cæſarium Heiſtrebacenſem ſæpiſſimè illud occurrit: *Conuerſus eſt quidam in Monaſterio noſtro, &c.* Hoc quoque anguſtum eſt. Medium, & apud Chriſtianos Scriptores, nuſquam non obuium, illud eſt, quod proximè dixi, *A liberiore vitâ ad ſanctiorem tranſire*. Tale eſt illud S. Gregorij (*lib. 24. Moral. cap. 7.*) *In primâ* CONVERSIONIS *vice, grauis mæror eſt, cum ſua vnuſquiſque peccata conſiderans, curarum ſecularium vult compedes rumpere, & viam DEI, per ſpatium ſecuræ conuerſationis ambulare; deſideriorum temporalium graue onus abijcere, & leue iugum Domini, liberâ ſeruitute portare.* Et mox: *Præcedentem triſtitiam ſubſequens lætitia refouet, ita vt* CONVERSI *vniuſcuiuſque animus, eo magis ad votum ſuum perueniendo gaudeat, quo magis ſe pro illo meminit laborando doluiſſe. Fit cordi immenſa lætitia, quia ei, quem deſiderat, iam per ſpem ſecuritatis propinquat.* Hoc ſancto HVBERTO contigit: ſic ille CONVERSVS eſt. Vtinam ego, & tu, Lector, eius deprecatione à bono DEO obtineamus, vt ſerio *faciamus ſimiliter*. Amen.

QVÆSTIO V.

DE STOLA, S. HVBERTO AB *Angelo allatâ.*

SI meminiſti, Lector bone, harum *Quæſtionum* initio te monui, in ijs quædam eſſe, quæ non tam *quærantur*, quam *aſſerantur*: eâ videlicet ratione, quod ampliora viderentur, quàm quæ *Notarum* modulo includi poſſent. Ex eo genere hæc *Quæſtio* eſt; in quâ vt videbis, non tam quærimus, aut diſputamus; quàm, quæ certa, & liquida ſunt, certo, vt decuit, ponimus, & aſſerimus.

I. STOLA, quâ de agimus hoc loco, cuiuſmodi geſtamen ſit, nemo Catholicus ignorat. Nam *vſu Eccleſiaſtico* ſolet hæc vox accipi non non pro *veſte* aliquâ *muliebri*, vt paſſim apud profanos authores: neque pro *talari virili*, vt ſæpe in ſcripturâ Vetere, & nouâ, Chriſto Domino ipſo teſtante, *Scribas voluiſſe ambulare in ſtolis* (Mar. 12. 38.) ſed pro *Faſciâ*, ternos, quaternoſue digitos, vt plurimum, latâ, quæ Sacerdotis collo inijcitur, ſiue dum *Miſſæ* ſacroſancto ſacrificio ſe parat, & ornat; ſiue dum aliud quid *Chriſtianæ Liturgiæ* aggreditur.

II. HIC vſus occaſionem præbuit, Sacræ

STO-

STOLÆ, de quâ hic nobis ſermo, afferendæ. Nam, cum *Sergius* Pontifex, diuino Oraculo admonitus, S. HVBERTVM, Romam, pietatis causâ, profectum, vrgeret, vt *Tungrenſem Epiſcopatum*, S. Lamberti Martyris dignus ſucceſſor, ſuſciperet; & ille prorſus negaret, ſe idoneum, eoque tantum onus declinaret: *Eccè omnibus diuinitus* (verba Vitæ, parte 1. cap. 3.) *Pontificalibus B. Lamberti induitur, quæ ſubitò à loco Martyrij, ab Angelis translata ſunt eî. Cumque iſtis induto, ſola* STOLA *defuiſſet; ſtatim* STOLA *ſerica alba, auroque contexta*, HVBERTO *per Angelum, à B. Virgine Mariâ, Eccleſiæ Tungrenſis patronâ, eſt tranſmiſſa.* Eadem paſſim lego in antiquis membranis. Sed fuſius, quàm ręliqui, Happart eam rem tractauit; qui ſimul indicat, quomodo acciderit, vt, reliquo toto *Pontificali ornatu* prolato, ſola STOLA deeſſet. Eius orationis partem hoc loco aſcribere non grauabor. In quâ ſolers Lector obſeruabit, nullam fieri mentionem, *Pontificalium* S. Lamberti, quæ S. HVBERTO ab Angelis allata fuiſſe, proximè ex Vitæ Scriptore dicebamus. Neque tamen ideo dubiæ fidei res efficitur. Happart non aſſerit, fateor; ſed nec negat. Obſeruare hoc licet in alijs authoribus, cum plures eamdem rem narrant: atque adeò in ipſis ſacris Euangeliſtis. Non omnes omnia dicunt. Sed audiamus Happart: *Antiquus ille humanæ ſalutis inimicus Diabolus.---ſciēs huiuſ-*

huiuſmodi conſecrationem ſibi contrariam; ſuffuratam STOLAM *abdidit. Sic quondam, teſte Gregorio, tintinnabulum, quo Diuus Benedictus ad annonam ciebatur, confregit.———Interea, dum altæ, & aliæ, ſimili diabolicâ verſutiâ ſublatæ, requiruntur; mora interlabitur.* Ita Happart de ſubductâ STOLA. qui idem mox de illâ noſtrâ cæleſti, ſic ſubiungit:

III. QVARE *occaſione acceptâ*, S. HVBERTVS, *cui humilitas corde tenus radicata fuerat, inſufficientiam ſuam ad Epiſcopatus dignitatem prætendebat: Iuſtus enim in principio accuſator eſt ſui; & quia bonarum mentium eſt, noſcere culpam, vbi non eſt. Vnde dum Summus Pontifex, ac ſacer Conuentus penſili animo fluctuarent, & in diuerſa raperentur: Angelus Domini de cælo deſcendit, & radijs fulgoris ſui cuncta colluſtrauit. Videnſque cunctos attonitos, Quorſum, inquit, ô* Præſules, *quorſum animos ſuſpenditis, & in diuerſa rapitur ſententia?* O HVBERTE, *quid cunctaris? quid dubitas?* DEVS, *qui Gedeonem, congreſſum hoſtium verentem, per Angelum ſuum roborauit; qui diſcipulorum ſuorum corda, & ora, afflamine ſpiritus ſui edocuit: qui balbutienti Prophetæ, Aaron Oratorem conſtituit: ille aderit tibi, quia pro neceſſariâ ſcientiâ, eum humiliter implorasti: ipſe dabit os, & ſapientiam, ad regendam plebem tibi ſubditam. Sed vt verbis fidem habeas, ecce Deipara Virgo-Mater Maria mittit tibi hanc* STOLAM, *Angelicis manibus contex-*

contextam, in ſingularem prærogatiuam, vt iſtâ communitus, DEO conſecreris Sacerdos. Ita Happart. Quæ ſubiungit, infrà ſuo loco ponentur.

IIII. QVOD à D. *Virgine Mariâ* ea STOLA mittitur, eò factum inſinuat Vitæ Author, quòd eſſet *Eccleſiæ Tungrenſis Patrona*, cui S. HVBERTVS, Pontifex conſecrabatur: ſed videtur mihi præterea decorum ſeruari in eo, quòd, quæ Virginum manibus fieri conſueta ſunt, rectè à S. Virginum Virgine, pro munere mittuntur. Itaque & alijs Sanctis, *Veſtes* à D. Virgine, donatas, in Sanctorum Hiſtorijs obſeruare licet. Taceo *Habitum* ab eâ D. *Dominico* exhibitum. Illuſtre eſt, quod S. *Illefonſo* Agalienſi primum Abbati, tum deinde Toletano Archiepiſcopo, accidiſſe in eo genere legimus, circa annum Domini 657. cum eſſet HVBERTVS noſter infantulus. Diſertè poſt alios, narrat Ioan. Mariana noſter, Hiſtor. de rebus Hiſpan. lib. 6. cap. 10. ex quo proinde eiuſdem verbis rem accipe. *Horum furorem* (Pelagij, & Helladij, qui perpetuam Matris DEI virginitatem negabant) *ne patientiâ confirmaretur audacia, aut morâ creſceret malum, ſibi Illefonſus impugnandum ſumſit, cominus diſputando, eminus libro vulgato, in quo perpetuæ virginitatis Mariæ, patrocinium ſuſcepit. Eâ diligentiâ erroris ſemina diſſipata, compreſſique nefarij eorum impoſtorum conatus. Operæ nauatæ mer-*

ces, VESTIS *de cælo allata fuit.* CASVLAM vulgo eam Veſtem vocant Eccleſiæ Rituales libri: quâ ſacrificaturus Sacerdos, ſuper candidâ illâ lineâ talari, induitur, quæ in iiſdem Ritualibus, *Alba* dicitur. Sed rei geſtæ ſeriem ex Marianâ porrò audiamus. *Ad nocturnas preces perſoluendas, contendebat menſe Decembri, ipsâ nocte, quæ feſtum Annuntiationis diem, nuper à Patribus inſtitutum, præcedebat: cum Templum maximum viſum eſt maiori fulgore micare, quàm vt oculi mortales ferrent. Tunc cæteris, aliò, atque aliò dilapſis præ terrore, ad aram ipſe progreſſus, ac nixus de more, genibus, preces fundens; in cathedrâ vnde is ad populum concionari erat ſolitus, aſtantem Beatam Virginem, in auguſtiori, quàm pro humano habitu, ſpecie, vidit, his eum verbis compellantem: Cultæ in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate, fideique ardore, coniunctæ, noſtræque virginitatis defenſæ premium erit ex cæleſti theſauro munus allatum. Inter hæc verba,* VESTEM *ſuis manibus capiti inſeruit: Hâc, inquiens, Filij mei, meaq́, quæ toto anno recurrunt, feſta celebrato. --- Cixilla Illefonſi ſucceſſor, hæc omnia memoriâ propagauit, ex ore Vrbani Archiepiſcopi item Toletani, atque Euantij Archidiaconi accepta, quibus per ætatem licuit rei geſtæ miraculo intereſſe. Lapis, vbi B. Virgo veſtigio conſtitit, in ipſo Templi Toletani aditu, monſtratur, clatris ferreis incluſus, rei tantæ monimentum.* Ad eiuſdem Capitis finem, de

de eâdem *Caſulâ*, ſubdit Author: *Veſtis de cælo allata---- Oueti ſeruatur in obſeratâ arcâ, ab oculis ſubducta mortalibus, videndi omnibus facultate ſublatâ, eoque maiori religione culta.* Hactenus de nobili illo D. Virginis munere, nobilis Hiſtoria; quam ideò recitandam iudicaui, vt noſtræ fidem affirmaret, ſi quis ad aſſenſum tardior, in credendo vacillaret.

V. STOLÆ mittendæ, non ea tantum cauſa fuit, quam ex *Happart* attulimus, *vt* HVBERTVS *eâ communitus, DEO conſecraretur Sacerdos*, ſed maius aliquid, & rarius, magiſque, vt ſic dicam, perpetuum, ſecum ferebat myſterium, & beneficium. Verba *Angeli*, eodem loco, apud eumdem *Happart* HVBERTVM porrò alloquentis: DEVS, *qui corda fidelium ſuorum impleuit, & dilectis ſuis virtutem ſuper omnem poteſtatem inimici, contulit; dat tibi hoc ſacro Eulogio* (ſic vocat cæleſtem STOLAM) VIRTVTEM IMPERIOSAM *ſuper dæmoniacos, energumenos, phreneticos, & prorſus omnem poteſtatem inimici: quatenus eodem in omnibus opus tuũ auſpicante, fides Chriſtiana per te vndique multiplicetur. Hæc* STOLA, *quaſi Virga Aaron, inſtrumentum erit virtutum, & operationum, quas DEVS orationibus tuis, in ſalutem populi operabitur. Ex hâc enim ſi quis morſu rabidi animalis infectus, muniatur, prorſus ab omni periculo* RABIEI *tutus erit. Hæc durabit in memoriam tui, & in remedium his, qui patrocinium tuum*

implorabant. Quibus geſtis, attonitis cunctis, Angelus Domini, miram ſui fragrantiam linquens, ſeſe inter cælicos ciues recepit. Similia lego in alijs quoque antiquis MSS. E quibus vetus *Gemblacenſe* addit, Angeli verba etiam hæc fuiſſe: HVBERTE, *Mater Chriſti mittit tibi hanc* STOLAM, *&, ſicut petiſti à Domino, habebis ſcientiam tibi neceſſariam perfectam.* Quin etiam hoc confirmat idem Codex authoritate Orationis, quæ in Liturgiâ recitatur. *Collectam* vulgo dicimus. Sic ait: *Hoc etiam legitur in Collectâ* S.HVBERTI, *Vt quem ſuſceptâ* STOLA, *ſibi cælitus emiſsâ, ſacri officij ſcientiâ credimus illuſtratum, &c.*

VI. LATET quidem, vt in alijs plerisque, DEI conſilium etiam in hoc, cur STOLAM potiſſimum è tot alijs Pontificijs ornamentis, deligere voluerit, per quam, ceu ſignum, aut inſtrumentum, ſiue ſcientiam conferre voluerit ſuo Antiſtiti, ſiue poteſtatem, & vim mirabilia patrandi. Sed tamen non ita vel rarum, vel peregrinum id eſt, vt ſimilia deſint, quibus fides noſtra, ſi debilior eſſet, oportunè firmetur. Apud Molan. in Natalib. SS.Belg. hæc obſeruaui. Die 30. April. Natale eſt S. *Forannani* Epiſcopi, cuius *in Sacrario conſeruatur* STOLA *ſacra penè integra, cum argenteis tintinnabulis, cuius benedictione morſum rabidi canis ſanauit. Quâ etiam multi poſtmodum curati ſunt.* Die 14. Decemb. S. *Folquini*, Epiſcopi Morinorum.

Teſtan-

Teſtantur Bertinenſes in Chronicis, Huius STOLAM *parturientibus ſubuenire. S. Quirinus* (11. Octob.) *cum* STOLA *beati Nicaſij, præmiſſo Crucis ſigno, peſtilentem draconem domuit.* Sed illuſtriſſimum eſt illud, quod tibi ex Tabulâ Chronographicâ noſtri Iacobi Gaultier, breuiter narramus. Immanis Draco Rothomagenſibus, finitimiſque populis infeſtus, & pernicialis, ſui terrorem longè lateque ſparſerat. Viuebat eâ tempeſtate S. Romanus Rothomagenſis Archiepiſcopus, circa annum videlicet 622. Is interpidè, quippe fide, & pietate armatus, beluam aggreſſus, STOLAM in eius collum iniecit, è latibulo eduxit, & in Vrbem protractam, populo concremandam propinauit. Adeò hoc teſtatum fuit, vt aliquot annis pòſt, Dagobertus Rex Rothomagenſibus Archiepiſcopis, eo nomine, conceſſerit poteſtatem, vt quotannis, quo die Chriſti in cælum aſcendentis memoria recolitur, ex ijs, qui eo tempore publicis cuſtodijs detinerentur, quem maximè vellent, liberarent: ijs dumtaxat demtis, qui Maieſtatis crimine tenerentur. Quo priuilegio hodieque, non ſine ſolemni, ſplendidâque cæremoniâ, Antiſtites vtuntur. Redeamus ad S. HVBERTI STOLAM, præ omnibus admirabilem.

VII. ARTIFICES huius Virginalis doni indicauit Happart, dum ait, *Angelicis manibus contextam.* Vbi notabis, propriè TEXENDI voce

 vſum.

vſum. Neque enim ex panno aliquo præciſa eſt,& in eam formam, ſartoris operâ,vt fere fieri aſſolet, redacta: ſed ipſa ſui iuris *textile* eſt: vt teſtari poſſum,qui eam ſæpe & contrectaui, & conſideraui. Deducit me res ipſa ſuauiter,& meus ipſe ſermo,eò,vt STOLÆ huius *materiem*, & *texturæ modum* indicem, reliquaque, quæ Lectorem piè curioſum, cognoſcere optare, conſentaneum eſt.

MATERIES *Byſſus eſt candida,& Aurum.* Ac *Byſſus* quidem,perpetuo ductu, ab extremo, ad extremum pertinet, in longum,latumque tum porrecta, tum intertexta: ſed ſic, vt *Auro* iucundè illuſa, alternis illud ſpatiis, pectinatim inſitum exhibeat. Nam poſt duûm digitorum merum candorem,ſequitur mox,& excipit cādori maritatum fuluum metallum, pari fere longitudine. Eſt præterea eiuſdem auri,vtrimque in longum procurrens linea, proximè oram, quæ altrinſecus STOLAE latitudinem claudit,ipsâ tamen orâ alternis candidâ, aut intertexto aureo filo,renidente.

LATITVDO quanta eſt? Sunt paſſim ſtolæ, quibus modò in Liturgiâ vtimur,quatuor digitorum, aut præterpropter. Longè anguſtior eſt hæc Sancta STOLA,ac vix duos excedens. Sed quò tibi ſatisfiat quàm pleniſſimè, ecce accuratè eius latitudinem ſpectare licet in huius lineolæ longitudine.

LONGITVDINEM fortè malis cognoſcere.

Fruſtra

Fruſtra es. Nam neque cognoſci poteſt, quænam fuerit, cum aliquid ſit demtum: neque æquum eſt, quærere, quæ iam ſit; tum quòd in dies aliquid dematur, ac ſic nihil certi conſtitui poſſit: tum etiam, quòd genuinorum Eccleſiæ filiorum ea eſt modeſtia, vt hæc talia non nimis curioſè ſcrutari ſoleant. Ea modeſtia in hoc quoque noſtro negotio apparet. In volumen STOLA coacta eſt, ſic ſatis magnum, vt eiuſmodi materiæ (tenuis inquam textûs byſſini) facile credas aliquot vlnas inibi ſinuari. Sed explicari non ſolet, multò etiam minus vlna, aut menſuræ quoduis genus applicari. Itaque mitte, ſodes, quæſtionem illam de longitudine.

VIII. AT ENIM, inquis, alia longè mihi *Quæſtio* hîc oritur, ex verbis tuis. Tune dicas, aliquid de STOLA DEMTVM? & *in dies aliquid demi?* At ego audieram, nihil hactenus minui, nihil decreſcere. Hoc fama longè, lateque ſparſit, & eadem hodieque cum magno, & pio plauſu obtinet. Quomodo igitur tibi cum hâc populi Chriſtiani publicâ voce conuenit? Bellè omnino mihi conuenit, ô pie percontator. Neque ego ab hâc pietate abeo. Abſit. Cæterum Quæſtio iſta tua placet, & omnino meum eſt, & ſuſcepti inſtituti, ei facere ſatis. Ac primum omnium, velim eam opinionem remoueas, Idem eſſe, *Rei aliquid demi*, &, *Rem, cui aliquid demitur, minui, decreſcere, minorem fieri, conſumi.*

Equi-

Equidem ſi intra Naturæ terminos maneas, ſi vſum, conſuetudinemque noſtram quotidianã ſpectes, ſi ſenſus conſulas; ego quoque idem eſſe fatebor: at ſi eius vim, potentiamque attendas, *cui ſubeſt, cum voluerit, poſſe*, (Sap.12.18.) longè aliter erit iudicandum. Quod ſi Caluinodidaſcalus quiſpiam, aut alioquin quiuis *Animalis homo*, contra hanc veritatem, vt mulus indomitus, recalcitrabit; dicito illi cum Apoſtolo, *Non percipere* illum *ea, quæ ſunt Spiritûs DEI.* (1.Cor.2.v.14.) Nec mirum. Nam qui ſic à ſenſu Eccleſiæ Catholicæ *ſegregant ſemetipſos*, verè ſunt *animales, Spiritum non habentes*, (Iud. v.19.) & eorum *ſapientia, non deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica.* (Iac.3.v.15.) Conſulamus nos potius *Sapientiam, quæ deſurſum eſt*; nam ea *pacifica eſt, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, non iudicans.* (Ibid.v.17.) Hæc Sapientia multifariam nos docet, fieri poſſe, atque adeò ſæpe factum eſſe, vt de re quapiam aliquid dematur, quæ tamen ſuæ magnitudinis, aut molis detrimentum ſentiat nullum. Conſulamus diuinas litteras, ad quas identidem ſolet Caluiniſta prouocare.

IX. VETVS Inſtrumentũ exhibet nobis *Eliam*, qui audacter, non tamen temere pronuntiat: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vſque ad diem, in quâ Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.* (3. Reg.17. 14.) Neque tamen nihil inde detrahebatur. *Nam*

come-

comedit ipſe Elias, *& illa, & domus eius.* Exhibet Eliæ diſcipulum *Eliſeum*, qui iubet ex pauxillulo, quod viduæ ſupererat *olei*, *mitti in vaſa vacua non pauca, &, cum plena fuerint*, ſibi habere, *creditori reddere*, *& de reliquo*, *cum filijs viuere* ipſam viduam. Eiuſdem animoſa vox eſt, de paucis *panibus à centum viris*, comedendis: *Comedent, & ſupererit.* (4. Reg. c. 4. v. 4. 7. 43) Iam in Nouo Teſtamento, quis ignorat exprobratoriam illam omnipotentis Magiſtri interrogationem, quâ duo illius omnipotentiæ effecta, duobus verbis inculcantur: (Matt. 16. 9.) *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? neque ſeptem panum in quatuor millia hominum, & quot ſportas ſumſiſtis?* Nec deſunt alia, quæ ab eadem DEI manu profecta, eamdem eius potentiam arguunt, etſi tempore poſteriora. MANNA ad B. *Iohannis* dilecti Diſcipuli ſepulcrum, quantumuis ſubtrahas, ſemper ſuppetit. Vide Metaphraſten apud Surium 27. Decemb. De TERRA, quam extremam *Chriſtus Dominus* calcauit, in cælos conſcendẽs, idem teſtatur *Sulpitius*, li. 2. Hiſtor. anno Chriſtiano 315 OLEVM ex corpore ſacro *S. Nicolai*, & S. *Catharinæ* iugiter manat. *Venerabile Sacramentum Amſtelredami*, anno 1345. *ab ægro, cum phlegmatibus eiectum, & in ignem miſſum, nec candorem amiſit, nec vllam læſionem à flammis accepit.* Inſuper CINERES eâ dote nobilitauit, vt,

 licet

licet ad varia genera morborum profliganda, ſubinde auferantur, vix tamen imminuti, ſuauè adhuc olentes cernantur. Ita Molan. 16. Martij in Natalibus SS. Belgij, ex Officio Cleri Amſtelrodamenſis.

X. Addamvs duo, vt maximè miranda, ita teſtatiſſima: alterum antiquiſſimum; alterum, & antiquum, & recens, atque adeo præſens. Inter Epiſtolas ſanctiſſimi, ſapientiſſimiq; viri, D. *Paulini Epiſcopi Nolani*, vndecima ad Seuerum data, prodigium admirandum narrat quod religio mihi ſit, alijs verbis narrare. Nam neque pari authoritate, neque verò diſertitudine alius quiuis, idem dicat. Mittens igitur Sanctus hic Pontifex, *Sancta Crucis Chriſti* particulam ad Baſilicæ conſecrationem; poſt expoſitam, diuinâ eloquentiâ, ipſius S. Crucis inuentionem, ſubdit: *Quæ quidem Crux, in materiâ inſenſatâ, vim viuam tenens, ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie, hominum votis, lignum ſuum commodat, vt* DETRIMENTA NON SENTIAT, *& quaſi intacta permaneat, quotidie* DIVIDVAM *ſumentibus, & ſemper* TOTAM *venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem, de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem. Speramus autem, & vobis, non ſolum benedictionis monimento, ſed & incorruptionis ſeminario futurum, &c.* Eſt quidem hic tantus teſtis omni exceptione maior: ſed tamen licet

huic

huic Latino Græcum adiungere, *S. Cyrillum*, qui aſſerit (Catech. 10.) *Sanctæ Crucis ligno*, Ieroſolymis accepto, *ditatum eſſe vniuerſum Orbem terrarum.* Atque hoc e duobus illis admirandis, quæ dixeram, prius eſto de *Ligno S. Crucis.* Poſterius eſt de CANDELA ATREBATENSI. Qui nouum hoc verbi ſibi eſſe dixerit, eâdem operâ indicabit, parum ſe verſatum in Belgicis noſtis Hiſtorijs. Quis enim alioqui ignoraret rem, ſi qua alia eſt, toto Belgio celebratiſſimam? Compendio indicabo potius, quã narrabo. Licebit, cui lubebit, plenius cognoſcere ex libello, quem de diuino illo munere, Gallico Idiomate conſcripſit Reuerendus, & Eruditus vir *Guilielmus Gazet*, apud Atrebatenſes ouium Chriſti Paſtor.

XI. QVO tempore Lambertus Atrebatibus Epiſcopus præerat, circa annum fere centeſimum quintum ſupra milleſimum, irritato populi peccatis Numine, iuſta in eos cœlitus vindicta incubuit. Ignoti generis morbus vulgo graſſabatur, quo plerique, velut igni, miſerandũ in modum excruciati, è vitâ exturbabantur. Medici omnes, ſuam ipſi operam, & artem damnauerant, cum affuit miſeris miſericordiæ Mater, & tam exitiali malo remedium ſuggeſſit. Erant eâ tempeſtate duo fidicines, *Itherus*, & *Normannus*. His Virgo, ſeorſim vtrique, in quiete, cum quid fieri vellet, ſignificaſſet: illique ad Epiſcòpum retuliſſent; hic, vnaque illi, ieiu-

nio,& oratione præmiſſâ, noctè Cathedralem Eccleſiam adeunt, ibique preces porro producunt.

Orantibus aſſiſtit Dei Parens, auguſtiore formâ, quàm pro humanâ, *candidum Cereum ardentem*, cæleſti manu geſtans. Iubet hinc eliquatam ceram aquæ infundere: tum eâ aquâ, & languentes potare,& eorum vlcera aſpergere. Addit, fore, vt qui obtemperent, riteque monſtrato remedio vtantur, deſiderata ſanitate potiantur: porrò qui contemnant, intra ſeptimum diem, temeritatem morte luant. Atque id, ita vt indicatum, reipsá præſtitum, & promiſſo euentu. Sed iam aliquid audi propius ad rem noſtram. Supra quingentos iam annos, toties accenſus *Cereus*, toties inde eliquatâ cerâ; eamdem hactenus magnitudinem cernentibus,& contrectantibus, exhibet. Quinetiam è guttis deciduis, plures alij *cerei* confecti, varijs locis reuerenter aſſeruantur, eadem pollentiâ præditi. Vidi ipſe & *Cereum* illum *Atrebatenſem*,& grandem *diſcum*, ex eius cerâ ſtillatim delapsâ, compoſitum, cuius pondo trium librarum arbitror, vt quàm [illegible] ſtiſſimè dicam. Sed iam de hoc nihil amp[illegible] dicam. Conſule, quē dixi ſcriptorem. Neque eſt., quod de huius Prodigij fide dubites. Si alia Teſtimonia deſint (quæ plurima extant, & minime vacillan[illegible]) in promtu eſt *Epiſcopi Lamberti*, ſe[illegible] u-

ius,

ius, præter alia, etiam hæc verba ſunt: *Huic Epiſcopo, & duobus ioculatoribus, Itherio, & Normanno, B. Maria, in hâc Eccleſia, apparuit, dans eis candelam, per quam ſanantur ardentes igne malo.* Hactenus Digreſſiuncula, neque, vt arbitror, iniucunda, neque extra rem. Iam ad S. HVBERTI STOLAM reuertamur.

XII. VT IGITVR Farina, vt Oleum, vt Panes, Manna, Terra, Cineres, vt S. Crux Chriſti, vt B. Virginis Candela incolumis eſt, poſt tot partes ablatas, ita STOLA hæc ſacra, ab eadem Virgine miſſa, ſic indigentibus texturam ſuam *commodat*, (nihil magis ſignificanter, & propriè magis dicere queam, quam ſi S. Paulini verba, ſuprà deſcripta, repetam) *vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie* DIVIDVAM *ſumentibus, & ſemper* TOTAM *venerantibus.* Nil dici poteſt expreſſius. QVASI *intacta*, inquit: nam reuera *intacta* non eſt: ferrum ſæpe ſentit, ſed ſic, vt

Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducat opes, animumque ferro.

Sed tamen *ſemper* TOTAM *venerari* licet, cui nihil decedere videatur, cum tot ſeculis DIVIDVA à tot populis *ſumatur*. Mouent hæc ſaliuam, & animum piè curioſum extimulant, vt diſtinctius ſcire aueat, quo tandem modo hæc STOLA, & *diuidua* ſit *quotidie*, & tamen *ſemper tota*. Ergo audi, Lector. Non ſic *tota* eſt, vt ferrum nunquam experta videatur. Appar-

equidem, aliquid fuiſſe præciſum ex illo extremo, quod venerantibus oſculandum exhibetur.

Non ſunt appendiculæ illæ, quas Stolis aſſui, aut attexi, vulgo videmus. Potius apparet forficis mordentis veſtigium, directò ad fili normam graſſatum, nullâ egredientium flocculorum eminentiâ, nullâ hirſutiâ. Denique, vt dixi, manifeſtum eſt, præciſum aliquid fuiſſe: ſed hoc, vt eſt eſſe *diuiduum*, ita non efficit, vt, quod ſic *diuiduum* eſt, deſinat eſſe *totum*; occultâ Diuinitatis vi ex Omnipotentiæ theſauro expromtâ, miris modis reſtaurante, quod ademtum eſt. Neque hoc magis ænigma eſt, quam illa vetuſtiſſima de *Oleo*, *&* *Farinâ*; illa Euangelica de *Panibus*, *&* *Piſcibus*; illa aliquot ſæculorum, de *Cruce*, *&* *Cereo*. Non, inquam, hoc noſtrum de STOLA, illis difficilius eſt, vel intellectu, vel explicatu.

XIII. POSSIT quis ad credendum his talibus, durior, aut tardior, hærere fortaſſe, & obtendere; Cum menſura nunquam applicata ſit, non vſqueadeo certò conſtare, nihil STOLAM iſtam mordente forfice minui; longam fuiſſe: &, cum tantillæ particulæ detrahantur, & indigentibus impertiantur, fieri poſſe, vt & minor euaſerit; & tantum tamen ſuperſit; vt obiter inuolutam aſpicientibus, nec vnquam explicantibus, detrimentum non appareat. Nimis ſolicitè veritatem declinat, qui ſic ratiocinatur,

natur, nimis ſtudioſè, & ſapienter errat. Sed *comprehendamus ſapientem in aſtutiâ ſuâ* (1. Cor. 3. 19.) Tantillæ particulæ, inquis, detrahuntur. Ita eſt, mi homo: ſed *multæ*, *&* *crebrò*, *& diu*. Scin' quam *multæ*, quàm *crebrò*? fere quotidie ſunt, quibus STOLÆ ſacræ beneficium impendatur: & ſæpiſſimè vno aliquo die complures. Nam non raro euenit, vt Canis, lupuſue rabie infectus, totis pagis, aut vrbis alicuius plateis perniciosè graſſetur, & multos lædat: qui omnes, velut facto agmine, *Andaïnum*, remedij causâ petunt. Ijs omnibus, nullâ habitâ opum, aut nobilitatis ratione idem beneficium præſtatur: neque tamen vlli, niſi aliquo STOLAE ſegmento detracto, ſi detrahere eſt, detractione non minuere.

Hoc *Segmentum* quomodo adhibeatur, dicitur in Quæſtione 9. quæ eſt de *Curationibus*. Hâc ratione efficitur, vt quotannis STOLAE tanta particula conſumatur, vt pridem totam STOLAM conſumtam oportuerit, niſi conſumtionem ignoraret. An iterum hoc ænigmaticum eſt? Videtur. Dico enim particulam quotannis conſumi: certè tot annorum particulæ conſumi non intelliguntur, quin totum itidem conſumatur.

Sed in hoc, Lector bone, Myſterium noſtrum eſt, vt paulò antè dicebam, & iterum dico, quòd STOLA, & diuidua ſit, & tamen

men ſemper tota. Particula illa, quæ quotannis fere, ab ipſo STOLAE corpore præſcinditur, detractione ſegmentorum in ſingulas Curationes, minuitur, conſumitur, impenditur, deſinit: ſic, vt aliam deinceps à STOLA præſcindi neceſſe ſit. Sed STOLA ipſa nihilo inde efficitur minor. Et, ne argutari pergas, tantillas eſſe particulas, quæ præſcinduntur, & ita modicum hactenus demtum eſſe, vt in inuolutâ STOLA, detrimentum non ita facile obſeruari poſſit; audi quid fecerim, quo omni dubitationum nebulâ ſublatâ, clara veritas clarè appareret, & quantumuis curioſo ſcrutatori fieret ſatis.

XIIII. DILIGENTISSIME laboraui, vt intelligerem, primùm quantæ particulæ eſſe ſoleant, quæ ſacræ STOLÆ detrahuntur; tum deinde quàm id crebrò fiat; ac denique quanto iam tempore id obtinuerit. Ex his tribus certò conſtare poterit, quantum de STOLA deciſum hactenus fuerit. Solent in primis ſingulæ particulæ occupare latitudinem totam ipſius STOLAE, quam ſuprà, ductâ lineâ, accuratè tibi oſtendi, ac hîc iterum exhibeo.

Atque ea latitudo eſt præciſarum particularum longitudo. Porrò de ipſius STOLAE longitudi-

gitudine, ad ſingulas præciſiones demi ſolet, quantum hæc lineola oſtendit [——] vncis intercepta, quæ particulæ cuiuſuis latitudinem exhibet. Sic tandem particula quælibet ad inſtar huius colligit, longitudine latitudini iunctâ.



Ex eiuſmodi portiunculâ tam diu minima ſegmenta præciduntur, &c, vt in Quæſt. 9. de *Curationibus* dicitur, concurrentium frontibus inſeruntur, donec eâ conſumtâ, alia ſimilis ex ipsâ STOLA abſcindatur, quæ ſimiliter in mortalium beneficia erogetur. Habes reſponſum ad primum quæſitum.

Alterum erat, *Quàm crebrò tantæ particulæ à* STOLAE *corpore amputentur?* Primum ex proximè dictis, conſtat, non antè amputari vllam, quàm conſumta prior fuerit. Porrò ſingulæ particulæ, etſi inter ſe æquales, non tamen æquali tempore conſumuntur. Cum enim ſegmenta non detrahantur, niſi ad erogandum, neceſſe eſt, eò citius omnia detrahi, quo plures erogationes fiunt. Rurſum, cum nihil erogetur, niſi in eos, qui à rabido animali læſi, rabiem ipſi timent, & S. HVBERTI ope, STOLAE eius miniſterio, declinare cupiunt: atque ij, vt caſus tulit, aliâs plures ſint, aliâs pauciores: hinc efficitur, citius, tardiuſue particulam quamlibet

erogando conſumi. Itaque quandoque toto anno non tota impenditur; quandoque antequã annus euoluatur, erogatâ vnâ, altera præſcinditur. Omnibus conſideratis, cenſent periti, qui ipſis erogationibus plures annos præfuerunt, quotannis vnam particulam, cuiuſmodi hîc ſpectas, aſſignari poſſe: quandoquidem, quod vni anno deſit; altero, abundè ſuppleatur. Ita præter cæteros, vir Reuerendus D. *Iacobus Pontiani*, qui multos annos eo in miniſterio verſatus, eamdem adhuc D. HVBERTO, & miſeris operam ſedulò præſtat. Cuius teſtimonio, à grauiſſimâ, Religioſiſſimi Antiſtitis *Nicolai Fanſonij*, Andaïnenſis Abbatis, authoritate, pondus accedit. Si iam tertium addidero, *Quanto*, videlicet *tempore, eiuſmodi* STOLAE *vſus, & erogatio fuerit*, perfacile cuiuis erit ſubducere, quantum tandem de ſacrâ STOLA fuerit præciſum, & erogatum. Ergo audi.

XV. CERTVM eſt, ante annos 550. antiquum iam fuiſſe eum vſum. Happart in Catalogo Abbatum, in Theodorico primo, qui præeſſe cœpit anno Chriſti 1055. *Iſtius S. Viri tempore*, inquit, *iam in vſitato erat in Monaſterio S.* HVBERTI, *ſingulare priuilegium probatæ virtutis, inſcindendi, & muniendi ſacrâ* STOLA, *morſos ab animante rabido; quia eo tempore, cubicularius Adeleydis Comitiſſæ Areleonis ad ſuffragium* S. HVBERTI *adductus, inciſus legitur.* Sed altius licet aſcendere. Vt alia taceamus,

Mira-

Miraculo 14. inter antiqua, narrat antiquus Author, *Procuratori cuidam inſitum ſacratæ* STOLAE *aurum*, & addit DE MORE id factum. Miraculum autem illud contigiſſe anno Seruatoris 879. in *Notis* oſtendi, num. 169. Ergo ad hunc vſque annum 1621. fluxerunt ſeptingenti, quadraginta duo. Iam quod additur, DE MORE, indicat rem minimè fuiſſe recentem. Arceſſamus à quinquaginta quatuor annis: & perueniemus ad annum 825. qui eſt ipſius ſacri Corporis S. HVBERTI, Andaïnum tranſlati. Sanè ratio nulla patitur dubitare, mox à Translatione, ſacræ STOLAE beneficia conferri cœpta: cum æquum non fuerit, tantum, & tam neceſſarium bonum differri, & tot alia in alio genere Miracula patrata fuiſſe, ex ipſo antiquorum Miraculorum textu, appareat.


Certè primum *Cæci reluminati, in ipſo Tranſlationis anno*, vt verba ipſa ſonant, patratum eſt. Ex quo denique conficitur, Sacræ STOLAE *erogationem* anno 825. inchoatam, id eſt, ante *annos octingentos*, quatuor dumtaxat demtis. Sed teneamus rotundam numerum, & ponamus ſolidè 800. qui eſt numerus, quem quærebamus, annorum, quibus STOLA, eo, quo diximus, modo, erogata eſt, & hodieque erogatur. Sic particulæ antè propoſitæ latitudo, octingenties ſumta, quantum hactenus de toties memoratâ STOLA fuerit detractum, diſtinctè oſtendit. Si tibi aut non vacat, aut non lubet,

eam ſummam colligere; ecce, id quoque in gratiam tui præſtiti.

XVI. SEGMENTVM, quod anno quouis amputari de STOLA, docui, ſi vicies ſumas, conficiet portionem, lineæ, A. B. quam hic ductam vides, longitudine æqualem. Itaque viginti annis, tantum de STOLA demi rectè colligimus. Hanc magnitudinem, ſi quinquies repetas, habes centum annorum impendium. Et huius impendij *octuplum octingentorum annorum* eſt, quod quærebamus. Sed hoc ipſum, quantum eſt? quot pedum? quot vlnarum? *Vlnas* video tot fere eſſe, quot ſunt ciuitates. Ne *pedes* quidem paſſim conueniunt. Nam ſi cuiuſuis viri pedes adhibeas, palàm eſt, vix binos reperiri, qui paribus calceis vtantur. Obſeruo etiam artifices non ſatis conuenire in operum ſuorum menſuris, quas pedes vocant. Fabros lignarios, & tignarios intelligo: item murarios, alioſque id genus. Nam alij alijs maiore vtuntur pede. Omnibus circumſpectis, nihil certius, & conſtantius reperio *Pede Romano*, id eſt, quo antiqui Romani ad dimenſiones vtebantur. Et, ne de illo quoque controuerſia moueatur, quæraturque, Quantus ille fuerit, ſuſtulit nobis errandi libertatem P. Iohannes Baptiſta Villalpandus, Societatis noſtræ Sacerdos, Tom. 3. in Ezechielem, quem *Apparatum* vocat *Vrbis & Templi*. Nam parte 2. lib. 3. cap. 25. eruditam, accuratamque *Ro-*

mani

mani Congij deſcriptionem ponit: &, dum eius delineationem, A. menſuraſque explicat, *Pedem Romanum* oſtendit, tum in duodecim *vncias*, tum in *digitos* ſedecim diuiſum. Non ponam integram eius longitudinem, quòd anguſtiæ huius chartæ eam nō capiant: ſed ex dimidio, facile integrum pedem tute colliges. Addo etiam digitorum, octo, vnciarumque ſex notas. Iam perfacile, atque planè in procliui eſt, colligere, quantum de STOLA octingentis annis detractum ſit. Reperio ego *pedes ſeptemdecim, & digitos fere quinque.* Et tamen Stolam, quantũuis longiſſimam, vix reperias, quæ pedes decem excedat. Iam, quæ in ipſius Sacræ STOLAE volumine reſtant, eâ longitudine eſſe videntur, vt, ſi ſeptemdecim illis pedibus addantur, neceſſe ſit, vel STOLAM ipſam, cum B. ab Angelo afferretur, ſupra vicenos pedes longam fuiſſe; vel



à Deo, mirabilium patratore, plus denis pedibus, tacitis incrementis, auctam. Quod poſterius neceſſe eſt aſſerere, cum prius nimis manifeſtam abſurditatem contineat. Quis enim ſit ille gigas, cui ab humero vtrimque decem pedum faſcia dependeat, nec terram verrat? præſertim cum non multo infra genua Sacerdotales ſtolæ propendere ſoleant. Monendus hîc mihi Lector eſt, ſi curioſius lineolas, lineas, ſemipedem dimetiatur, fieri poſſe, vt deprehendat, non eſſe accuratiſſimam, &, vt ſic dicam, indiuiduam magnitudinum habitam rationem. Quòd, vt fateor potuiſſe accidere; ita ſuggero, cauſam eam eſſe, quòd Typographici Characteres, omnimodam illam perfectionem vix, aut ne vix quidem attingere poſſint. At de S. Stolæ tacito, ac perpetuo incremento tantum dictum ſit. Niſi quòd illud etiam addendum, non rectè facturum videri, qui obiecerit; Nimis minutam à me, hâc in re, diligentiam adhibitam, cum tot menſuris, lineis, & lineolis. Neque enim eiuſmodi hoc noſtrum argumentum eſt, de quo illud vſurpare liceat:

In tenui labor: ———

Quin potius eiuſmodi *Opera* Dei, non modo *reuelare & confiteri honorificum eſt* (quod Angelus Sanctos duos Tobias, Patrem, & Filium alloquens, Oraculum protulit cap. 12. v. 7.) ſed de ijs alterum illud pronuntiandum eſſe, quod de ſuo verbo Verbum Patris pronuntiauit: *Iota vnum*,

vnum, aut vnus apex non prateribit. (Matt.cap. 5. v. 18.)

XVII. Mihi autem vellicat hic aphoriſmus, monetque, ne hanc de Stolae magnitudine, diſputationem deſeram, quin illud quoque obiter ſaltem attigerim, *Quo tandem modo tacita illa, qua dixi, incrementa, facta eſſe, & fieri cenſenda ſint?* Quæſtio eſt, quæ ſimilia rerum aliarum incrementa, nihilo, quàm Stolae noſtræ minus attingit. vt *panum & piſcium* in Euangelio; vt *farina & olei* in Regum hiſtoriâ; vt *cerei Atrebatenſis, & S.Crucis*: de quibus ſuprà diximus. Scio in Euangelico Miraculo explicando, Authores variare. Sunt, qui velint, alias, atque alias panis partes, Chriſti omnipotentiâ creatas: alij, qui doceant, proximè circumfuſum aërem in panem commutatum. Sed mihi totum Euangeliſtarum contextum intentius conſideranti, cum optimis Interpretibus ſemper viſum eſt, eoſdem panes, & eaſdem panum partes manſiſſe, neque alias acceſſiſſe. Itaque ſimul erant pluribus in locis. Simul, inquam, in *ſportis*; ſimul in Chriſti, & Apoſtolorum manibus: ſimul in diſpoſitis *ſuper viride fænum contubernijs*, vt vocat Marcus; aut *conuiuijs*, vt Lucas: ſimul in tot millium manducantium ore: ſimul denique in *fragmentrum collectorum cophinis*. Ita ſentire nos cogunt illa Iohannis verba (cap. 6. v. 13.) *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorũ,*

ex

ex quinque panibus Ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant. Neque Catholicus quiſquam laborabit in hoc credendo, qui facile credat, Chriſti Corpus & in cælo eſſe; & inſuper tot locis in Diuiniſſimo Sacramento. Quid porrò Caluiniſta aliquis oggganniat, non magis curandum eſt, quàm ſi ganniat maligna vulpes. Iam, quod de panibus, eorumque partibus dixi, de STOLA Hubertinâ, eiuſque fragmentis, dictum puta.

XVIII. ALIA ſunt huius STOLÆ mirabilia, quæ deinceps ponam. Quorum primum illud eſto, quod STOLAM ipſam propriè, eiuſq; ſubſtantiam tangit: Non modò non conſumi ipſam, partium detractione: ſed nec tot ſeculorum lapſu, gratiam nouitatis amittere, nedum ſitum, putredinem, interitum euaneſcendo ſentire. Teſtari hoc poſſunt innumeri, qui viderunt. Ego certè bonâ fide teſtor, qui toties & oculis conſpexi, & contrectaui manibus. Itaque in hoc Angelico artificio illud Poëtæ veridicum alioquin elogium, mendax reperitur:

Tempus edax rerum ——

Ac ſic poteſt cæleſtis hæc STOLA comparari cum *Arcâ Teſtamenti*, quæ è lignis *Setim* conſtabat *imputribilibus.* Sed alio maiore argumento apparet eadem incorruptio. Satis conſtat, tenuia illa textilia eò facilius tabeſcere, & corrumpi, quo magis humori exponuntur, aut im-

immerguntur liquori, cum etiam dura ligna, & indomita ferro ſaxa, humori cedant, & excedantur. Atqui tot iam annorum centurijs probatum eſt, minimas illas particulas, quæ periclitantium frontibus inſeruntur, in ijs minimè conſumi, ſed ſubſtantiæ ſuæ integritatem intaminatam retinere. Quod eò eſt mirum magis, quòd & recula minima eſt, & ſanguis, caroque viua, & ſucci plena vim habet, ea, quæ inſita fuerint, vel extrudendi validè, vel potenter tabefaciendi: quod Medici, & Chirurgi omnes experti fatebuntur. Ipſe DEVS, vt putredinem non aliunde facilius, quèm ex humore, naſci oſtenderet, Prophetæ ſuo præcipit, Ierem. c. 13. vt *lineum lumbare*, quod putrefieri volebat, *in petræ foramine, in Euphrate abſcondat.* quod & fecit. *Et ecce*, inquit, *computruerat lumbare, ita, vt nulli vſui aptum eſſet.* Quanto id magis fieret in exiguâ STOLÆ lanugine, niſi Naturæ Author, qui ibi naturæ vim oſtendere, voluit, hîc eamdem, vt Dominus, coërceret? Sed quærat quiſpiam, Itane res habeat, vt STOLAE fragmenta in humanâ carne durent, & perennent? Planè ita eſt. Illuſtre exemplum eſt in viceſimonono Miraculo, quod vltimum eſt ex antiquis: vbi, *pectine* incautius in *inciſionis cicatricem* impacto quidam, & repertâ in pectine *auriparticulâ de* STOLA *Sancti Pontificis: Ecce*, ait, *triginta anni ſunt hodie, ex quo hanc ferebam in fronte.* Reliqua, ſi lubet, tute

ibi lege. At inquies, conſequens hinc non eſſe, vt in alijs idem accidat, cum illud pro magno miraculo memoretur. At ego reſpondeo, aliunde conſtare, in alijs quoque ídem euenire, etſi paucis accidit, vt tanto poſt tempore excidat particula, & reponatur. Quinimo translucet per pelliculam frontis, idem aurum, in multis, & poſt annos multos. Et quidem hoc, vt paulò antè dicebam, ipſam STOLAE ſubſtantiam tangit.

XIX. QVAE SEQVVNTVR vel Miracula, vel Beneficia, à STOLA quidem eâdem ſunt, ſed in alijs vim ſuam exerunt. Sponte ſuâ occurrit, quod neceſſariò ex proximo conſequitur. Animalis caro ſic naturâ comparata eſt, nihil vt intra ſeſe patiatur, niſi ſeipſam aut ſanguinem ſuum, quo vegetatur. Si quid extraneũ accedat, id omni ope extrudere conatur, neq; ante dolore, tumore, pure, &, vt medici vocant, ſuppuratione caret, quàm moleſtum hoſpitem foras eiecerit. Id minimis quoque corpuſculis euenire, argumento ſunt paruiſſimi ſpinarum aculei, quibus cuticulam fortuito ingreſſis, nulla pax, aut quies eſt, donec expellantur. Sed enimvero, aurũ, vel byſſus Hubertinæ STOLAE intra frontem, ex profeſſo, ſepulta, tranquillè ibi, velut in amicâ ſede, habitat. Nullus dolor, tumor nullus, nulla ſanies, mera ſanitas. Et vnde, niſi ab eo, ex quo *virtus exibat, & ſanabat omnes?* Quid tibi vis dicam? cui in fronte minimum

nimum fragmentum eſt, meritò habeatur pro thecâ reliquiariâ, in quâ magnus, modico in corpuſculo, theſaurus aſſeruetur. Sed addamus reliqua.

XX. EXTRAORDINARIVM illud eſt, eoq; minus reticendum, quod noſtrâ memoriâ accidit in noſtro Belgio. PETRVS CAILLET honeſtiſſimus Ciuis Duacenſis, cum, periculo vrgente, *Andaïnum* petijſſet, frontem STOLAE fragmento, de more muniri petijt, & obtinuit: Aliquanro poſt, anno Chriſtiano 1582. *Carolus Coquerelle*, item Duacenſis Ciuis, dentium graui dolore cruciatus, certum præſidium, & mali leuamen in S. HVBERTO conſtituens, memoratum *Caillet* accedit, ciuem ſuum, & pro amicitiâ rogat, liceat ſibi eius frontem, ſacro D. HVBERTI pignore ſanctificatam exoſculari. Paret amico *Caillet*. *Carolus* os reuerenter eius fronti applicat, remedium dolori orãs, & ſperans. Neque incaſſum; cum oſculo fugit cruciatus, & dira illa dentium carnificina. Quâ de re extat publicum Inſtrumentum, à duobus Notarijs, *La-Ruelle*, & *Becquet*, ritè confectum. Neque in eo vno hoc beneficium ſtetit. Teſtatur idem Caillet, plures eâdem ratione perſanatos. De quo *Caillet* illud denique non eſt viſum reticendum, Quinquagenos florenos in ſingulos annos ab eo, Teſtamento legatos, panno emendo, & in pauperes diſtribuendo, ipſo S. HVBERTI anniuerſario die: idque in pago

Queant in Arteſiâ; quo loco celebrem eſſe S. HVBERTI memoriam, dixi ſuo loco in ſecundâ parte. Hæc, quæ de *Caillet* retuli, accepta mecum debes, Lector, R^do^ Patri *Iohanni Caillet* Societatis noſtræ Sacerdoti, cui res, vt de *auo* ſuo, eſt notiſſima, & teſtatiſſima.

XXI. AD ORDINARIA redeamus ab hoc extraordinario. Magnum eſt, Rabiem iam iam homini imminentem, potenter arcere, vt, quãtumuis ſæuiat, eius irrita ſit petitio: facit hoc DEVS quotidie annis iam octingentis, S. HVBERTI Præſulis ſui deprecatione, & STOLÆ eiuſdem in frontem inſitione. Horrenda planè ſunt, quæ de rabie, & rabidis ſcribunt Medici: quanquam illis tacentibus, experientiâ ſatis huius affectus malignitas conſtat. Dioſcorides (lib. 6. c. 36.) poſtquam de rabioſi canis morſu dixit, *Exinde*, ait, *morbus ille, qui ab aquæ metu, Hydrophobicus, Graiâ eſt voce appellatus, contrahitur. Euenit autem cum diſtentione neruorum, totiusque corporis rubore, præſertim faciei, cum ſudore, & languore quodam. Aliqui auræ ſplendorem fugiunt: alij ſine vllâ doloris intercapedine vexantur. Sunt etiam, qui canum more latratus edant, & obuiam factos morſu adoriantur, ac mordendo, ſimili vitio labefactant.* Miſera hæc: ſed miſerius, quod ſubdit: *Proinde ex ijs, qui hoc vitium ſenſerint,* NEMINEM *ſeruatum vidimus, niſi forſitan ex hiſtoriâ, vnum, vel alterum euaſiſſe audiamus.* Ouidius diſertè idem ſibi vult, vbi ait:

Tolle-

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram:
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Ad eum Dioſcoridis locum *Matthiolus* de *Baldo* magno illo Iuriſperito, luctuoſum hoc narrat, quod ait eueniſſe Tridenti. *Is*, inquit, *inter ludendum cum quodam ſuo catello, iam rabie affecto, leuiter in inferiori labio demorſus fuit. Sed ipſe huius rei ignarus, quarto poſt menſe rabidus factus, & tandem hydrophobicus, miſerabiliter mortem obijt, nullo adiutus medicamento.* Eſt de hoc Baldo apud Opemerum in Chronico, illud elogium:

Nemo, quod hunc latuit, ſciuit: ſi Iura Monarcham.
Ferre queunt, tanto hic nomine dignus erit.

Sed nihil illum hæc Monarchia iuuit, vt dirum hoc malum euadere poſſet. At ſemper iuuat S. HVBERTVS STOLAE ſuæ adminiculo, & facillimâ adhibitâ obſeruatione. Scio equidem, & alios quoſdam ſanctos aduerſus hunc morbum eſſe præſidio: vt *S. Marculphum, Sanctam VValburgim*, *Beatum VVolbodonem* Epiſcopum Leodienſem, de quo in Epitaphio, apud Molanum 21. April.

Poſt obitum varijs micuit virtutibus almis:
Quartanos, RABIDOS, *claudos reparauit, & ægros.*

Sed S. HVBERTVS ordinariâ, & perpetuâ id poteſtate præſtat tot iam ſecula.

XXII. SCIO, non deeſſe calumniatores, qui

iſta arrodant. Sed homines ſunt aut hæretici, aut alioquin impij. Impijſſimus magus *Bombaſtus Paracelſus* (lib. 4. de Cauſis Morb. inuiſib.) Sanctorum miracula, à *Mumiâ* ipſorum naturaliter fieri vult. Et de Sanctorum cultoribus: *Non ſecum reputarunt*, inquit, *quòd ſicut magnes magnam copiam ferri ad ſe trahat;ita etiam homo homines ad ſe pelliciat.* Item: *Quod arcana corporis alicuius,in ſepulcro ſigna faciunt, & auxiliantur ægrotis,fit eodem modo,ac ſi quem ſanarent Thermæ.* Addit alia multa impijſſima. Quid diceret iſte Medicinæ omnis,diuinæ, & humanæ, corruptor, & perduellis? quid diceret,inquam, de STOLA *Hubertinâ*? Vtique, aliquid item illi ineſſe *naturale*, & quod rabiem *naturaliter* arceat. Neque pro impudentiâ, deeſſet,cui prodigioſum illud, de quo diximus, *incrementum* tribueret. Diceret fortè, eſſe hanc STOLAM, genus quoddam *Plantæ*, & inſtar ſalicis, truncatam, alijs, alijſque ramis augeri. Neque ille multum laboraret, quòd nullum à terrâ humorem ducat, cuius ne quidem ſit in gremio. Nam quî id minus fieri queat, quàm quatuor hominum genera eſſe,qui ab Adamo originem non ducant: neque ideo animâ rationali,& immortali careant, dummodo cum noſtri generis hominibus coniugia ineant? Sed hoc hominis monſtrum miſſum faciamus, & ad ſuos homunculos ablegemus. Alterum hominum genus huic S.HVBERTI virtuti infeſtum,

ſtum, ſunt *Caluinodidaſcali*, qui in vniuerſum improbant, à certis ſanctis, in certis neceſſitatibus, peculiaria auxilia, & remedia poſtulari, & expectari. Hi videlicet, qui vbique ſcripturas crepant, liuore impediente, non vident ab Apoſtolo (1.Corint.12.4.) ſcriptum eſſe, *Diuiſiones eſſe gratiarum, & operationum*; & ab *eodem ſpiritu, qui diuidit ſingulis prout vult, alijs dari gratiam* SANITATVM, alijs alias. Et quidem de gratiâ *Rabiem arcendi*, & ſanandi, noſtro Diuo conceſsâ, non modò tot ſeculis teſtari poteſt orbis Chriſtianus, ſed coactus aliquando eſt experiri in ſuo ſanguine, eorum Protopatriarcha *Caluinus*. Audiant eius pulli, hoc ſuauiſſimum acroama, à *Bartholomæo Honorio* decantatum, vti tom. 3. Epiſcoporum Leodienſium à *Chapeauillo* refertur, in *Roberto à gis*, cap. 4.

Scis, quid Caluinus Sanctorum fecerit oſor,
A cane cum rabido filius ictus erat?
Tentauit medicis illum ſanare venenis,
Quæ Pedemontanus iuſſit Alexis emi.
Sed DEVS hunc non eſt medicinâ paſſus abuti,
Ne quis ob hoc Diuos temneret Hæreticus.
Namque opus inualidum Caluini reddidit, vt ſe
Per Sanctos cuiuis ferre probaret opem.
Ille itaque incaſſum ſudans, eſt nocte coactus
Pignus in Ardennam mittere languidulum.
Immortalis vbi numen ſe pandit HVBERTI,
Talia qui Chriſti vulnera curat ope.

Venit

Venit eò proles ſcelerati manca parentis,
Et ſupplex aras procidit ante ſacras.
Quodq; precabatur ſuperos, erat, vt ſibi vellent
E membris morbum pellere tabificum.
Neue ſibi obÿcerent malè ſani dogmata patris,
Quæ modo per mundi climata nota forent.
Nam ſe cum ſtolido non conſentire parente,
Velle ſed in veteri Relligione mori.
Hæc vbi fatus erat, ſacrâ cum veſte Sacerdos
Prodÿt, illius vulnera dira fouens.
Nec multos manſiſſe dies narratur ibidem,
Quin fuerit dono ſanus, HVBERTE, *tuo.*
Sparſerat interea Caluinus in vrbe Geneuâ,
Saxonicas natum nuper adiſſe plagas.
Ille quidem dignus, non qui luat à cane tali
Vindictam, ſed quem Cerberus ipſe voret.

XXIII. DIXI, magnum eſſe, Rabiem cæleſtis STOLAE ope, potenter arceri. Et ita planè eſt. Sed nonne maius, tantillam particulam, alicuius fronti inſertam, eam præterea vim homini tribuere, vt in Rabiem ipſe imperium obtineat? Res ita habet. Morſu rabioſæ animantis offenſus quiſpiam, vel itineris longitudine, aut difficultate, vel ætatis, infirmitatiſue ratione, vel alioqui legitimè impeditus, Andaïnum tam propere petere nequit, quàm imminentis tanti mali magnitudo requirat. Accedit quempiam, cui illud STOLAE beneficium aliquando impenſum ſit. Indicat periculum ſimul, & adhibendi propere remedij impedimentum: opem

opem rogat. Hic, caritatis Chriſtianæ memor, & poteſtatis à DEO, Sanctoque HVBERTO acceptæ ſibi conſcius: quadragenûm dierum ſpatium illi prorogat. Quo toto tempore, nullum illi ab rabie periculum: quæ alioqui certò paucis diebus, imminebat. Sed quid agat miſer, ſi, elapſis quadraginta illis diebus, necdum ſacri Corporis domicilium adire liceat, necdum fronte STOLAM excipere? Bono animo es. Etiam huic incommodo prouiſum à liberaliſſimo DEO. Eumdem, aliumue *Stolatum* (liceat voce iſtâ, compendij causâ vti) iteratò accedat; alios quadragenos dies addi ſibi petat: idque toties faciat, & tam diu, quàm diu, & quoties iuſta neceſſitas exiget. Quâ ſublatâ, Andaïnum petat, & quod porrò moris, iuriſque eſt, præſtet. Poteſt hæc temporis producendi ratio, etiam in plures annos vſurpari: dummodo, qui eam petit, quadraginta dierum ſpatium, ad ſingulas periodos, non planè effluere petmittat: ſed aliquanto antè, quàm penitus abierint, alios totidem poſtulet. Id ideo monetur, quoniam facilè, vt humana infirmitas eſt, aliquantulum vltra etiam expectaretur: idque non ſine certiſſimo, & præſentiſſimo inſidiantis pridem rabiei periculo. Quod plurimis exemplis probatum conſtat.

XXIIII. VT DE STOLA aliquando deſinamus, extremum illud addendum eſt, Qui eius fragmentum fronte exceperit, ei nullum dein-

ceps à rabie imminere diſcrimen; dum illa modò ſeruet, quæ præſcribuntur in formulâ, quam vide q. 9.

QVÆSTIO VI.

VNDENAM S. HVBERTVS EPIſcopalem Sedem Leodium transtulerit?

AFFECTVM depone, Lector ingenue, qui ad huius Quæſtionis lectionem accedis: vt mihi certò conſcius ſum, ſine affectu ſcripſiſſe, & ſoli veritati eſſe velificatum. Quam te quoque vnam hîc reſpicere velim, ſatis certus, ſi id faxis, ad meas te partes acceſſurum, etſi antè in alijs forſan caſtris fuiſſes. Ne maleuolus quidem vllam cauſam aliquâ cum probabilitate fingere poſſit, cur mihi in mentem venire potuerit, vt nobilem Religione, Clero, Populo Vrbem, Epiſcopali Sede ſpoliatam vellem, quâ nobilitatam fuiſſe conſtaret: maximè cum eiuſmodi in ſeculo viuamus, quo ab innumeris & bonis, & eruditis viris, vanitatis argui poſſem, & verò, me quoque fatente, deberem. Hæc purgatiuncula, fueritne hoc initio neceſſaria, iudicabis ex ijs, quæ mox leges. Ac ne te diu ſuſpenſum teneam,

I. Prin-

I. Principio aio, Sedem Epiſcopalem à S. HVBERTO Leodium translatam, non *Traiecto ad Moſam*: ſed *Tungris*. Quæ aſſertio hanc neceſſariò ſecum trahit, & , vt in Scholis loquimur, ſupponit, *Sedem Epiſcopalem Traiecti nunquam fuiſſe* , etſi Epiſcoporum Tungrenſium habitatio, & multorum , & multos annos ibi fuiſſe, ſit indubitatum. Reſpiraui, poſtquam hoc pronuntiatum elocutus ſum, quod ſolum in hâc Quæſtione eſt, quod offendere quempiã poſſit, contrariæ opinationi, quacumque ex causâ auctoratum. Nam, quæ ſubiungam, lenimentum potius ſunt huic vel vulneri, vel morbo: vtique hominibus, qui rationem ducem, vti decet, ſequuntur. Sunt enim rationes, & argumenta, quibus maiora, tali in re non deſideres; & eo numero, quem ægrè crederes, nî videres.

II. Sed antè quàm ad ea aggredior, ne nihil oppoſitæ ſententiæ concedere videar, illud primum vltro fatebor, non ſemper meam apud omnes tam exploratæ fuiſſe veritatis, quin vel dubitatum, vel etiam de eâ diſputatum ſit. Chapeauillus Leod. Eccleſiæ Vicarius I. Tomo Epiſcop. Leod. in HVBERTO, ad verba illa Ægidij: *Ab oppido Traiectenſi, tranſuexit Leodium ſedem Epiſcopij*, ita annotat: *An ſedes Traiecti aliquando fuerit, meritò dubitari poteſt.* Remittit deinde Lectorem ad Nicolaum in Vitâ S. Lamberti, ca. 4. quem locum infrà deſcribam. Quin

& illud addo, fuiſſe quandoque à quibuſdam Scriptoribus, vocatos Epiſcopos *Traiectenſes*: ſed cum & ijdem *Tungrenſes* vocent, & alij maiores,& vbi magis ſeriò attendebatur (oſtẽduntur iſta diſertè paulò pòſt) nunquam eos aliter appellent; nimirum dicendum eſt, ita quoſdam locutos, non tam quòd ita iudicarẽt, quàm quod imperitum vulgus ſic vocaret: tum etiam ob diuturnam commorationem (ſupra ducentos enim annos Traiecti habitauerant) poſtremò ad diſtinctionem: vt videlicet ex ijs eſſe intelligerentur, non qui *Tungris*, aut *Leodij*, ſed *Traiecti*, domicilium habuiſſent. Tamquam ſi Clementem, aut Innocentium VI. Auenionenſem Papam quis vocet, quòd ex ijs Rom. Pontificibus fuerint, qui Auenione in Galliâ conſederint: nemo ſanus hinc colligat, non fuiſſe Pontifices Romanos, ſed Auenionenſes. Accedit, quòd qui ita vocant, & pauciores ſunt alijs, quibus *Tungrenſes* dicuntur, neque cum illis authoritate comparandi. Id iam iam patebit.

III. *Teſtimonia* affero; quò & res ſolidior ſit, & methodus gratior, in tres claſſes diſtributa, videlicet

Authorum { *Antiquiorum*, *Recentiorum* *Eximiorum* quorumdam extra ordinem, omni exceptione maiorum.

Qui-

Quibus id me aſſecuturum ſpero, vt & minimè temerè in hanc ſententiam veniſſe iudicer: & nemo, ne iniquus quidem, & præfractus deinceps aliter opinetur.

PRIMA CLASSIS.

Authores Antiquiores.

IN his primum meritò locum obtineant ipſa Eccleſiæ *Tungrenſis*, & *Leodienſis Chronica*: quæ cum varia paſſim viderim nulla fideliora iudico ijs, quibus vſus Author *Magni Chronici Belgici*, Canonicus Regularis S. Auguſtini prope Nuſſiam, à Piſtorio editus Francofurti 1607. Ex hoc igitur primo loco pauca depromam. Sit igitur

T*eſtimonium* 1. Pag. 13. lin. 21. *Mortuo beato Seruatio, Sedes Tungrenſis vacauit abſque paſtore, &c.* Certè Seruatius *Traiecti* habitauerat, & ipſe Sedem Traiectum tranſtulerat, ſi vnquam translata erat. Neque tamen hic verbum de Traiecto.

T*eſtimon.* 2. Ibidem, lin. 24. *Synodus Aurelianis habita eſt.* Mox: *In eodem Concilio, Prælati Galliarum compatientes Eccleſiæ Tungrenſi, S. Agricolaum conſtituerunt Epiſcopum Tungrenſem.* Hoc mihi non oſcitanter nota, Lector, nam etſi *Chronica* loqui videntur (quod ipſum tamen magni faciendum erat) ipſi tamen huius *Synodi Patres* ſimul loqui cenſendi ſunt.

T*eſtimon.3.* Pag.29.lin.44. *Sanctus* HVBERTVS *Eccleſiæ Tungrenſis triceſimus,& Leodienſis primus,&c.* Hæc loquendi forma, (quâ ſæpius Chronica vtuntur) *Traiectenſem Sedem*,tamquã nullam,planè omittit: quòd eò magis mirum, quòd totos duodecim annos S. HVBERTVS Traiecti habitauerat, & inde Leodium migrabat.

T*eſtim.4.* Pag.82.lin.11.*Quadrageſimus quintus Epiſcopus Tungrenſis , & decimus ſextus Leodienſis ſuccedit Euraclius,vel Heraclius,&c.*

T*eſtim.5.* Pag. 74.lin.25.paulo aliter: *Stephanus trigeſimus nonus Epiſcopus Tungrenſis , & Leodienſis efficitur.* Hâc ſcribendi ratione vnum Epiſcopatum, eumdemque eſſe vult *Tungrenſem, cum Leodienſi.* De *Traiectenſi* altum ſilentium.

T*eſtim.6.* Pag. 156. lin.19.*Alexander XXIX. Epiſcopus Leodienſis , & LVIII. Tungrenſis creatus eſt.*

T*eſtim.7.* Cum magno illo Chronico Belgico, ex quo iſta depromſi, editum eſt *Chronicon Conſtantienſe*,cuius Author antiquus inter Sanctos peculiariter à Conſtantienſi Eccleſiâ cultos , recenſet etiam in quartâ Appendice , S. *Remaclum Archiepiſcopum Tungrenſem.* Quem ſanè Sanctum ex ijs fuiſſe conſtat, qui T*raiecti* habitarunt.

IIII. Proximè poſt *Chronica* , eos ponamus Authores, qui Epiſcoporum T*ungrenſium*, &

Leo-

Leodienſium Vitas ſcriptis proſecuti ſunt: atque inter eos primo loco meritò conſtituamus eũ, qui noſtri S. HVBERTI vitam conſcripſit: quẽ ſuo loco, in Notis, oſtendimus, fuiſſe ipſius S. HVBERTI *diſcipulum*, *familiarem*, *Domeſticum*: cuius authoritas non poteſt proinde eſſe non maxima. Atque ea etiam augetur, quòd *Ionas eius Interpres*, eius loquendi modum retinuit, & *VValcando Leodienſi Epiſcopo* approbanti, ſuam operam dedicauit.

Teſtim 8. Ipſa Epigraphe huius vitæ eſt: *Incipit vita Sanctiſſimi* HVBERTI, *Eccleſiæ Tungrenſis Epiſcopi, & Confeſſoris.*

Teſtim. 9. Ipſo Vitæ initio, clariſſima ſunt hæc verba, & in noſtram ſententiam validiſſima, de S. Lamberto: *Qui Pontificalem apicem apud Vrbem* Tungrenſem, *quadraginta annis ſtrenuè ferens, &c.* Habitauerat tot annos hic S. Martyr *Traiecti*; eo reuectus erat mortuus; inde Leodium auectus: & tamen de *Traiecto*, cum de eius Sede agitur, nec verbum quidem audimus.

Cæterum incipit hic antiquus Author ſcriptionem ſuam à S. HVBERTI Epiſcopatu. Alium ſuo loco dedi, qui Conuerſionem deſcribit, & alia quædam ab altero omiſſa. Ex hoc igitur etiam Teſtimonia petamus.

Teſtim. 10. Cap. 2. initio. *Cum igitur in Parochiâ Tungrenſi, apud memoratum Principem,* HVBERTVS *conuerſaretur.* Sic vocat *Epiſcopatum Tungrenſem.*

Teſti-

Teſtimon. 11. Cap. 3. *Lambertus Tungrorum Epiſcopus.* Verba ſunt Angeli ad Pontificem Sergium, de quo infrà.

Teſtim. 12. Proximè pòſt: *Subſtitues ad Regimen Tungrenſis Eccleſiæ, diſcipulum eius* HVBERTVM, *&c.* Eiuſdem Angeli ad eumdem Pontificem ſermo.

Teſtim. 13. Eodem cap. *Stola ſerica alba, auroque contexta* HVBERTO *per Angelum à B. Virgine Mariâ, Eccleſiæ Tungrenſis patronâ, eſt tranſmiſſa, &c.* Cur non dicit Patronam Eccleſiæ *Traiectenſis?*

V. Veniamus iam ad alios Vitarum Scriptores, quos Chapeauillus vulgauit, atque eo ordine, quo in Tomos ipſe diſtribuit. Eorum primus eſt HARIGERVS *Abbas Lobienſis,* qui, Tritemio teſte, clarebat anno Domini 990. De hoc, antequam teſtimonia ſumam, illud ingenuè fateor, aliquoties me obſeruaſſe, eum Epiſcopos aliquos vocaſſe *Traiectenſes.* Sed id non aliâ ratione factum, quàm Vulgi conſuetudine, aut ob commorationem, vt ſuprà dixi. Nam (quod etiam in alijs valere debet, qui variè loqui videntur) *Traiectenſes* non omnino malè vocari videbantur Antiſtites, quòd tot iam annos *Traiecti* habitarent: at *Tungrenſes* nulla ratio vocari patitur, niſi quia *Tungrenſes* erant. Sed audiamus Harigerum.

Teſtim. 14. Tomo 1. in Seruatio, cap. 29. pag. 47. D. *Incertum eſt, quantâ temporis intercapedine*

dine Eccleſia TVNGRENSIS *fuerit ſine Pontifice.* Eccleſiam *Tungrenſem* vocat, poſtquam Traiectum S. Seruatius migrauerat, atque ibidem obierat.

Teſtim. 15. Cap. 30. in lemmate: *De S. Remigio, & nouem Tungrenſibus Epiſcopis.* Debet hoc Teſtimonium pro nouem diuerſis cenſeri, quãdo nouem diſtinctos Epiſcopos ita vocat. Sed animaduerſione digniſſimum eſt, quòd, cum in *Titulo* vocaſſet *Tungrenſes*, in ipſo Capite, Agricolaum, qui eorum primus erat, ait, *præſediſſe Eccleſiæ Leodienſi*, cum Leodij tunc non modò ſedes non eſſet; ſed nec Vrbs Leodium vſquam gentium exiſteret. Quid igitur ſibi voluit Harigerus, niſi, quòd, vt ſuprà annotaſſe me memini, *Tungrenſis, & Leodienſis Epiſcopatus vnus ſit*: Traiectenſis nullus?

Teſtim. 16. Cap. 48. in Annot. marginali: *Virgo Chriſti Reginulpha ſanctitate claret in Galliâ, & eſt ſepulta in Eccleſiâ B. Petri --- in Diœceſi Tungrenſi.*

Teſtimon. 17. Cap. 54. Annot. ad marginem: *Diuerſas Eccleſias in Parochiâ Tungrenſi ædificârunt.*

VI. Harigero proximè ſuccedit *Anſelmus Canonicus Leodienſis.* Hic, vt non iuuat meam de *Tungrenſi Sede*, ſententiam (quippe qui paſſim Epiſcopos aliquot vocet *Traiectenſes*) ita operam dabo, ne videatur iuuare oppoſitam. Etenim non fuiſſe illi curæ, quàm verè ita diceren-

tur, ſed ſimpliciter habitationem ſpectaſſe; ex eo primùm colligimus, quòd nullâ habitâ eorum, qui antè ſcripſerant, ratione (Chronicorum, inquam, & Harigeri) *Traiectenſes* vocauit, quos ab ijs *Tungrenſes* vocatos ſciebat. Hoc videre licet in lemmate libri, & ipſo mox exordio. Deinde, quòd in *Sede Tungrenſi B. Maternum viginti fere habuiſſe ſucceſſores* cap. 1. ſcribat: & *B. Monulphum, qui vigeſimus primus extitit, Sedem Epiſcopij Traiectum tranſtuliſſe.* Quod ì vbi, quæſo, legerat? vnde hauſerat? Certè quotquot Traiectenſem Sedem defendunt, à S. Seruatio eò translatam volunt, ac proinde vndecim Epiſcopos amplius ponunt, quàm iſte Anſelmus: quod nos quoque fatemur, ſed quoad *domicilium* tantum. Si quis igitur hoc Authore triumphare volet, hoc quoque eius erratum probet, aut defendat. Quod ſi hâc in re eius authoritatem reijciet; ego quoque, bonâ eius pace, reijciam in alijs. Præterea, quid in mentem venit huic Anſelmo, vt *Traiectenſes* Epiſcopos vocaret, cum ignorare non poſſet (certè non deberet) eos ipſos, quorum vitam deſcribit, TVNGRENSES vocatos, etiam poſtquam *Leodium* Sedes translata fuerat: & vocatos non à quibuſuis de plebe, ſed à Regibus, Imperatoribus, Concilijs, atque adeo ab ipſiſmet Epiſcopis? quæ omnia mox ita oſtendam, vt à nemine ſano contra dici quicquam poſſit. Sed omiſſo Anſelmo, alios conſulamus, Scriptores vitæ S. Lam-

S Lamberti, à Chapeauillo editos eodem tomo 1. Ac de Godeſchalco quidem, & Renero idem dixerim, quod de Anſelmo, illudque iure addiderim, non eſſe æquum, alterutrum præponi Nicolao Canonico: æquiſſimum autem eſſe, poſtponi Stephano Epiſcopo, qui vtique ſciebat, quis Epiſcopatus eius titulus eſſet.

VII. *Teſtim. 18. Stephanus* Epiſcopus Leodienſis, T*ungrorum* tamen ſe vocat Epiſcopum. Verba, & locum infrà dabo, claſſe tertiâ. Quod ſi S. Lambertum T*raiectenſem* vocare videtur, id eò factum, quòd nollet recedere à modo loquendi *Godeſchalci*, à quo quicquid ſcribebat, petebat. Nam hoc vnum ſtudij ſibi videtur habuiſſe, teſte Sigeberto, vt *incultius ſcripta, vrbanius ſcriberet*. Quod & Anſelmus confirmat, cum ait: *Vitam S. Lamberti, antiquitus dictatam ſimpliciter, vrbani ſermonis facetijs expoliuiſſe*. Audiamus iam *Nicolaum*.

Teſtim. 19. NICOLAVS *Leod. Canonicus* circa annum Domini 1120. in vitâ S. Lamberti, apud Chapeauillum, tom. 1. in Dedicatoriâ ad Wedericum Letienſis Eccleſiæ Abbatem, pag. 372. de Lamberto ſic loquitur: *Quàm irrationabiliter ab Eccleſiâ* T*ungrenſi eiectus, quamq; glorioſè iterum inthronizatus, &c.*

Teſtim. 20. Idem cap. 1. pag. 375. A. *Landoaldus ſub S. Amando Epiſcopo, Archipresbyter Eccleſiæ* T*ungrenſis ordinatus, &c.*

Teſtim. 21. Idem cap. 3. pag. 377. A. *Commendatur,*

datur, (Lambertus) *à Patre, Sanctiſſimo Viro* Theodardo: *qui B. Remacli ſucceſſor*, T*ungrenſi tunc præſidebat Eccleſiæ.* Hoc Teſtimonium pro duobus haberi debet:nam & Remaclum, & Theodardum T*ungrenſes* Epiſcopos vocat.

T*eſtim.* 22. Eodem cap. & pag. C. *Inter magnorum Principum aſſiduos conuentus,quibus eum intereſſe* Tungrenſis *Eccleſiæ negotia ſæpius cogebant,&c.*

T*eſtim.* 23. Cap. 4. pag. 378. C. *Eo tempore* T*ungrorum ciuitas ab Hunnis iampridem funditus euerſa,euolutis ab excidio ſuo,pluſquam ducentis annis, vix à paucis inhabitabatur, cunctaque ſuæ antiquæ nobilitatis, & claritatis inſignia,vaſtitatis,& ſolitudinis ipſius magnitudo obliterauerat. Solam verò* PONTIFICALIS CATHEDRÆ *dignitatem,quàm à B. Materno primo ipſius ciuitatis Epiſcopo acceperat,adhuc in Eccleſiâ S. Mariæ perpetuæ Virginis,inter ipſas murorum ſuorum ruinas* INCONCVSSE RETINEBAT. Hoc Teſtimonium diligenter mihi conſidera, Lector candide, qui fortè à contrariâ opinione præoccupatus es. Viden' vt TVNGRENSEM Epiſcopatum S. Lamberti tempore (qui penultimus fuit eorum,qui Traiecti habitarunt) non obiter nominat,ſed ex profeſſo aſſerit? Adeò, vt & Obiectioni occurrat, dicatque,nihil obſtitiſſe neque *paucorum habitationem,* nec *vaſtitatem,* nec *ſolitudinem*;quò minus *Pontificalis Cathedræ dignitas inconcuſſa eſſet,* etiam *inter murorum ruinas.*

Neque

Neque quiſquam ſibi blandiatur ob verba proximè ſequentia: nam & illa pro me pugnant; ideoque ea ſubijcio.

Teſtimon.24. Ibid. *Quoniam Traiectenſes, qui erant ei* (TVNGRENSI Vrbi) *verſus Orientem ſatis finitimi, rebus, multâque populi frequentiâ tunc in eâ regione potentiores habebantur: eorum ordinatione, & diſpoſitione* TVNGRENSIS SEDES, *tamquam decrepita, & præmortua mater à validiore, & prudentiore filiâ gubernabatur: adeò vt vſque ad Sacerdotium* B. HVBERTI, *non minus Traiectenſis, quàm* TVNGRENSIS *Epiſcopatus diceretur.* Dixi, non eſſe cur quis hinc ſibi blandiretur, tamquam ſi ex his verbis aliquid pro *Traiectenſi Sede* extorqueri poſſet. Nam, præterquam quòd ſuperiora verba pro TVNGRENSI clara ſunt, hæc ipſa, quid aliud, quàm eundem TVNGRENSEM Epiſcopatum, confirmant. Vocat quidem *Decrepitam*, & *Præmortuam*; ſed ratione *vaſtitatis*, *ſolitudinis*, *ruinarum Vrbis.* Sed tamen vocat TVNGRENSEM SEDEM. Ait *filiam Traiectenſem validiorem fuiſſe*; ſed tamen vocat Filiam, vtique TVNGRENSIS Sedis. Vocat *Prudentiorem*, quia inibi Epiſcopi cum ſuo Clero, & conſilio habitabant, cum vrbs TVNGRORVM, vt antè dixit, *à paucis inhabitaretur.* Neq; nimiũ vrgeas, quod Traiectenſes *Gubernatores* facit: nam ſi ex te quæram, Cuiuſnam Gubernatores fuerint, ibidem legis fuiſſe SEDIS, non *Traiectenſis*, ſed

TVNGRENSIS. Sed, inquies, *Non minus Traiectenſis quàm Tungrenſis Epiſcopatus dicebatur.* Video ita loqui *Nicolaum* noſtrum: Verum ſic loquitur, vt eius ſenſus ſatis clarus ſit, & apertus. Nam vt omnia ſuperiora iam ſilentio præteream; attende, ſodes, ad vocem, DICEBATVR, quâ ideo vtitur, quia reuera *Traiectenſis* ſedes non ERAT, ſed ita tamen DICEBATVR, propter *Habitationem*, aliaſque rationes, quas huius Quæſtionis initio poſui. Inſinuat etiam, vt arbitror, *Nicolaus*, vulgo ita vocatam, & à *populo*; qui, cum Epiſcopos *Traiecti domicilium* poſuiſſe videret, & tot annos inibi habitare, ſatis cauſæ putabat, cur inde eos nuncuparet. Porrò, quod de *Vſu* dixit Horatius, de *Populo* itidem dici poteſt, à quo, & in quo *Vſus* eſt:

Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi.

At, quid ipſe Nicolaus ſenſerit, quid alij periti, partim iam audiſti, partim audies, & multo etiam magis, in conſequentibus. Audio quoſdam ſuſurrantes, abſurdum videri, *Sedem* poni, vbi *Vrbs diruta*, & ad fundamenta fere ipſa euerſa. Sed, qui apud Saluianum, alioſque idoneos authores legerit *Treuirorum* Vrbem non ſemel, ſed quartùm euerſam fuiſſe; neque tamen ideo quemquam fuiſſe hactenus, qui *Treuirenſem Archiepiſcopatum* in dubium reuocaret, acquieſcet, ſpero, rationi, & claræ veritati. Quamquam quid opus aliunde argumenta, aut exem-

exempla arceſcere? Nicolaus hoc loco diſertè dicit, PONTIFICALIS CATHEDRÆ DIGNITATEM, INTER IPSAS MVRORVM RVINAS INCONCVSSAM TVNGRIS RETENTAM.

Teſtimon. 25. Cap. 5. Pag. 379. B. *Qui* TVNGRENSI *Eccleſiæ ſubſtitueretur Epiſcopus, multum deſiderabatur in Eccleſiâ DEI.* Loquitur de tempore, quo obierat S. Theodardus, cui ſucceſſit S. Lambertus.

Teſtim. 26. Ibid. D. *Sic Traiectenſium teſtimonio, comprouincialium Epiſcoporum iudicio approbatus, per ſacra vnctionis miniſterium, Spiritus ſancti virtutem ſuſcipiens,* TVNGRENSI *Cathedræ viceſimus nonus præſedit Epiſcopus.*

Teſtimon. 27. Cap. 6. pag. 381. C. De impio Ebroino, Sanctis infeſto, & in S. Lambertum ſæuiente, ſic loquitur noſter Nicolaus: *Iuſtitiæ, ac publicæ libertatis defenſorem* (Lambertum) *ab Epiſcopatu* TVNGRENSI *expulit, & Pharamundum violenter inthronizauit.*

Teſtim. 28. Ibid. *Quanta autem per hunc inuaſorem facta fuerit in* TVNGRENSI *Eccleſiâ, totius diuini & humani iuris confuſio, &c.* *Pharamundus* eſt ille *Inuaſor*: de quo mox iterum.

Teſtim. 29. Ibid. *Per hunc* TVNGRENSIS *Eccleſia plus experiendo, quàm legendo didicit, quia fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.*

Teſtim. 30. Cap. 9. pag. 387. D. TVNGRENSIS,

SIS, *& Traiectenſis Eccleſia, quid in Præſule ſuo Lamberto, ſpiritualium beneficiorum habuerit, plus carendo, quàm fruendo modò ſatis experta, &c.* Quâ ratione Eccleſiam etiam *Traiectenſem* vocet, diſce ex ijs, quæ dixi Teſtim. 24.

Teſtimon. 31. Cap. 16. pag 399 D. *Beatus Monulphus, viceſimusprimus* TVNGRORVM *Epiſcopus.*

Teſtimon. 32 Cap. 18. pag. 408 C. *Erant in oppido Traiecto duæ celebres Eccleſiæ, quarum vna B. Mariæ perpetuæ Virginis,* TVNGRENSIVM *Pontificum eo tempore ſecunda ſedes habebatur. Secundam Sedem* intellige *habitationem.* Quod ſi aliò torquere velis, memineris, non vocari Pontificum *Traiectenſium*, ſed TVNGRENSIVM.

VIII. Hactenus ex *Nicolao,* alijſque ſcriptorib. à Chapeauillo, tom. 1. editis. Addamus iam *Ægidij Aureæ-Vallis Monachi,* Teſtimonia, cuius *Additiones* paſſim eodem Tomo 1. leguntur. Ac de hoc, illud primo dixerim, quod quandoque etiam *Traiectenſes* vocet Epiſcopos, eâ ratione, quâ de Harigero dixi Teſtim. 13. & quam explicaui Teſtim. 24. Sed vbi propriè loquitur, non niſi TVNGRENSES vocat.

Teſtim. 33. ÆGIDIVS *Aureæ-Vallis Monachus* Tom. 1. ad Harigeri cap. 29. in *Seruatio*, pag. 49. D. *Poſt eam vindictam, quæ ab Hunnis facta legitur, VVandalicâ crudelitate ſequente, incertum eſt, quantâ temporis intercapedine Eccleſia* TVN-

TVNGRENSIS *fuerit ſine Pontifice.* Hæc ab Ægidio dicuntur poſt S. *Seruaty Traiectum migrationem*, imò poſt eius mortem.

T*eſtim*.34. Idem in *Amando* cap.41.pag.75. A. *In Parochiâ* TVNGRENSI *verbum vitæ populis prædicans, cænobium in honore B.Apoſtoli Petri ædificauit, ac dedicauit, quod Monaſterium ſupra Sambram nominauit.*

T*eſtim*. 35. Idem ad Anſelmi *Theodardum*, cap.2.pag.101.A. B. T*heodardus*---*præſedit Eccleſiæ* TVNGRENSI *viceſimus octauus.*

T*eſtimon*.36. Idem in *Richerio*, cap.41.pag. 171.C. *In Parochiâ* TVNGRENSI ait, *fundatum à S. VViberto Monaſterium Gemblacenſe* ; quod, quo anno contigerit, libet hîc annotare feſtiuo Carmine, quod in Gemblacenſis Eccleſiæ pariete ipſe legi, à D. *Philippo Klockman*, eius loci Abbate admodum Reuerendo, & Ampliſſimo Domino, humaniſſimè exceptus, & habitus. Sic ſonat:

Vnum D.ſcribis, C.quatuor, X.bis, & I.bis,
Cum Clauſtrum per te, ſit Gemblacenſe, Guiberte.

Id eſt anno Domini DCCCC. XXII. Atque hæc ex *Ægidio*. Venio iam ad alios Authores, etiam antiquos, quorum primus eſto *Sigebertus*, qui in illo ipſo *Gemblacenſi Cœnobio* floruit.

T*eſtim*.37. SIGEBERTVS *Gemblacenſis* anno Domini 627. *Florebat in Gallijs Auſtregiſilus Bituricenſis Epiſcopus* ---- *& Ioannes* TVNGRENSIS.

Teſtimon. 38. Idem in vitâ S. *Theodardi: Ioannes etiam* TVNGRENSIS, *ex Laïco in Epiſcopum, &c.*

Teſtimon. 39. Idem anno 638. *Sanctus Amandus, Tungrenſis Epiſcopus, Epiſcopatu poſthabito, verbi inſtat officio.* Hæc Sigebertus. Nec diſſentit *Regino* in Chronico.

Teſtimon. 40. REGINO in Chronico, anno 622. *Eâ ætate claruit Lambertus* TVNGRENSIS *Eccleſiæ Epiſcopus, &c.* Audiatur & *Frodoardus* Gallus Scriptor, & harum rerum peritus.

Teſtim. 41. FRODOARDVS anno 922. apud Baronium: *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Epiſcopium* TVNGRENSE, *reuerſus eſt, ordinatus à Ioanne Papa,* Epiſcopus.

IX. Satis iſta de primâ Teſtimoniorum Claſſe, quâ *Antiquiores* Authores complexi ſumus. Sequitur altera, quæ eſt *Recentiorum.*

SECVNDA CLASSIS.

Authores Recentiores.

HORVM agmen mihi ducat *Adulphus Happart*, diligentiſſimus Scriptor, Monaſterij S. HVBERTI in *Andaïno*, Religioſus, cuius frequens mihi memoriâ in *Notis*, & *Cultus Propagatione.* Floruit ante annos centum.

Teſtimon. 42. ADVLPHVS HAPPART in vitâ S. HVBERTI, cap. *De reditu* S. HVBERTI *Româ, ad Epiſcopatum ſuum: Sedit ergo* S. HVBERTVS

TVS *triceſimus, & vltimus* TVNGRENSIVM, *ac Traiectenſium : Leodienſium autem primus. Nempe tredecim annos apud* Traiectum, *Tungrenſem; & triginta annos Leodienſem Eccleſias ſtrenuè gubernauit.* Vide, quàm diſertè, & ex profeſſo dicat, *Apud Traiectum quidem gubernaſſe*; non tamen *Eccleſiam* Traiectenſem, ſed TVNGRENSEM. Cæterum vbi *triginta* annos ponit, vel manifeſtus error in numeri notam, vt procliue eſt, irrepſit: vel anni *triginta* ad vtramque Eccleſiam, TVNGRENSEM, & *Leodienſem* referendi ſunt.

Teſtimon. 43. Idem capite, quo ponit *Sancta, & magnifica opera* S. HVBERTI: S. HVBERTVS, *authoritate Apoſtolicâ per Papam Ioannem ſibi commiſsâ*, *Synodum 30. Epiſcoporum congregauit: quorum ordinatione* TVNGRENSEM *Eccleſiam tranſtulit.* Quid clarius? In antiquo MS. Andaïnenſi extat *Vita S. Beregiſi*, primi Andaïnenſis Abbatis, conſcripta ab Authore anonymo. Ex eâ etiam Teſtimonia petamus.

Teſtimon. 44. ANONYMVS in vitâ S. Beregiſi: *Vſquequò digna memoria VValcandus Pontificatui* TVNGRORVM *præficeretur.* Eſt hic *VValcandus Leodienſis* Epiſcopus, is, qui S. HVBERTI corpus *Andaïnum* tranſtulit. Et tamen TVNGRENSIS appellatur.

Teſtimon. 45. Idem, ibid. de eodem *VValcando* ſic loquitur: *Conſenſu omnium primorum Regni, Beati Confeſſoris* HVBERTI, *quondam*

TVNGRORVM *Præſulis corpus---- huc tranſuexit,&c.*

Teſtim. 46.Idem ibidem: *Conſtat,*S.HVBERTVM *in Pontificatu* TVNGRORVM , *ſucceſſorem Epiſcopi,& Martyris Lamberti,per annos plurimos extitiſſe,&c.* Hunc ſequatur *Marlianus,*accuraratus Cæſaris explicator.

Teſtim. 47. RAYMVNDVS MARLIANVS, Comment. ad Iulium Cæſarem : TVNGROS *Belgarum populos Tacitus facit. Hi cis Rhenum, & Moſam inter Eburones numerantur.Oppidum eſt, nomen retinens, olim ciuitas* Epiſcopalis. *Huius* SEDES *poſthac fuit ad Leodienſem vrbem translata.* Iungamus his aliquanto poſteriores: interque hos primo loco *Chapeauillum,*qui præ cæteris *Tungrenſium,* & *Leodienſium* Epiſcoporum Hiſtoriam diligenter excuſſit , & ex profeſſo.

Teſtimon. 48. IOANNES CHAPEAVILLVS *Canonicus & Vicarius Leodienſis,* Tom.1. Annot. ad Anſelmi *Theodardum*, cap. 2. pag. 102. C. *Conſilio S. Remacli*, TVNGRENSIS *Epiſcopi, &c.*

*Teſtim.*49. Idem ad Anſelmi HVBERTVM, cap. 37. pag. 137. D. An SEDES *Traiecti aliquando fuerit,* MERITO *dubitari poteſt. De hoc vide , quæ habet Nicolaus in vita* S. *Lamberti, cap 4.* Indicat Chapeauillus, ſe hâc in re *Nicolai* ſententiam, eo cap. 4. indicatam, ſequi. Vide, quæ de eâ diximus Teſtim. 23. & 24.

Teſti-

Teſtimon. 50. Idem ad Godeſchalci *Lambertum*, cap. 7. pag. 337. C. *De ſitu, & habitu Legiæ, de Eccleſiolâ, in eâ, per Monulphum Epiſcopum* TVNGRENSEM, *in honorem SS. Coſmæ, & Damiani, ædificatâ, &c.* Chapeauillo iure ſuo adiungitur *Ægidius Bucherius* noſter, cuius doctiſſimas, ac diligentiſſimas *Diſputationes*, *Tabulasq; Chronologicas*, ſuis Tomis ipſe Chapeauillus, vt magnum ſubſidium, lubens, & gratulabundus adiunxit.

Teſtimon. 51. ÆGIDIVS BVCHERIVS, *Societ.* IESV *Sacerdos*, in *Diſputatione Hiſtoricâ, de primis Tungrorum, ſeu Leodienſium Epiſcopis.* Hic ipſe Diſputationis *Titulus*, ſatis te, Lector, docet, non agnoſci ab Authore Epiſcopos *Traiectenſes*, qui ſolos *Tungrenſes*, & *Leodienſes* nominat.

Teſtimon. 52. Idem, cap. 6. pag. 48. num. 95. *Qui Traiecti reſedêre Pontifices, non tam Traiectenſes à Domicilio, quàm ab antiquiſſimæ Sedis nobilitate Tungrenſes appellati ſunt.* Quam clarè *Traiectum* pro ſolo *Domicilio habet*! Idem Bucherius laudando, & imitando exemplo, diligentiam inſtaurat ad finem Tomi ſecundi: vbi *Addenda* proponit ad *Diſputationem Hiſtoricam Tomi primi.* Eo igitur loco, in ijs, quæ addi vult ad Cap. 6. tum illa ipſa fere repetit, quæ iam de *Domicilio*, & *ſede*, deſcripſi: tum etiam hoc Teſtimonium addit:

Teſtimon. 53. Idem, in Addendis ad Cap. 6.

Quin & Leodienſes primos viginti tres, eumdem titulum vſurpaſſe (id eſt, TVNGRENSES vocatos) *docent antiqua Imperatorum, Pontificumque Diplomata; quantumuis fixum Leodij rerum ſuarum Domicilium ſtatuiſſent ---- donec Henricus primus Leodienſis Epiſcopus, à Summo Pontifice, & Imperatore, circa annum Chriſti* 1080. *obtineret, vt Epiſcopatus hic, deinceps non* Tungrenſis, *ſed* Leodienſis *ſimpliciter appellaretur, vt M.S. Codex antiquus Canonicorum Regularium* Tungrenſium, *fidem facit: & approbant inſequentia omnia Diplomata, quæ Epiſcopos* Leodienſes *dumtaxat indigitant.* Hoc Teſtimonium geminum cenſeri debet: & recens, inquam, à Bucherio; & antiquum ab allegato M.S. Sequuntur iam aliquot loca ex Molano

Teſtim. 54. IOANNES MOLANVS Doctor, & Profeſſor Louanienſis celeberrimus, in *Natalibus S. Belgij*, 19. Martij, in Landoaldo: *Landoaldus*, inquit, *totos nouem annos ſummâ cum laude vices eius(* Amandi Epiſcopi) *geſſit in adminiſtratione Epiſcopatus* Tungrenſis. Profitetur Molanus, ſe hæc ſcribere ex *Nodgero Epiſcopo*, & *Officio Eccleſiaſtico Gundauenſi.* Eſt ergo iterum hoc Teſtimonium inſtar trium.

T*eſtim.* 55. Idem, 17. Septemb. in Lamberto, *ex Stephano, Vitæ Scriptore, Chronicis* Leodienſium, *& cæteris: Faramundum quendam intruſit, per quem* Tungrenſis *Eccleſia experiendo didicit, &c.*

Teſti-

Teſtimon. 56. Idem 1. Octob. in Bauone: *Contemtis opibus,& honoribus, atque à B. Amando* TVNGRORVM *Epiſcopo, Chriſti gloriam plenius edoctus, &c.* Hæc ex Molano: qui, ſi alibi etiam *Traiectenſem* Eccleſiam nominat, exponendus eſt ex ijs, quæ ſuprà de ſimilibus diximus. Hauriamus etiam aliquid ex *Meyero Annalium Scriptore* accurato,& diligente.

X. *Teſtimon.* 57. MEYERVS, Anno 512. *Coacta fuit Aureliani Synodus Sacerdotum,decretaque in Eccleſiâ permulta vtilia. Inter alia Agricolaus filius Cuſtodis Flandriæ, de ſententiâ Domini Remigij,factus Epiſcopus* TVNGRORVM,*qui vndeuiginti per annos eam adminiſtrauit Eccleſiam.*

Teſtim. 58. Idem, anno 633. *Amandus Elnonenſis, decus eo tempore Religionis,creatur Epiſcopus* TVNGRORVM, *quibus tum Sedes Epiſcopalis erat Traiectum,quod Veteres Vtriceſium nominarunt. Sedes* hoc loco intelligendum eſt *Domicilium* dumtaxat,vt locus ipſe clamat. Nec enim vocat *Traiectenſium* Epiſcopum,ſed TVNGRORVM,quia hic Titulus; ibi habitatio.

BARONIVS Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorum Princeps,vt eſt in Controuerſijs hiſtoricis diſceptandis,diligens,acutus,ſolidus: ita non omnia diſputauit : nec verò diſputare potuit. Itaque etiam hanc Diſputationem, nuſquam, quod ſciam attigit: Loquitur fere, vt apud varios Authores reperit , nihil ſolicitus, quàm

pro-

propriè. Id apparet, non modò in *Annalibus*, ſed & in *Notis ad Martyrolog. Rom.* vt infrà oſtẽdàm. Tamen, ne aſymbolus fuiſſe videatur, vnum ex illo locum annotemus.

Teſtimon. 59. BARONIVS anno Domini 922. quod ſuprà Teſtimon. 41. ex *Frodoardo* retulimus, non modò ſuis verbis, & calculo approbat: ſed & *Frodoardo* pondus addit, dum eum teſtatur fideliter res ſui ſeculi deſcribere.

Cur omittam hoc loco inter *Recentiores*, duos Teſtes idoneos, in Hiſtoriâ Epiſcoporum, de quibus agimus, eò magis verſatos, quòd in ipsâ S. *Lamberti* Eccleſiâ verſati, eius primordia ſtudioſè ſcrutati ſunt, & ſententiam ſuam, etſi obiter, & quaſi aliud agendo, ſcriptis mandarunt? Eorum prior eſt Reuerendus admodũ, Generoſus, & Illuſtris D. *Franciſcus Montmorancius*, Cathedralis Eccleſiæ Leod. Decanus: at poſtmodum, Religiosâ humilitate pectus perculſus Societati IESV aſcriptus, calcato ſeculo, & eius pompâ.

Teſtimon. 60. P. *Franciſcus Montmorancius, Societat.* IESV *Sacerdos ex Decano Leodienſi*, in *Hendecaſyllabo*, quod tertio Tomo Hiſtoriæ Pontificum Leod. Chapeauilli præfixit:

Cenſes Hiſtorias, quibus per annos
Huc deducitur vſque ſeſquimelle
Obſeruatio firma Chriſtiani
Ritus, relligionis & receptæ
A Tungris ſemel, Eburonibuſque,

Aſſer-

Aſſertoribus vnicis ſacrorum,
Materno didicere qua Magiſtro,&c.

Omittit *Traiectenſes*, vt apud quos nunquam *Epiſcopalis Sedis Titulus* fuerat; etſi alioqui negandum non eſt, neque verò ipſe Montmorancius negaret, ipſos quoque, vt & alios multos, *Aſſertores* fuiſſe *Sacrorum.*

Poſterior eſt *D. Daniel Raymundi, S. Materni, in Eccleſiâ Cathedrali Leodienſi, Canonicus*; quem Chapeauillus Tom. I. Præfatione ad Lectorem, vocat *Doctrinâ, Hiſtoriarumque Leodienſium ſcientiâ commendabilem*: quod & ego teſtari poſſum, qui coràm cum illo egi, expertuſque ſum inſuper humaniſſimum.

Teſtimon. 61. D. DANIEL RAYMVNDI, Verſu in *Hiſtoriam Pontificum Leodienſium*, tom. I.

Longâ Pontificum ſerie, quos Legia TVNGRIS
TRANSLATOS *Chriſto Relligioſa colit.*

Habet hic quidem verbotenus, & ex profeſſo, meam Aſſertionem, *Sedem* à S. HVBERTO *Legiam*, ſiue *Leodium translatam*, non, *Traiecto*, ſed TVNGRIS.

XI. Poſſem & aliorum, qui etiamnum viuunt, alia teſtimonia afferre, cum quibus coram collocutus ſum, atque adeò nonneminis ex ipſo *Clero Traiectenſi*: ſed cum nihil ſcripto vulgauerint, neque mihi conſtet, velintne aliunde vulgari, malui abſtinere.

Duo mihi reſtant Teſtimonia, quæ, cum neque omnino antiqua ſint, neque prorſus recen-

tia, in hunc locum reſeruaui, tamquam mediæ ætatis. Referuntur à *Suffrido Petri* Iuriſconſulto, Tom. 3. Chapeauilli, in *Ioanne Horneo*, Epiſcopo Leodienſi. Inſerit hic Hiſtoriæ ſuæ *Hiſtoriam Viſitationis Feretri S. Lamberti Martyris, & aliarum Reliquiarum Eccleſiæ Leodienſis* ab Authore Anonymo ſcriptis mandatam, eo ipſo tempore, viuente, & rerum, quas narrat, ſpectatore: nempe anno 1489.

Teſtim. 62. Anonymus Tom. 3. Chapeauilli pag. 218. B. *Adueniente die, quo venerandum Martyris antedicti* (Lamberti) *corpus, ante annos octingentos, à Traiectenſi vico, per Sanctiſſimum Dominum Antiſtitem* HVBERTVM *primum* Leodienſem, *& vltimum* TVNGRORVM *Præſulem, ad inſignem locum, &c.*

Teſtim. 63. Idem pag. 226. 227. *Item Baculus paſtoralis, quem ---- Angelus Domini miraculosè præſentauit Papæ Sergio ---- quodque* S. HVBERTVM *---- præficeret in Epiſcopum* TVNGRENSEM. *Quod & Papa fecit Sergius, &c.*

TERTIA CLASSIS.

Eximij Authores extra ordinem, omni exceptione maiores.

Non debuiſſe hos in turbam conijci, tu ipſe, candide Lector, iudicabis, quòd authoritatem habeant ſupra vulgus, &, quæ ſola vel vnius, etiam peruicacem conuincere

poſſit.

poſſit. Nam ſi Teſtium *Perſonas* ſpectes, nihil ſublimius: ſi *Scriptorum* rationem, eiuſmodi ſunt, à quibus tum omnis error abeſſe ſolet, tum maximè *Perſonarum*, ne alteri conceſſum videatur, quod alteri fuit donatum. Hoc, ſi iam obſcurum tibi videtur, paulò pòſt abundè clarebit. Incipiamus à *Regibus*, qui ſuis *Diplomatibus* oſtendunt, ſe nunquam agnouiſſe Epiſcopos, niſi TVNGRENSES, & *Leodienſes*: imo & hos ipſos vocitaſſe TVNGRENSES.

REGES.

Teſtimon. 64. LVDOVICVS REX anno Chriſti 908. & Regni ſui octauo, *Stephano Leodienſi Epiſcopo*, dato *Diplomate* confirmat Principum priorum Donationes, additque inſuper alia, idque, vt ipſe ait, Ob DEI, ſanctæque Mariæ, atque *Lamberti Martyris* amorem. Sed cui Eccleſiæ confirmat? cui donat? *Cuncta*, inquit, *quæ retrò omnibus temporibus*, TVNGRENSI *Eccleſiæ fuere tradita à noſtris Prædeceſſoribus, pari voto*, EIDEM *habenda concederemus.* Et paulò infrà: *Suæ iam* DICTÆ *Eccleſiæ, ipſius precatu, dedimus.* Iterum: *Quæ ibi nunc ſunt, vel iuſtè acquiri poterunt iam ſæpius* DICTÆ *Eccleſiæ, Paſtorique præſenti Stephano, & qui* DEI *nutu venturi ſunt, æternaliter poſſidenda concedimus.* Firmat hæc in fine manu, & ſigillo. Quid ad hæc dici poteſt? Ducentos iam annos *Sedes Leodij* erat; nec adhuc aſſuefieri poſſunt Principes, vt

vocent, niſi TVNGRENSEM. *Stephanus decimus* erat *Leodienſis Epiſcopus*, & adhuc TVNGRENSIS, antiquâ appellatione, dicitur. Cur non potius *Traiectenſis?* nam id nomen multò recentius erat, ſi modò vnquam *raiectenſes* Epiſcopi fuerant. At lapſus eſt ſcribæ, qui pro *Traiectenſi* TVNGRENSEM ſcripſit: & alijs maioribus occupatus Rex, non attendit. Nugæ. Cur errorem ſaltem non correxit *Ernuldus Cancellarius*, qui *ad vicem Ratpodi Archicancellarij recognouit?* Ne tergiuerſemur, ſed veritatem ſimpliciter, & ingenuè agnoſcamus, & amplectamur. Hæc omnia leges apud Chapeauillum, Tom.1.pag 168.in *Stephano*, cap.40. Eſt autem hic *Ludouicus Germaniæ Rex*, Arnulphi filius.

Teſtim. 65. CAROLVS REX *Francorum*, Ibid. pag.169. *Noſtram adierunt Excellentiam, poſcentes prorſus, vti interuentu Stephani, venerabilis* TVNGRORVM *Epiſcopi ---- partibus* S. DEI *genitricis Mariæ, almique Martyris Lamberti, in proprium traderemus Foreſtem, &c.* Infrà: *Gonſuinus Notarius ad vicem Heriuei Archiepiſcopi, ſummique Cancellarij, recognouit.* Datum eſt hoc Diploma eidem *Stephano*, à *Carolo ſimplici*, anno Chriſti 915.

Teſtimon. 66. OTTO REX in alio Diplomate, eod. Tom.1. pag.•11. ſic loquitur: *Adijt Celſitudinem noſtram fidelitatis noſtræ promtiſſimus executor Notkerus, Tungrenſis, ſeu* Leodien*ſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopus, petens, &c.* Vbi manet

manet Epiſcopatus *Traiectenſis*, qui inter iſtos duos fuiſſe à quibuſdam perhibetur? Scriptum eſt hoc Diploma trecentis circiter annis poſt translatam Leodium, Sedem.

Teſtim.67. HENRICVS REX, eodem tomo 1 pag.212. alio in Diplomate : *Vir venerabilis Notkerus, Tungrenſis , ſeu* Leodienſis *Epiſcopus, quoddam præceptum noſtris obtulit obtutibus,&c.* Ita anno 1006. *Eberhardus Cancellarius , vice VVilligiſi Archiepiſcopi, recognouit.*

XII. *Teſtimon.68.* OTTO REX, ibid. pag. 214. in alio Priuilegio : *Adijt Celſitudinem noſtram, venerabilis, & fidelitatis noſtræ in omnibus executor, Notgerus* Tungrenſium, *vel* Leodienſium *Epiſcopus,&c.*

Teſtim.69. Idem, eodem Priuilegio, pag.215. *Super id, quod ab Anteceſſoribus noſtris, Regibus, vel Imperatoribus, Eccleſiæ iam dictæ* Tungrenſi, *vel* Leodienſi, *conceſſum fuerat,&c.* Et hoc Diploma *Hildibaldus Epiſcopus , & Cancellarius, vice VVilligiſi Archicapellani, recognouit.*

Teſtim.70. HENRICVS REX, tomo 2. pag. 13 anno Chriſti 1070 id eſt 360. annis poſt Sedem Tungrenſem Leodij collocatam: *Vir venerabilis Dietvvinus,* Tungrenſis Eccleſiæ *Epiſcopus, quadam præcepta noſtris obtulit obtutibus, quæ erant ſecundi Ottonis Imperatoris, & tertij, & Henrici, & aui noſtri Chuonardi, & patris noſtri, piæ memoriæ, Henrici manu firmata, & ſigillo ſignata: in quibus dicebatur , quod non ſolum ipſi, ſed &*

Anteceſſores eorum, *Reges ſcilicet Francorum, Pipinus, Carolus,* Ludouicus, *Lotharius, & item Carolus, cæterique Reges anteceſſores, & ſucceſſores eorum,* EIDEM *Eccleſiæ* S. *Mariæ, &* S *Lamberti, cui, præſtante* DEO, *idem Epiſcopus praeſt; per authoritatis ſuæ præcepta contulerant*, *&c.* Hæc paulo plura deſcribere placuit, quòd ſignificet Henricus Rex, omnes illos Principes, T*ungrenſem* item Eccleſiam vocaſſe.

Sat multa iſta videntur à *Regum* authoritate. Etſi me non latet, ex his ipſis *Regibus*, aliquot etiam *Imperatores* fuiſſe. Sed ego eâ nuncupatione vſus ſum, quâ & ipſi, ipſis in Diplomatibus, vtuntur. Venio iam ad eos, qui ſe in ſimilibus ſcriptis, *Imperatores* vocant.

IMPERATORES.

Teſtim. 71. LVDOVICVS IMPERATOR, tom. 1. pag. 148. in *Donatione*, quâ Leodienſem Eccleſiam bonis auget: *Fidelis noſter*, *venerabilis Fulcarius* Tungrenſis *Epiſcopus, noſtram expetiuit manſuetudinem*, *qualiter neceſſitudini eius conſulentes, res* PRÆDICTÆ *Eccleſiæ ipſius, Regali authoritate noſtrâ aliquantiſper augmentare deberemus, &c.*

Teſtimon. 72. LVDOVICVS IMP. ibid. 154. *Richardus fidelis noſter innotuit nobis*, *qualiter VValcandus Tungrenſis* Epiſcopus, *& Rector Monaſterij* S. *Lamberti Martyris Chriſti, &c.* Eſt hic

VVal-

VValcandus ſextus à S.HVBERTO, qui *Sedem* Leodium tranſtulerat: idemque HVBERTI Corpus Andaïnum deuexit.

Teſtim. 73. CAROLVS IMP. ibid. pag. 161. *Nouerit ---- qualiter nos ---- quaſdam res proprietatis noſtræ ad partem* S. *Mariæ, ſanctique* Lam*berti*, Eccleſ*iæ Tungrenſis, vel* Leodi*enſis, cui præeſt venerabilis Franco* Epiſ*copus, iure perpetuo in proprietatem conceſſimus, &c.* Nonus hic *Franco* fuit à S.HVBERTO. Hoc Diploma W*aldo* Epi*ſcopus ad vicem* Linq*uardi Archicancellarij recognouit*, anno Chriſti 884.

T*eſtimon.* 74. Idem Imp. eodem Diplomate, pag. 162. *Mancipia inſuper illa vtriuſque ſexus, quæ in Tungris, ac* Leodio *reſidere, & manere noſcuntur ---- vniuerſa* EIDEM *Eccleſiæ perpetualiter habenda, &c.*

PONTIFICES ROMANI.

Teſtimon. 75. LEO PAPA NONVS in *Diplomate, quo contentionem Malmundarienſium, contra* S*tabulenſes*, componit, tom. 2. Chapeauilli, pag. 575. *Quia B. Remaclus, vtriuſque Monaſterij conſtructor, & Tungrenſium antea* Epiſco*pus, & Paſtor*, &c. Conſtat, hunc S.*Remaclum Traiecti* habitaſſe, & ante illum plures alios. Diplomati ſubiungitur: *Data 3. Non. Septemb. per manus Petri Diachini, Bibliothecarij, & Cancellarij S. Sedis Apoſtol. anno Domini Leonis noni*

Papæ

Papæ 1. Indictione 3. anno Dominicæ Incarnationis 1048.

Teſtimon. 76. LEO PAPA TERTIVS, *Epiſcopatus* TVNGRENSIS *Sedem* agnoſcit, adhuc ſub *Walcando*, ſexto Leodienſi Epiſcopo, vt videbis infrà, Teſtimonio 87. Audiamus iam & *Concilia.*

CONCILIA.

XIII. Si vſquam credendum eſt, homines cogitatè, & ſeriò loqui; maximè ſanè in *Concilijs* id fieri credendum eſt: maximè autem in *Vniuerſalib. Concilijs.* Ergo & illa audiamus.

Teſtimon. 77. CONCILIVM VNIVERSALE TVLLENSE, ſub Nicolao Rom. Pontifice, apud Baron. tom. 10. Annal. anno 859. ita Wenilonem citat: *Dilecto, ac venerabili Weniloni, Senonum Metropolitano,*

Remigius Lugdunenſis Metropolitanus Epiſcopus:

Rodolphus Biturigum Metropolitanus Epiſcopus:

FRANCO TVNGRENSIS *Epiſcopus*, &c. *in Domino ſalutem.* Hoc Teſtimonium, vt eſt *Concilij* hunc *Franconem*, TVNGRENSEM agnoſcentis, ita eſt ipſius *Franconis de ſeipſo*: ac proinde meritò infrà repetetur inter *Epiſcopos*; Teſtim. 84.

Teſtimon. 78. CONCILIO *Englehemenſi*, iuſſu *Agapiti Papæ*, congregato, anno 948. (vide Baron. illo anno) ſubſcripſerunt

Rotber-

Rotbertus Treuirenſis Archiepiſcopus,&c.

Alij multi, inter quos &

FARABERTVS TVNGRENSIS.

De hoc Teſtimonio iudicandum, vt de proximo.

Teſtimon. 79. *Aruernenſi Synodo*, anno 541. interfuit S.*Domitianus* Epiſcopus, eique ſubſcripſit (teſte Molano, in Natalibus SS. Belgij, 7.Maij) his verbis: *Domitianus in Chriſti nomine, Epiſcopus Eccleſiæ* TVNGRORVM, *quod eſt Traiectum, ſubſcripſi.* Poſteriorum verborum quænam ſit ſententia, infra dicam, cum idem referam, Teſtimonio 86.

EPITAPHIA.

XIIII. Vt inſanire diceremus eum, qui *Conſtantinopolitano* Epiſcopo, in Sepulcri Inſcriptione, Titulum daret *Alexandrini*: ita, qui ſano ſit iudicio, in hoc noſtro Tractatu, eodem iure, meritò iudicabit.

Teſtim. 80. DVRANDVS viceſimus fuit in Sede *Leodienſi* à S. HVBERTO Epiſcopus. Eius tamen EPITAPHIVM ab Ægidio relatum (tom.1.Chapeauilli, pag. 260.) hæc habet:

DVRANDVS *iacet hîc, qui paulo plus tribus annis*
TVNGRENSEM *rexit nobiliter Cathedram.*

Quod ſequitur Teſtimonium, octoginta iam

habet, vt vides, ante ſe. Auſim tamen dicere, ſi primum eſſet, & vltimum, id eſt, ſolum, ſufficere tamen debere, cuiuis, quantumuis peruicaci, conuincendo : aut nihil in poſterum fore, quod ſufficiat.

Teſtim. 81. Tomo 3. *Chapeauilli*, pag. 214. refertur à *Suffrido Petri*, *Viſitatio feretri B. Lamberti Martyris, ab Authore Anonymo*, ipſius rei ſpectatore, & teſte Oculato *ſcripta*, anno 1489. Eius verba attende, Lector. *In ipſo feretro repererunt Sarcofagum pulcherrimum, nobili opere conſtructum, rubicundum, in cuius ſuperſcriptione habentur hæc verba*: Loculus S. Lamberti Martyris, & Pontificis, *de antiquâ litterâ conſcripta. Quo aperto, & interius mundiſſimâ ſyndone ſubducto ---- repererunt vnum Epitaphium plumbeum, in quo de antiquâ litterâ habentur hæc verba*: Sanctus Lambertus Martyr, & Pontifex; *vna cum quodam alio Epitaphio cupreo, deaurato, in quo habentur hæc verba*: CHRISTI MARTYR, *&* TVNGRORVM *viceſimus nonus, & penultimus Epiſcopus* LAMBERTVS *hîc requieſcit, cuius ſacratiſſimum corpus hic repoſitum eſt à Leodienſi Epiſcopo Alberone ſecundo, 14. Kalendas Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini 1143. poſt triumphatum autem, & receptum Bullionem, anno 3.* Iterum dico, cui non facit ſatis hoc teſtimonium, neſcio, quid illi ſatis eſſe queat.

Teſtimon. 82. Ibidem Idem Author *Anonymus*

mus refert inter alia, religioſè tunc exhibita, etiam *Feretrum S. Theodardi Epiſcopi* T*ungrenſis*. Fuit hic *S.* T*heodardus* ex ijs Epiſcopis, qui Traiecti habitarunt, proximus ante *S.Lambertum*, S.*Remacli* Succeſſor.

EPISCOPI IPSI.

Epiſcopi ipſi, ſiue TVNGRENSES erant, vt nos contendimus; ſiue T*raiectenſes*, vt quibuſdam placet, ſciebantne, quid tandem eſſent? Certè ſenſu communi carere videatur, qui dubitet: quid ille, qui neget? Audiamus illos.

T*eſtim*.83.STEPHANVS à S.HVBERTO decimus *Leod.Epiſcopus* Geſta ſcripſit *S.Lamberti*, quæ extant tom.1.Chapeauilli pag.351.ſeq. Dedicat opuſculum *Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo*. Ipſius *Dedicatoriæ* initium eſt:

Domino Patri Hermanno Archipræſuli, STEPHANVS humilis T*ungrorum Epiſcopus*. Occlamet quis, delirare hominem; ſuum ipſius nomen ignorare: T*ungrenſem* non fuiſſe, cum tot ante illum T*raiectenſes* fuiſſent, imò & *Leodienſes*.

T*eſtimon*.84. *Franco Epiſcopus*, T*ungrenſem* ſe vocat, & quidem in *Synodo*, in quâ lapſus tali in re vel minimus, fuiſſet tamen turpiſſimus. Legiſti antè in Teſtimonio 77.

T*eſtimon*.85. Idem in *Faraberto* obſeruaſti, Teſtim.78.

*Teſtimon.*86.S.*Domitianus* verò Teſtim. 79. quid dixit? quid in *Synodo Aruernenſi* ſcripſit? *Domitianus in Chriſti nomine, Epiſcopus Eccleſiæ* T*ungrorum, quod eſt* T*raiectum, ſubſcripſi.*

Aliorſum hoc Teſtimonium trahet quiſpiā, quem trahit affectus, clamabitque ab hoc Sancto diſertè nominari T*raiectum.* Hoc, quia aliquid vero ſimile eſſe videtur, ne contemtim reijciamus, ſed quale ſit, tranquille conſideremus. Primum, ingenuè fateor, mihi ægrè perſuaderi, ita à S.*Domitiano* fuiſſe ſcriptum, cum connexio verborum nulla appareat, niſi barbara, & ex quâ nihil ſani ſenſus elicias. Nam cur non potius diceret, *Quæ eſt* T*raiecti*? aut, *Quæ eſt* T*raiectenſis,* aut T*raiectenſium*? Arbitror igitur gloſſema eſſe cuiuſpiam, qui ſignificare volebat, Epiſcopum non T*ungris*, ſed T*raiecti* reſidere. Id vel inter lineas aſcriptum, vel margini; poſtea, imperito exſcriptore errorem augente, in Contextum irrepſit. Sed hæc coniectura dumtaxat mea eſt, quæ Lectoris fidem extorquere non poteſt, non debet. Aliter igitur etiam reſpondeamus: quod minimè erit difficile. Scripſerit ſanè ita Sanctus ille Antiſtes. Quid aliud inde efficias, niſi Eccleſiæ T*ungrenſis Epiſcopum, & primarium Clerum* T*raiecti habitare?* Nam cur alioqui non dicebat ſe, & ſcribebat *Epiſcopum* T*raiectenſem*? cur tam diſertè ſcribit, *Eccleſiæ* T*ungrorum*? Si igitur hoc ſcripſit, id tantum voluit, ac ſi ſcripſiſſet, *Epiſcopus*

ſcopus Eccleſiæ TVNGRORVM, *quam aliqui propter habitationem Epiſcopi, & Cleri,* T*raiectenſem vocant.* Neque verò quenquam moueat, quòd in Editione *Conciliorum* vltimâ, Coloniæ à *Binio* adornatâ, ad hunc locum aſcribitur, TVNGRENSEM *Eccleſiam* T*raiectum fuiſſe translatam, & inde Leodium.* Annotatio eſt, non *Concilij*, ſed *Binij*, aut alterius cuiuſpiam, obiter poſita ad aliquam illius *ſubſcriptionis* explicationem. At nos aliter explicauimus, & Explicationem noſtram *ſupra octoginta teſtimonia* hactenus roborant. Neque adhuc finis eſt.

T*eſtim.* 87. WALCANDVS *Leodienſis Epiſcopus ſextus*, qui S. HVBERTI corpus *Andainum* tranſtulit, qui *Andaïnenſe Monaſterium* reſtaurauit, & reditibus inſigniter auxit, in ipſis *Donationis Litteris*, in quibus nihil poni ſolet, niſi maturâ omnino deliberatione; eidem tamen noſtræ ſententiæ accedit. Eſt earum Litterarũ fragmentum in *Cantatorio* (de cuius libri authoritate alibi diximus) non ita procul ab initio: de quibus ita Author: *Quæ Priuilegia* (ſic vocat, quas dixi Litteras) *licet ex magnæ deuotionis affectu condidiſſe videretur, moroſo tamen conſilio, & ſæpius ventilato aſſenſu Cleri, & Senatus, & quorumcunque Nobilium, & Sapientium Leodienſis Eccleſiæ: ſed & conſenſu Metropolitani ſui Colonienſis Hildeboldi Pontificis: Authoritate etiam Leonis Romani* P*ontificis* (Tertij) *& atteſta-*

teſtatione pijſſimi Imperatoris, filij Caroli mãgni, ea condidit, & Canonicâ confirmatione roborauit. In ipſo deinde Litterarum, quod dixi, fragmẽto, præter alia, etiam hæc ponuntur, apta ad rem noſtram: *Poſtquam ergo iſta, gratiâ DEI, rationabiliter à nobis per omnia ordinata, ad aures Imperiales deueniſſent, magno gauiſus eſt Imperator gaudio. Cœnobium nomine Subiulis, in quo dicata DEO erant moniales, partibus S. Mariæ, & S. Lamberti, cum omnibus ſuis appenditijs, tradidit iure firmiſſimo, vt Epiſcopatus* TVNGRENSIS SEDIS *in nullo minorari videretur, pro rebus, quas DEI ſeruis in Monaſterio præfato conceſſimus.* Hoc Teſtimonium, Lector ingenue, non tantum eſt *Epiſcopi Walcandi*, ſed & *Cleri, & Senatus, & Nobilium, & Sapientium, & Hildeboldi Archiepiſcopi, & Ludouici Imperatoris, & Leonis Rom. Pontificis*: vt merito pro octo Teſtimonijs, aut etiam pluribus, haberi debeat.

Quid poſt hæc omnia tibi faciam, dure Lector, ſi quis es, qui necdum acquieſcis? viſne, poſt tot, & tales Mortales Teſtes, etiam *Immortales* tibi producam? Age, in hoc quoque geratur tibi mos.

IMMORTALES.

Teſtimon. 88. ANGELVS à B. VIRGINE, DEI Matre, & DEO ipſo miſſus, *Pedum Epiſcopale S. Lamberti, Stolamque* cœlitus deferens; S. SERGIVM

CIVM Papam ſic alloquitur: *Diligenter, frater, iis, quæ tibi à* DOMINO*, per me manifeſtantur, intende, & fidem verbis adhibe, & quod præcipietur, ſtudioſius exequere. Lambertus* TVNGRORVM *Epiſcopus, hâc ipsâ horâ intra ſanctuarium Domini, ab impijs eſt pro pietate immolatus --- En eius Paſtoralem Baculum, in quo gregem Chriſti ſibi creditum, vigilanter rexit, & pavit, à loco paſſionis eius, tibi ſubitò translatum, ſuſcipe ---- In hoc ſubſtitues ad Regimen* TVNGRENSIS *Eccleſiæ, tali viro dignum hæredem, & ſucceſſorem, ipſius Lamberti doctrinâ, & moribus inſtitutum, à DEO in Sacerdotem iam electum* HVBERTVM *nomine.* Teſtatur hic *Angelus*, Epiſcopum TVNGRENSEM fuiſſe *Lambertum*, & DEI nomine HVBERTVM TVNGRENSEM conſecrari iubet. Quid vltra dubitemus? At quis ſcripſit? non vnus Author. Narrat hoc *Nicolaus* Vitæ S. Lamberti cap. 17. Narrat vetus M. S. *Gemblacenſe* in Vitâ S. HVBERTI. Narrat Scriptor *Conuerſionis* S. HVBERTI vt legere potuiſti in priore parte vitæ, & in Notis meis num. 39. & 42. Denique, vt antiquitus notum, & teſtatum refert Anonymus, qui *Hiſtoriam* ſcripſit *oſtenſionis Reliquiarum*, à *Suffrido* relatus in *Ioanne Horneo*, tom. 3. Chapeauilli pag. 227.

XV. Iam, ſpero, credet quiuis, TVNGRIS fuiſſe *Sedem*, & *Titulum Epiſcopalem*, donec Leodium à S. HVBERTO translatus eſt: atque

adeò

adeò ægrè obtineri potuiſſe, vt *Leodienſis* tandem *Epiſcopatus* ſimpliciter diceretur; adeò inoleuerat TVNGRENSIS nuncupationis conſuetudo. Vide, quæ notauimus Teſtimon. 53. Sed antequam hanc ſat longam tractationem claudam, ſunt, quæ te in hoc ipſo tot *Teſtimoniorum* Exercitu notare velim. *Primum* eſt, *Teſtes* eſſe omnis generis, & in ijs Illuſtriſſimos, Sanctiſſimos, Oculatos, & rebus ipſis præſentes, idque diuerſis temporibus, non diuerſa teſtantes: &, quod omnia ſuperat, ipſos *Epiſcopos*, de quibus quærimus. Niſi quòd maius etiam eſt, DEVM ipſum per *Angelum* ſuum idem loqui. *Alterum*, in Teſtimonijs allatis, *Modos loquendi* tales eſſe, vt tergiuerſationi, aut detortæ interpretationi locus ſit nullus. In ijs enim legas *Sedem* TVNGRENSEM, *Eccleſiam Tungrenſem*, *Epiſcopum* T*ungrenſem*, *Archiepiſcopum* T*ungr. Pontificalem Apicem* T*ung. Parochiam* T*ung. Epiſcopum* T*ungrorum*, *Regimen Eccleſiæ* T*ung. Diœceſin* T*ung.* P*ræſidere Eccleſiæ* T*ung.* P*ontificalis Cathedræ* T*ungrenſis Dignitatem inconcuſſam*, *Cathedram* T*ungr.* P*ontificem Tungr. Epiſcopium Tungrenſe*, TVNGRENSEM *Eccleſiam* TRANSLATAM, P*ontificatui Tungrorum præfici*, T*ungrorum* P*ræſulem*, P*ontificatum* T*ungrorum*, T*ungrorum* S*edem* L*eodium tranſlatam*, P*ontifices Tungris tranſlatos*, P*rimum Leodienſem*, *& vltimum Tungrorum* P*ræſulem*, T*ungrenſem*, *ſeu Leodienſem* E*piſcopum*, E*ccle-*

Eccleſiam Tungrenſem, vel Leodienſem, Tungrenſem Cathedram regere, TVNGRORVM *viceſimum nonum,& penultimum Lambertum Epiſcopum.*

T*ertium*, quod notandum iudico, illud eſt, Loca aliquot ex his eſſe, quæ ex profeſſo aſſerant *Sedem* TVNGRENSEM, *Traiectenſem* negent. Quod contra nunquam fieri videas. *Quartum*, Si vnquam *Sedes* & *Titulus Epiſcopalis Traiecti* fuiſſet, mirum planè eſſe, nunquam Principi alicui, aut Pontifici, ſaltem excidiſſe, vt Epiſcopum aliquem, *Traiectenſem* vocaret: imò nec vllum ex Epiſcopis ipſis ſuæ *Sedis*, ſui *Tituli*, poſtremò ſuæ *appellationis* meminiſſe. Credat hoc, qui quiduis credere poteſt.

Obiectiones, quas quidam meæ huic certiſſimæ Aſſertioni opponunt, ſuprà, vt ſe offerebat oportunitas, reieci. Tamen, ne quid diſſimulaſſe videar, quod firmandis T*raiectenſibus Epiſcopis* ſit, duas hic addam, quæ veri ſpeciem aliquam habere videantur.

Prior Obiectio. T*raiectenſes* Epiſcopi, ideo TVNGRENSES dicebantur, quòd TVNGRENSES aliquando fuiſſent. *Reſpondeo.* Sumitur, vt certum, quod in quæſtione eſt: hoc enim ipſum eſt, quod quæritur, fuerintne aliquando aliqui Epiſcopi *Traiectenſes*. Deinde, quis credat, propter paucos, qui TVNGRIS habitarint (nec deſunt, qui aſſerant, ſolum Seruatium ibi ſeriò habitaſſe: qui tamen inde migrauit, & *Traiecti*

mortem, tumulumque inuenit) tot deinceps *Traiectenſes*, TVNGRENSES vocatos? Sic debuiſſet S. Petrus Apoſtolus, & reliqui *Romani* Pontifices, qui ducentis annis primis fuerint, *Antiocheni Epiſcopi* dici, quòd S. Petrus *Antiochenæ* primum Eccleſiæ præfuiſſet.

Poſterior Obiectio. Martyrologium Romanum, cuius authoritas meritò maxima cenſetur, 17. Sept. S. *Lambertum* vocat *Epiſcopum* TRAIECTENSEM. Reſpondeo. *Cardinalis Baronius*, ſi quis alius, de *Martyrologio Romano* optimè meritus eſt. Fatetur tamen is in *Scriptione de Martyrologio Rom.* cap. 8. *Mirum in modum* (ſunt hæc eius verba) *fuiſſe deprauata Martyrologia: & in ÿs reſtituendis, piorum, ac eruditorum virorum ſudaſſe ingenia.* Item, *Qui irrepſiſſent errores, ac menda, eſſe emaculata, atque purgata.* Denique, *Tertia Editioni, cæteris puriori, ac ſinceriori, aliquam etiam ex ipſius Baronÿ Notis acceſſiſſe emendationem, &c.* Facile præuolat tibi, Lector, quò velim: nempe inter *errores*, qui aliquando fuerint, hunc hactenus hæſiſſe, vt S. Martyr *Lambertus*, pro TVNGRENSI Epiſcopo, *Traiectenſis* diceretur. Clamabis, me temerarium, qui *Errorem* audeam *Romano Martyrologio* appingere. Sed vide, ne temeritatem ipſe tuam oſtendas, qui Baronio tanto maiorem impingas, qui fateatur, fuiſſe *deprauatum: errores fuiſſe, ac menda, quæ emaculari* oportuerit, & *purgari*. Cuius tamen Baronij operam, &

Linda-

Lindanus, Religioſiſſimus, doctiſſimuſque Epiſcopus commendauit; & *Summi Pontifices, totaque Eccleſia* collaudant. Sed non agam tecũ ſummo iure. Etſi *Sepulcralis Inſcriptio*, & DEI *Angelus, Lambertum*, TVNGRENSEM *Epiſcopum* vocant, non *Traiectenſem*, vt antè vidiſti: ſi tamen *Martyrologij Romani* authoritatem præfers, eam in alijs item amplectere; & quia eò me vocas, & quaſi manu ducis, inde hæc duo Teſtimonia accipe.

Teſtimonium 89. MARTYROLOGIVM ROM. 13 Maij. *Apud Traiectum*, S. SERVATII, TVNGRENSIS *Eccleſiæ Epiſcopi*. Quid ais, Lector? Si alia Teſtimonia deeſſent, quid iſto clarius? ait, *apud Traiectum* quidem eſſe, non tamen *Traiectenſem Epiſcopum*, ſed *Tungrenſem*.

Teſtimon 90. Idem 3. Nouemb. S. HVBERTI *Tungrenſis Epiſcopi*. Ex ijs, qui *Traiectenſes* fuiſſe dicuntur, S. *Seruatius* fuit primus: S. HVBERTVS, vltimus. Vtrumque Martyrologium Rom. aſcribit TVNGRENSIBVS. Quid fiet medijs?

Habes pro veritate clara teſtimonia centum, vnâ demtâ decade: vel potius, ſi aliquot conſideras, pluribus alijs grauida, audeo dicere, *Centum, decade additâ*.

QVÆSTIO VII.

AN CORPVS S. HVBERTI hodie integrum perſeueret?

EQVIDEM ſcio,me non ſcribere Ciuile bellum. Sed tamen crediderim eſſe, qui viſo ſolo huius *Quæſtionis Lemmate*, illud mihi occlament:

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Et, ſi minus intelligam, quod volunt, clarius explicent, & dicant: Homo inconſulte, quo raperis? tune id quærere, & diiudicare audes, quod ſine graui magnorum virorum offenſione, in quam partem cumque te vertas,nunquã diffinias? Nega enim integrum,& nullâ ſui parte mutilatum etiamnum eſſe illud Sacrum Depoſitum: & vide ecquam gratiam ineas à Reuerendo eius loci Præſule, cæteriſque Religioſis Viris, S. Beregiſi, Sociorumque eius Succeſſoribus, & hæredibus, quibus gratificari vtique tibi eſt animus. Sin cum illis dicas, omnino integrum eſſe, ſic, vt nihil illi deſit; habebis, non vno Europæ, & maximè Belgij loco, magnos Viros, qui negent. Quibus, quomodo facias

facias ſatis, cum illius Beati Corporis partes oſtendent, eaſque non paruas? Mitte igitur, ſodes, quæſtionem periculoſam, & negotium ſcabrum, &, dum licet, pace fruere. Bona verba, ô vir bone & ſapiens,

——— *quem ex aduerſo dicere feci:*

ne eſto nimium ſapiens. Si neque hoc, neque illud mihi dicere licet, quid tandem faciam? Quieſce, inquies, & totam rem alto ſilentio inuolue: & ſi quid ſcis, aut te ſcire cenſes, tibi ſcito. Amicè ſuades; ſed an ſat prudenter? an pro decoro perſonæ, quam hic ſuſtineo, id eſt, pro meo inſtituto? Hiſtoricum iam ago Æquumne cenſes, vt, qui propriâ Quæſtione de loco ago, in quo S. HVBERTI *Exuuiæ* quieſcunt; de ipſis *Exuuijs* nihil dicam? Atqui eo ſilentio, è duobus alterum conſequar: vt vel parum ſtudioſè, & diligenter in S. HVBERTI res inquiſiſſe videar, qui tam obuia ignorem: vel, cum ſcirem, expectantem, & hiantem Lectorem, vacuum maluerim dimittere, quàm munus meum exequi, ne veritate dicendâ quemquam offenderem; ac ſic eam negligerem, quæ prima Hiſtoriæ lex eſt. Equidem video, me ſilere potuiſſe, ita, vt de S. HVBERTO nihil planè ſcriberem: ſed, vbi ſemel ſcribere inſtitui, ſilere non debeo de ſacro eius Corpore, cuius tanta in hominum genus extant beneficia. Qui hæc legit, credat fortè, me, nullâ cuiuſquam habitâ ratione, mihi, & opinioni meæ velle in-

 dulgere;

dulgere; &, offenſionibus ſuſque deque habitis, & ampliſſimos Viros in ſe mutuò, & alterutros in me vltrò velle accendere. Abſit. Aliter eſt. Dicam tantum, quid pro vtraque ſententia dici videatur poſſe: ac deinde Lectori cuiuis iudicium relinquam. Meum iudicium ipſe ſuſpendam. Eam mihi mentem eſſe, hoc veluti pignus Lectori eſto, quòd hoc loco eos non memorabo (alibi feci) qui huius Sancti Reliquias ſe habere gratulantur: ne cum ijs eos videar voluiſſe committere, qui omnibus partibus integrum Corpus ſibi attribuunt. Sed iam pro his primum, deinde pro illis, rationes producamus.

INTEGRVM in *Andaïno* S. HVBERTI corpus etiamnum aſſeruari, hoc argumento demonſtrari videtur poſſe. Antiquus Author, anno decimoſexto poſt mortem, integrum fuiſſe corpus ſcribit, vt ſuprà in Vita legere potuiſti. Rem ipſam (cap. 15.) his verbis expreſſit Ionas: *Introſpicientes, glorioſum eius corpus, nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione, atque putredine reppererunt: & pro tabo, atque putredine, quæ mos eſt mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud ſenſerunt odorifico odore feruere. Caput autem illius oculis perluſtrantes, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile eſt) ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis. Coronam verò capillorum alienam prorſus ab omni læſione, cæſariemque*

riemque auctam & prolixitate, & pulcritudine. Neque enim candore ſenili albebat, ſed colore, & viſione ſui, iuuenis caput repromittebat. Hæc ibi. Quæ verbotenus hîc deſcribenda cenſui, vt intelligat Lector, cuiuſmodi integritas illa Sancti corporis fuerit. Nempe vt integrum fuerat viuum, & cui nihil prorſus deeſſet vel oſſium, vel carnis, aut cutis: atque adeo neque capillorum. Denique cui ea omnia eſſent, quæ viuo fuerant, exceptâ ipsâ vitâ. Sed pergamus. Capite deinceps 16. vbi eiuſdem Sacri Pignoris Translatio deſcribitur, quâ *Andainum* tranſuectum eſt, ita Scriptor: *A corruptione ---- eiuſdem beatiſſimi viri totius corporis compago ita aliena, immuniſque eſt reperta, quemadmodum tempore Karlomanni legitur fuiſſe inuenta.* Ibid. paulò antè: *Admemoratum monaſterium, cum loculo ſuo, Corpus Sacrum* ait *fuiſſe tranſuectum, & ibidem, Chriſto annuente, vt tanto Confeſſori competebat, decenter conditum.*

Hinc, certò, & nemine dubitante conſtat, in *Andainum* Monaſterium, Sacrum S. HVBERTI corpus INTEGRVM, atque adeò INTEGERRIMVM, fuiſſe delatum. Quod ipſe D. Chapeauille, Leodienſis Vicarius ex Ægidio edidit in *Walcando*, tom. 1. Epiſcoporum Leod. Nam, quod quis dicat, antequam aueheretur, aliquid fuiſſe demtum, & Leodij retentum: neque credibile videri, Walcandum Epiſcopum, & eius Clerum ita dimiſiſſe beatum illud depoſi-

poſitum, vt nullam eius partem retinerent: præſertim cum eum Conditorem, & Authorem ſuum meminiſſent; quippe, qui & Vrbis Fundator fuiſſet, & in Vrbem à ſe fundatam, Epiſcopatum Tungris tranſtuliſſet: quod hæc, inquam, aut his ſimilia obtendat quis, fruſtra ſit. Etenim Corporis ſacri alicuius iam *reſoluti* portionem aliquam demere, & aſſeruare, ſcimus fieri ſolitum. At enimuero partem detrahere de corpore, illo, quo oſtendimus, modo, *integro*, neque moris eſt, & laniena potius cenſeatur, quam pia, & religioſa participatio. Et cui tam audax ſit pectus, cui tam temeraria manus, vt intra ſanctas illas carnes, intra beata illa viſcera, intra Spiritus Sancti habitaculum, durum, & dirum ferrum audeat immergere? Certè animus meminiſſe horret. Adde, quod tantam rem Translationis Scriptor non ſiluiſſet.

Maneat igitur extra omnem controuerſiam, INTEGRVM Corpus, *Andainum* fuiſſe deuectum.

Eſto, inquis. An non poſtea, quod tot alijs ſacris corporibus contigit, *diſſolui* potuit, & *diſſoluti* oſſa aliquot hinc inde diſtribui? Potuit vtique hoc, neque negari à quoquam poteſt. Sed factum ſit, nec ne, id quæritur. Videamus. Translatio illa, de quâ dixi, contigit, anno 825. Porrò circa annum 954. id eſt annis circiter 130. poſtquam in *Andaino* ſanctæ illæ Reliquiæ

liquiæ quieſcere cœperant, in Auſtraſia omnia vaſtantibus Danis, Hungaris, alijſque feris gentibus (leges hæc in antiquis Miraculis, poſt vitam Antiquam) cum trepidi Religioſi fugientes, & palabundi, ſecum eas Reliquias deferrēt, *Prudentiores* (verba Scriptoris) *cœperunt ipſos arguere, cur ſic inconſultè toties efferrent tantæ dignitatis Patronum: cuius præſentiæ, ſi longius aſportaretur, timebant amittere patrocinium. Fratres verò poſt laudum, & orationum ſolemnia, geſtatorium reuerendi corporis diligentius inſpicere decreuerunt, ne fortè minus ſolidum, repentinâ progreſſione, vel caſu, citius, non ſine periculo* DISSOLVERETVR. Audin' tunc necdum fuiſſe *diſſolutum*? Sed ne latebra ſit diuerſæ explicationis, audi, quæ ſequuntur. *Cum igitur accedentes, operculo ſubleuato, reuerenter introſpicerent, an ex more mortalium, eſſet ipſum Corpus in cinerem redactum: gratia DEI, quæ ſemper eadem, ſe mirificat in Sanctis ſuis*, EAMDEM INTEGRITATEM *eius, quâ ſub Karolomanno Principe, & Walcando Pontifice, transferentibus eum oſtenderat, vſque ad idem tempus repræſentauit conſeruatam.* Hinc iterum concludamus, ſi diſſolutum S. Viri Corpus, ſi aliquid inde conceſſum, poſt annum Domini 954. id eueniſſe. Item, Corpus illud in Monaſterio *Andaino* integrum fuiſſe, annis plus 130. poſtquam eo venerat: & 220. poſtquam animâ vacabat.

Reſtat quærendum, an poſt annum 954. re-

ſolutum fuerit, an oſſa aliqua aliquibus conceſſa? Legi diligenter *Catalogum omnium Abbatum*, qui ex eo tempore, ad vſque hanc diem Religioſæ Congregationi *Andainenſi* præfuerunt: catalogum, inquam, ſtudiosè, appoſitis annis, contextum, vt in Monaſterij Mẽbranis MSS. reperitur. In eo Catalogo, breuiter recenſentur, quæcumque memoriâ digna contigerunt, dum ſinguli Abbates rem *Andainenſem* moderarentur. Cuiuſmodi ſunt, Quænam Monaſterio à *Pontificibus*, aut *Principibus* acceſſerint *Priuilegia*, quæ *Dona*, *Prædia*, *Eccleſiæ Ornamenta*; Quæ ab ipſis Abbatibus addita, vel reſtaurata *ædificia*, *muri*, & alia id genus. Quinetiam *Externa* quædam adijciuntur, maximè quæ ad *Leodienſem Eccleſiam*, *Epiſcopos*, *Canonicos*, *Vrbem* ſpectant. Nuſquam verbum apparet de S. *Corporis corruptione*, nuſquam de aliquibus eius partibus auulſis. Sanè, ſi corruptio ſileri potuit, atque etiam multos annos ignorari, quòd non ſoleant eiuſmodi ſacra Pignora temere, & ſæpe inſpici: tamen partes inde tolli non potuerunt, & alio transferri, quin id conſtaret: neque credibile, id & factũ, & conſtitiſſe; & tamen rem tantam tam alto ſilentio obrutam velut ex profeſſo, cum tot aliæ tanto minores tam ſtudiosè poſteritati cõmendarentur. Quod eò etiam magis fidem meretur, quòd de ipſo *Corpore Sacro* alia narrantur, quæ tanti momenti, atque hoc, non videbantur:

bantur: vt ſemel, iterumque foras aſportatum. Vnum exemplum antea poſui. Addo, quòd eiuſmodi *Reliquiæ* concedi non ſolent, niſi magnis viris, vt *Epiſcopis*, *Principibus*, *Sacrorum hominum Congregationibus*: nam neque alij petere audent, aut ſolent. Iam, quæ ratio patitur, vt tam ſtudioſè ille Abbatum Catalogus annotet, Quis *Prædiolum* aliquod S. HVBERTO dederit; & tam ignauiter ſileat, Quis S. HVBERTI *oſſa* aliqua petierit, & acceperit?

Accedit *Traditio*, magnum tali in re argumentum. Nam & alibi per Europam, & maximè in Monaſterio *Andainenſi*, non aliter creditur, niſi eamdem, quam dudum commemoraui, INTEGRITATEM perennare. Molanus in Natalibus SS. Belgij, 3. Nouembris: *Quale autem ſe corpus præbuit intuentibus ſub Karolomanno, nimirum illæſum à diſſolutione, & putredine; tale & poſtmodum ſe præbuit fratribus, atque etiamnum credunt ſe habere.*

Denique etiam addamus, anno Chriſti 1515. *Leoni Decimo* Pont. Max. perſuaſum fuiſſe, *Venerabile Corpus Sancti* HVBERTI *glorioſi Confeſſoris, incorruptum, & integrum, nec in aliquâ ſui parte diminutum*, adhuc *conſeruari, prout oculatâ fide clarè conſtare dinoſcitur.* Hæc enim totidem verba leges in eius litteris, eo anno, prid. Non. Septemb. Pontificatus eius anno 3. datis, appenſo plumbeo ſigillo. Sed quæ ſequũ-

tur ex ijſdem litteris, magis mira videntur. *Sub Excommunicationis pœnâ* , inquit Pontifex, *omnibus, & ſingulis alijs* aliorum *Monaſteriorum Abbatibus, Eccleſiarum, Capellarum, ſeu aliorum locorum Rectoribus, & perſonis alijs, ne, quod partem Corporis dicti Sancti* HVBERTI *habeant, prædicare, ſeu illius occaſione, aut aliàs ſub nomine Sancti* HVBERTI, *quaſtas facere de cætero præſumant , diſtrictius præcipiendo inhibemus.* Atque hactenus Argumenta, quæ pro Sacroſancti Corporis S.HVBERTI *incorruptione* pugnare videntur.

CONTRA verò, & *diſſolutum* pridem eſſe, & eius *oſſa* pluribus locis fuiſſe *diſtributa* , non modò conditio Corporum , & Eccleſiæ conſuetudo ſuadet: ſed & res ipſa clamat, & eorum locorum *traditio,* quibus locis , ſacra eius oſſa dignis honoribus coluntur , & populo, tamquam S.HVBERTI oſſa, exhibentur. Et ſanè, quid cauſæ afferas, cur *Traditioni* deferas *vnius Monaſterij* , & non magis *aliquot Nobilium Eccleſiarum* ? Quænam illæ Eccleſiæ ſint, dixi ſuo loco. Hic, memor promiſſi mei, parco nominibus, ne ijs vel addidiſſe, vel detraxiſſe videar, quod neque me deceat, neque illis, alijſue volentibus ſit.

De hâc *Quæſtione*, & de pugnantibus hiſce opinionibus dum familiariter cum quibuſdam eruditis hominibus agerem, diuerſa, vt fit, ſtudia in diuerſis deprehendi. Pro priore parte erant,

erant, qui dicerent, Quandoquidem *Andainenſes* antiquis Scriptis, iiſque varijs, INTEGRITATEM probarent, præter *Traditionis* Authoritatem; non poſſe vtique alios recipi, qui ſe *Partes* habere dicerent, niſi itidem *Traditioni, Litteras* adijcerent, quibus intelligeretur, *quando, quo poſtulante, quo dante, eas Partes accepiſſent*. Maximè cum in hoc genere id fieri, & exigi ſoleat. Reſpondebant alij, eiuſmodi *Monumenta* facile vel antiquitate arrodente deleri; vel hoſtilium incurſionum iniuria, flammis, alijſue modis corrumpi: quod nimis quàm verum in totis Bibliothecis, eâ ratione vel concrematis, vel aliter diſſipatis, & laceratis, paſſim docti viri experti, deplorant.

Fuit, qui cenſeret, facile eſſe, totam controuerſiam ſopire, & certam veritatem certò deprehendere, ſi *Andainenſes* CORPVS ipſum Sacrum, aut INTEGRVM *oſtenderent*, aut *diuulſum, & diſtractum faterentur*. Reſpondit alius, non videri æquum, vt fateantur id, cuius contrarium certò ſibi perſuadent. Porrò ad *oſtenſionem* non eſſe veniendum ob duas cauſas. Nam neque id in Catholicâ Eccleſiâ moris eſt, vt eiuſmodi *Sacra Pignora* temere *attrectentur*: neque illa *exhibitio*, controuerſiam, vt ille alter cenſebat, ſopiret; ſed eius flammam acrius accenderet. Quæris, quâ id ratione? Nempe, vt qui ſe *Reliquias* habere cenſent, conſtanter hodie negant, *Corpus* eſſe *integrum*, quicquid *An-*

dainenſes dicant: ſic in eadem ſententiâ obfirmati, ſi *Integrum Corpus exhiberetur*, in promtu haberent dicere, & pertendere, *Non eſſe id Corpus* S. HVBERTI, quod conſtet non eſſe *integrum*, quandoquidem ipſi *partes* certò penes ſe habeant. Sic maneret vtriſque ſua opinio, vti iam manet, &, quod ante profeſſus ſum, PER ME LICET, MANEAT.

Siccine abrumpis? inquis. Atqui, quantumuis ſedulò diſſimules, facile apparet, quò inclines. Neſcio, quid tibi velis, mi homo. Quæ pro vtraque parte argumenta habui, bonâ fide poſui. Nec ponere potui, quæ non habebam. Ac etiamnum profiteor, quæcumque ab alterutrâ parte ſuggerantur, libenter me in *Secunda Editione*, ſi quando adornetur, additurum.

Qui verba mea carpere iure non poteſt, æquum non eſt, vt mentem carpat, quam cognoſcere non poteſt. Ipſa *Eccleſia* (vt vulgatum Pronuntiatum eſt) *non, niſi de Exterioribus iudicat.* Tu igitur, quiſquis es, ne *animorum* tibi *Tribunal* arroga. Æquum non eſt, *Meas cogitationes vapulare.*

QVÆST.

QVÆSTIO VIII.

DE ANDAINO, LOCO SACRI Corporis S. HVBERTI *depoſitario.*

DEBEO hanc Diſceptationem *Reliquijs* tanti Heroïs, vt conſtet, quem, qualemue quietis locum, Diuina ijs Prouidentia attribuerit. Debeo *Patriæ meæ cariſſimæ*, cui, dum eius Patroni, & Diui Tutelaris hiſtoria tam benignè inuitare videtur, id officij negare non debeo, neque committere, vt diutius ingrata vel ignorantia, vel obliuio eius dignitatem, nobilitatemque obruat, quæ, ſiue *Antiquitatem* ſpectes; ſiue *Religionem*, cum antiquiſſimis, ſanctiſſimiſque locis, optimo iure certare poſſit. Hæc duo ita oſtendam, vt tamen ante Chriſtianæ Religionis exordia nihil attingere ſit animus: quòd & illa tempora obſcuriora ſunt; neque Paganam antiquitatem tanti faciamus. Neque enim vna cum illis mens nobis eſt, qui in Romanâ origine, Martem vanæ deitatis Idolum, Veſtalem inceſtam, Lupam nutricem, pluris facere videntur, quàm Religionis Chriſtianæ primordia: & Romulum & Remum fratres, quam Petrum, & Paulum Apoſtolos.

Igi-

Igitur à *Nomine* facto initio, ille terræ tractus, in quo hodie nobile S. HVBERTI Monaſterium viſitur, ANDAINVM dicebatur antiquitus. Tradit hoc antiquus Author vitæ S. *Beregiſi*, primi eo loco, vt mox dicetur, Abbatis. Eius vitam accepimus ex peruetuſtis Membranis eiuſdem Monaſterij. In quibus illud etiam ſcriptum eſt, id nomen à *Fonte* proximo, loco hæſiſſe. *Fontibus*, inquit, *in vicino ab humo prodeuntibus abundantiſſimè irrigatur* (de eo loco ſermo eſt) *ſed remotus ab his alius præſtantior exurgens ex eadem parte affluit, qui magnitudine ſui, cæteros in ſe ſuſcipiens, amnem ſuo nomini vendicat. A commeantibus autem, vel ſaltum, vel locum frequentantibus,* ANDAINA *nomen accepit. Ita clariſſimis, & ſaluberrimis aquis fæcundatus: opimo ceſpite prata vernant, &c.*

Totum hunc locum, *Pagum Arduennenſem* dici arbitror ab Authore *Cantatory*, cuius verba mox dabo. De hoc libro *Cantatorio*, obiter aliquid dixi, Notarum initio, cum Codices, quibus vſus ſum recenſerem. Nunc, tanto maiori authoritati conciliandæ, addo, quod mihi conſtat, his aliquot poſtremis annis, in grauiſſimis litibus, quibus *Monaſterij Andaïnenſis* res agebatur; deſignatos à Principibus Cõmiſſarios, viros prudentiſſimos, & ſagaciſſimos, plurimum eius Libri bonæ fidei tribuiſſe. Vt cauſa nulla ſit, cur in rebus, quæ tanti fieri à mortalibus non ſolent, ei fidem abrogemus.

Huius

Huius *Cantatorij* initium ipſum hoc eſt:

IN PAGO ARDVENNENSI, *Quoddam Caſtrum* AMBRA *dicebatur, eo quòd Amberlacenſis fiſci caput haberetur, quod funditus euerſum, Hunnis vaſtantibus Gallias, per annos fere 337. deſertum, ad nihilum deuenerat.* Eadem de Ambrà & Fiſco Amberlacenſi habet Magnum Chronicon Belgicum vbi de Walcando, & Translatione Corporis S. HVBERTI agit. Eſt hodie non procul Andaino, pagus nomine Amberlou, quem nemo dubitet ab eo Fiſco nomen retinere. Porrò Caſtrum Ambram ANDAINVM eſſe, vel in ANDAINO ſitum, neceſſario inde colligitur, quod inibi Monaſterium à *Beregiſo* conſtructum fuit, Pipino, & Plectrude liberaliter ius ſuum Diuino obſequio cedentibus: quod Monaſterium in *Andaino* extructum fuiſſe conſtat. Sed quod *Amberlacenſem Fiſcum* ſcriptor vocat, videndum eſt, quid *Fiſci* nomine intelligat. Vt taceam propriam ſignificationem, quâ ea vox vimineam ſportam notat: ſcimus FISCVM eſſe *Principis Theſauros*; S. Auguſtinus (in Pſal. 146.) & Iſidorus (lib. 20. Origin. cap. 9.) interpretantur *ſaccum publicū.* Suidas & Heſychius δημόσιον ταμεῖον. Hinc loca ipſa, domus, arces, publicis Principis reditibus, ſeu frumentarijs, ſeu alijs, conuehendis, & condendis extructæ, & comparatæ, *Fiſci* dicebantur. Eiuſmodi publicas domos, maximè ſi etiam contra vim munitæ, *Caſtra* vocauit

poſterior ætas, quæ antiquis Latinis *Arces* erant. Ita vides hîc AMBRAM *Caſtrum* appellari. Non hîc ſtetit res. Nam totus etiam aliquis terræ tractus, ex quo reditus colligebantur, & ad certum primarium locum deferebantur, FISCVS cœpit nominari. Talis hoc loco FISCVS *Amberlacenſis*, cuius Caput, & ταμεῖον, *Caſtrum* AMBRA. Talis FISCVS *Efternacenſis* apud *Thiofridum* meum, in vitâ S. Willibrordi, cuius medietatem Pipinus Princeps ipſi Willibrordo dedit. Plura exempla occurrunt circa idem ſeculum, maximè in donationibus Principum. Hinc lubet aliquid colligere contra eos, qui Arduennam leuiter ſugillant, & eum ipſum Arduennæ tractum Andainenſem, tamquam vaſtum, & infrugiferum, ac ſi in eo ſolum

Infelix lolium, & ſteriles dominentur auenæ.

Quis hoc credat, qui proprium ibi FISCVM fuiſſe audiat, id eſt, vt hodie loquimur, *Dominium* (vulgo, *vne Seigneurie*) & quidem ſupremi Principis Dominium. Nam illius propriè erat FISCVS. Atque antiquum eum FISCVM fuiſſe, & ante Hunnorum irruptiones, eodem hoc Cantatorij loco, intelligimus. Sed propius ad rem noſtram, id eſt ad Religionem huius loci accedamus.

Scripſit Adulphus Happart *Catalogum Abbatum Monaſtery Andainenſis*, diligenter, & induſtriè ſuo more. In eo Catalogo, Religionem *Andainenſibus* allatam aſſerit à D. Materno,

eo

eo ipſo, qui Treuirenſibus, Tungrenſibus, Colonienſibus eam intulit, à D. Petro Apoſtolorum Principe deſtinatus. Nam, cum ſolicitudine Apoſtolica, fidei ſemina longè ac latè ſpargeret, *Ardennenſium etiam pagus*, inquit, *cui* ANTIQVITVS ANDAINVM *nomen fuit, initium fidei ſumſit. Ædificata igitur Eccleſia ibidem in Caſtro, quod* OLIM AMBRA *dicebatur, à principio ibidem exorta Chriſtianitatis, Apoſtolorum Principis Petri nomine & honore inſignis fuit.* Subiungit, *ita maiorum Annales tradere: ita rerum, & temporum ſuadere Authoritatem.*

In alio MS. Authore anonymo (quo S. HVBERTI *Genealogia* deſcribitur) reperio itidem, ab Hunnis, præter tot alia, *euerſum Caſtrum, cui nomen* AMBRA, *in pago* ANDAINO, *in quo Eccleſia erat, honori S. Petri ædificata* AB INITIO CHRISTIANISMI.

De ANDAINO iam hæc tenemus. Primum, ante Chriſtianiſmum, & longè antè, locum fuiſſe celebrem, quippe, qui & Principis Fiſcus eſſet, & Caſtrum AMBRAM haberet, Fiſci Caput. Quamdiu id ante Chriſtianum nomen, in obſcuro eſt. Deinde, Religionem Chriſtianam eò allatam, cum etiam Treuirenſibus, Colonienſibus, Tungris inferretur: nempe ab ipſo *S. Materno*, quem à Petro Apoſtolo miſſum ipſis Euangelij primis exordijs, nemo ignorat. Hoc tempore primam in ANDAINO Eccleſiam excitatam, & S. Petri memoriæ dica-

tam, iam audiſti. Quod ſi per ea tempora mirum id tibi videatur; memineris, ab Harigero Abbate Lobienſi ſcriptum (apud Chapeauille, tom.1.) *& Coloniæ, & Traiecti, & Tungris, & Hoyi, Eccleſias ab eodem Materno ædificatas*: imo, vt ipſe Harigerus loquitur, *Dedicatas Eccleſias Sanctorum, vſque ad numerum ſeptuaginta duarum congregationum.*

Has inter quid ni credam, etiam hanc in ANDAINO fuiſſe? maximè loco celebri, & principali.

Hæc Eccleſia cum tot alijs, ſolo æquata eſt, *cum Caſtrum* AMBRA *funditus euerſum eſt*, vt loquitur Cantatorium, *Hunnis vaſtantibus Gallias.* Addit, *per annos fere 337. deſertum fuiſſe*, quod de Caſtro non intelligo, niſi in numeros error irrepſit. Nam, ſi euerſum ponamus ad Hunnorum Attila duce irruptionem, quæ à Sigeberto, anno 453. ponitur, ſequetur, non eſſe reſtitutum ante annum D.790.cum tamẽ circa annum 700. Plectrudis eum *ſuæ ditionis* locum adijſſe dicatur. Poſſit dici, adijſſe non *Caſtrum*, quod necdum reſtitutum erat: ſed *Amberlacum fiſcum*, vt verba ſunt Cantatorij. Ac ſic Eccleſia totis 90. annis ante Caſtrum reſtituta fuerit.

Sed magis placet intelligi, totum *Fiſcum* deſertum fuiſſe, ac tandem ædificatâ Eccleſiâ à S. Beregiſo, circa annum illum 700. *Caſtrum* quidem nunquam reſtitutum; ſed ipſum *Fiſcũ* eate-

eatenus reſtitutum, vt Beregiſo, ac fratribus eius cederet. Sed hâc ratione omnino numeros corruptos fateamur oportet: ac pro 337. reponendos 247. Quod de *Fiſco Anberlaco* dixi, traditum fuiſſe Beregiſo, non modo ſuadet Pipini pietas, ſed diſertè hoc, & amplius aliquid habet ipſius Beregiſi vita, optima fide conſcripta. *Præfatus Princeps* (inquit) *in circuitu ſilueſtria obambulans, quantum competere ad planiciem propagandam, vel ad ædificia, ſiue ad paſtum animalium, ſeu ad diuerſos vſus viſum fuit, ſtatuens contulit: & etiam in his, quæ circumiacentibus* FISCIS, *retentanda reliquerat, quæcumque neceſſaria in paſtu pecorum, eorum, qui cellæ adhærentes famularentur, vel ſi qua alia opus eſſent, vt omnino quærentibus nullus prohiberet, ſtatutá lege indixit.* Hæc in illâ vitâ.

Igitur Eccleſia S. Petri, quæ à S. Materno, ipſo naſcentis Chriſtianæ Religionis exordio, in ANDAINO erecta fuit, ab Hunnis, circa annum 453. euerſa, circa 700. à *Beregiſo*, ex integro ædificata eſt, &, vt arbitror, ſuper ijſdem fundamentis. Cantatorium, de *Beregiſo* ſic: *Continuis inſiſtens laboribus, ſolatijs etiam quorumdam fidelium adiutus, ſilueſtrem ſolitudinem purgauit, & habitabilem fecit. Nec prius abſtitit, quam Eccleſiam B. Petri Apoſtolorum Principis (quæ in præfato Caſtro olim funditus euerſa fuerat) à fundamentis* RESTITVERET.

Iam quæ ibi viuendi ratio, quæ viciſſitudi-
 nes

nes fuerint, etiam breuiter oſtendamus. Cantatorium proximè poſt illa verba, iam iam deſcripta, hæc addit: *Collectis ſecum religioſis Clericis, Abbatis nomine, & officio, ibidem* DEO *militantibus præfuit.* De *Beregiſo* loquitur. Attende, diſertè, & propriè CLERICOS dixiſſe. Neque enim ab initio *Monachi* fuerunt. Id quàm diu obtinuerit, idem Author ibidem docet, illis verbis: *Eius* (Beregiſi) *ſucceſſores perſeuerauerunt in* CLERICALI *ſchemate, donec Ludouico Pio Imperatore, filio Caroli Magni, regnante, diuina diſpoſitio locum eumdem ampliauit, &c.* Contigit hoc, *Walcando* Epiſcopo Leodienſi in primis annitente, & iuuante. De quo paulò infrà, ſic: *Commutato ordine* CLERICALI, *anno Incarnationis 817. 4. Id. Aug. in die S. Laurentij Martyris*, MONACHORVM *ibi Ordinem conſtituit, diſpoſitis eis poſſionibus, & legaliter confirmatis in poſterum, quæ ſufficerent vſibus DEO ſeruientium. ---- Quo, dum plures concurrerent, vt in tam remotâ Eremo, tantò liberius, & ſecretius DEO vacarent; quidam etiam nobiliores* Clerici *de Eccleſiâ B.Lamberti eò conuenerunt, mutatoque habitu, ad contemtum mundi ſeipſos viriliter accinxerunt.* Addit ab ijs poſtulatum corpus S.HVBERTI. Quâ de re, ſuo loco. Hoc, quod dixi, in ANDAINO; initio fuiſſe CLERICOS, non Monachos, ſcripſit etiam Happart, qui eos *Clericos* ait *ſub ordine Canonicorum Regularium militaſſe, priuſquam Mona-*

Monaſticus ordo inſtitueretur. Cæterum, his per prolepſin dictis, occaſione Beregiſi, Clericos initio inſtituentis; regrediendum eſt ad reſtituendæ Eccleſiæ, & inſtituendæ Clericorum Congregationis occaſionem: quum religio mihi ſit omittere, tanto prodigio celeberrimam. Inuenio eam in pluribus MSS. codicibus; ſed cæteris accuratius, clariuſque eam deſcribit *Cantatorium* cuius proinde verbis eam accipe.

TEMPORIBVS *Pipini, qui Maior-Domus erat ſub Theodorico Rege, vxor eius Plectrudis,* AMBERLACVM *ſuæ ditionis Fiſcum, parabat adire: & per prædictum locum tranſiens, tum tædio vaſtæ ſolitudinis; tum feruore æſtatis confecta; ibidem in pratis virentibus decreuit aliquamdiu requieſcere. Et, cum poſt exactam refectionem; comites eius longiori ſomno premerentur: ipſa curioſior pro equis paſcentibus, ne per ſiluas vagarentur, neminem excitans, ipſa ſola ſurrexit, equiſque recollectis, iam laſſior, dum ſuper aceruum lapidum ibi fortè congeſtum reſideret; chartulam quandam cælitus allapſam, obſtupuit, apud ſe cadentem. Quam, licet pauida, corripuit; & nemini comitum auſa credere ſecretum, ad virum quantocius decreuit reuertendum. Cui, cum per ordinem retuliſſet ordinem Miraculi, ille, euocato Beregiſo Viro venerabili (qui tunc in* DEI *rebus obſequebatur eis) chartulam ei obtulit, exponendam ſibi.* Conſultus *Sacerdos* DEI, *ei reſpondit,*

Locum,

Locum, quò eadem Chartula deciderat, à DEO eſſe electum, ex quo multorum animæ tranſire deberent ad regna cælorum. Pipino verò ſubiungente, quid ſibi inde videretur agendum? Beregiſus, captâ occaſione, (qui iam dudum apud ſe deliberauerat, mundo relicto, DEO liberius vacare) ſubintulit Principi, Ne, quantum in ſe eſſet, Diuinæ diſpoſitioni deeſſet, paratum ſe, ſolitudinem illam colendam ſuſcipere, ſi eam ſibi ille concederet. Placuit Pipino Beregiſi propoſitum, licet grauaretur admodum, à ſe ſuum emittere cariſſimum. Illo tamen ſæpius inſiſtente, vt rem quantocius acceleraret, Pipinus cum comitatu Curialium ſuorum, venit ad locum inuentæ cælitus Chartæ. Ibi factâ legali donatione, & ratâ coram Principibus ſuis aſtipulatione, locum ipſum perpetuo habendum Beregiſo donauit, &c.

VIDEOR mihi hinc non malè colligere, eo ipſo loco nunc S. HVBERTI Eccleſiam eſſe, vbi Chartula illa cælo lapſa, à Plectrude inuenta eſt, aut certè loco proximo. Erat enim, vt audiſti, *aceruus lapidum congeſtus*: quem fas eſt credere, fuiſſe è ruinis *Caſtri* AMBRÆ. Atqui Eccleſia S. Petri, ab Hunnis euerſa, & à Beregiſo reſtituta, in *Caſtro* AMBRA fuerat, vt paulo infrà Cantatorium habet. Adde, quod ſemper pijs Catholicis in more fuit, loca id genus prodigijs diuinitus nobilitata, Templis, Sacellis, Crucibus, alijſue Chriſtianis monumentis, honorare. Happart in Catalogo Abbatum,

Theo-

Theodoricum Sanctum Abbatem ait ædificaſſe *Oratorium S. Ægidij, in loco, vbi quondam Plectrudis cælicum Breue recepit.* Eſt id Oratorium hodie Eccleſia Parochialis. Quod ſi verum eſt, mirum mihi videtur, tum diu id officium dilatum. Abbatiam enim inijt *Theodoricus* anno Domini 1055.

MVLTA ſunt, quæ addere poſſim, de auctis Monaſterij ANDAINENSIS reditibus, Ædificijs additis, aut emendatis, alijſque memoriâ non indignis. Sed mihi videntur eſſe præter meum inſtitutum. Illud non videtur omittendum, Eccleſiam, quæ multis annis S. *Petri* dicta fuerat, delatis eò S. HVBERTI Reliquijs, cæpiſſe etiam S. HVBERTI paulatim dici. Vidi litteras *Gregorij Septimi* Pontificis ad *Theodoricum* Abbatem, anno Pontificatus eius primo datas. (Eſt is annus Chriſti 1073.) quibus ipſo initio vocat *Abbatem Monaſterij Sancti Petri, Sanctique* HVBERTI. Id aliquamdiu tenuit, ac denique antiquiore nomine penitus deſinente, nouus, vt ita dicam, hoſpes, ſibi ſoli appellationem, conſuetudine præualente, vendicauit: & aliquot annorum centurijs, & Monaſterium, & Eccleſia S. HVBERTI dicta eſt. Sic vocant Monachi ANDAINENSES ſcribentes ad Vrbanum Papam, & ad ipſos viciſſim Vrbanus, qui Pontificatum inijt anno 1088. Neque difficile eſt, intelligere, quâ id causâ euenerit. Multa, & varia, maximaque miracula inibi à S.

HVBERTO patrabantur: & eo nomine ingentes eò fiebant vndique populorum concurſus. Ij, velut torrens quiſpiam violentiſſimus, ipſo B.Petro Apoſtolo, nec inuidente, & potius applaudente, S.HVBERTI nomen ita animis impreſſerunt, vt apud pleroſque S. Petri, eo quidem loco, memoria deſierit. Hæc de ANDAINO ſatis: niſi quòd hoc etiam addendum, & in Cantatorio ſæpe, & alijs antiquis ſcriptis, eumdem locum, etiam ANDAGIVM vocitatum reperiri. Cuius cauſam nullam aliam ſubeſſe crediderim, quàm vtriuſque nominis affinitatem. Eſt hoc obſeruare in plurimis proprijs nominibus, & locorum, & hominum. Vnum exemplum pono, quod primo, caſu occurrit. Idem nomen eſt, Ludouicus, HLudouicus, Chlodouæus, &c.

INIVRIVS in Sanctiſſimum hunc locum futurus mihi videor, & in Sanctum, qui ſuæ quieti eum, præ tot alijs elegit, niſi antiquioribus illis, tum antiqua alia, tum recentiora addidero, quibus eius Maieſtas, quâ à DEO celebratus eſt, magis, magiſque eluceſcit.

Ab ipſo quidem eius exordio, *ipſi Reges & Principes Locum* hunc *ſummo honore dignum duxerunt, & Templum maximis muneribus illuſtrarunt.* (lib. 2. Machab.3.2.) Sed auſim dicere, qui ex ijs, quæ ſuprà ſcripſimus, vtcumque, & velut per vmbram, *vidit Domum iſtam in gloriâ ſuâ primâ*; (Aggæi 2.4.) ſi iam eam intueatur,

non

non fore *quaſi non ſit in oculis* eius: (v. 5.) ſed potius dicturum, MAGNAM *eſſe gloriam Domus iſtius, plus quàm primæ.* (v. 10.) Hoc, cum ampliſſimè poſſim oſtendere; quàm pauciſſimis indicaſſe contentus ero. Capto igitur quaſi nouo principio, videamus primo loco, quomodo huius Domus gloriam amplificatum iuerint

ROMANI PONTIFICES.

INNOCENTIVS II. anno Chriſti 1139. ampliſſimis litteris ad Abbatem *Gillebertum* datis, *Monaſterium* S. HVBERTI *in tutelâ Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit: bonorum poſſeſſionem confirmat,* non eorum modò, quæ tum poſſideat, ſed & quæ deinceps, quacunque ratione iuſtè acceſſerint: *Abbati, eiuſque Succeſſoribus, poteſtatem dat ligandi, atque ſoluendi: confirmat oblationes fidelium, quæ vulgò Cruces Bannales dicuntur.* De his Crucibus dixi in *Cultu propagato,* cap. 4. & 7. Illud hîc opportunè addiderim, quod ibi ignorabam, *Decaniam Bohanienſem*, nunc eſſe *Rupefortenſem.* Addit idem Pontifex, *ne in* S. HVBERTI *Monaſterio vllus Abbas temere ordinetur, aut cõtra ſacros Canones conſtituatur: ſed is, quem ſibi concors Congregatio, liberâ electione, ſecundum DEI timorem, aſſumſerit.* Denique concludit verbis iſtis, quæ pij ſimul, impijque meritò notent: *Si qua in futurum*

turum Eccleſiaſtica, ſecularisſue perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentauerit: ſecundo, tertioue commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere, de perpetratâ iniquitate, cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine DEI, & Domini noſtri IESV Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti, quatenus hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Hactenus Innocentius ſecundus.

VRBANVS V. Hæc eadem omnia, totidem verbis concedit. Nam omnibus illis ad verbum deſcriptis, ſubdit: *Nos, veſtris ſupplicationibus inclinati, huiuſmodi priuilegium authoritate Apoſtolicâ innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.* Dabat hæc Pontifex Auenione, anno 1364. Pontificatus ſui anno 3.

LVCII III. qui inter duos illos medius fuit, extat itidem Bulla, plumbeo ſigillo communita anno 1183. & Pontificatus 3. quâ eadem concedit, eadem vetat: & iiſdem fere verbis, tum execratur, tum benedicit. Hoc peculiare habet, quòd vbi iura Monaſterij recenſet, & confirmat, etiam addit, eidem competere OMNE IVDICIVM SANGVINIS, ET BANNI. Item,

cum

cum generale Interdictum terræ fuerit, licere vult *Abbati, & Monachis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce, officia celebrare.* Subſcripſerunt autem huic Bullæ ipſe Pontifex, *Ego* LVCIVS *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus*: tum autem quatuor *Presbyteri Cardinales*, & alij quatuor *Cardinales Diaconi.* Poſtremo additur, *Datum Anagniæ, per manum Alberti, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri* Cardinalis, *&* Cancellarij, 10. *Kal. April. Indictione 2.*

IVLIVS II. anno 1510. liberalitet *Sodalitatem,* ſiue *Confraternitatem* S. HVBERTI, eiuſque *Leges,* & *Statuta* confirmat, & Apoſtolicâ authoritate *priuilegijs* dotat, & ditat. Ijs quoque litteris in grandi membranâ deſcriptis, plumbeum ſigillum firmitatem addit.

LEO X. anno 1515. ſimilibus litteris (quarum proximè ſuperiore Quæſtione, mentio mihi facta) agnoſcit, & piè prædicat *miracula,* quæ in *Andaïno* aſſiduè à S. HVBERTO patrantur; maximè *in immundorum ſpirituum eiectione, & rabiei depulſione.* Item *Confraternitatem,* eiuſque Leges, & ſtatuta confirmat.

De *Pontificibus* tantum dixiſſe ſufficiat. Quorum erga hunc Sanctum locum, liberalitatem, non ita fortaſſe quis miretur: quòd ſacrorum hominum ſit, ſacra tueri. Magis mirum ſit Mundiales quoque Principes, non mundi affectum, hâc eâdem in re oſtendiſſe. In his ſum-

mum honoris faſtigium tenent

IMPERATORES.

Horum (vt antiquos illos ſileam, qui *Andaïnenſis* Monaſterij exordijs, pietatem ſuam erga illud, oſtenderunt) non ita multorum monumenta extant, quibus in religioſiſſimum locum, comprobari poſſit religio. Quod eueniſſe arbitror, ſiue quòd quæ erant, interciderint bellorum, hoſtilium incurſionum, incendiorum iniuriâ: ſiue quòd longo terrarum tractu diſſiti, ad viciniora potius loca ornanda, animum, cogitationeſque conuerterint. Vnus inſtar omnium ſit magnus Imperator, magnus Rex

CAROLVS V. Is anno 1525. Cæſareo Diplomate dato Mechliniæ, 4. Maij, teſtatur, *ſe ſingulari deuotione, glorioſo* S. HVBERTO *addictum, idque Antiquo Maiorum ſuorum exemplo.* Quos æmulatus, *iteratò* (nam iam antè, anno 1521. eâdem pietate idem præſtiterat) *Abbatis, Religioſorumque ſe Protectorem profitetur.* Inſuper eamdem curam, prouidentiamque impendit eorumdem *Eccleſijs, Prioratibus, Ciuibus, Incolis, Accolis, Subditis, Domibus, Villis, Horreis, Terris, Agris, tum vniuerſis, tum ſingulis.* Adiungit *famulos, Decimarum Curatores, Praetores, Villicos,* DONATOS, & ADDICTOS *aut qui deinceps ſe donauerint, addixerintue huic glorioſo Sancto: dummodo vltimi huius generis vnus dum-*

dumtaxat ſit in ſingulis pagis, aut paroecijs. His autem omnibus diſertè pollicetur Imperator, *tum perſonarum tuitionem, tum conſeruationem bonorum.* De Donatis, & Addictis, obſerua, Lector, & iunge ijs, quæ in *Propag. Cultu* diximus, cap.7.

Idem CAROLVS V. Cæſar, priori in S. HVBERTVM pietati inſiſtens, eamdemque magis, magiſque tum augens, tum oſtendens, anno 1542. alijs litteris, Bruxellis datis, eadem rata habet, iterumque Imperatoriâ authoritate confirmat: additque vnum, quod meritò miremur. Suprà enim memoratos omnes, ac nominatim *Addictos* (quos aliquoties vocat *Hubertiers* quaſi dicas, Hubertinos, aut Hubertios) tuendos, cum rebus ſuis ſuſcipit, quocumque loco ſedem fixerint, etiamſi in *terris Hoſtilibus.* Quod ſanè non niſi ex ſingulari in S. HVBERTVM, affectu, proficiſci potuit: atque etiam inde, quòd ſe orationum, quæ in *Andaino*, nocte, dieque ad DEVM funduntur, participem, vt diſertè profitetur, fore ſperaret. Iam ab Imperatoribus tranſeamus ad

REGES,

tum *Catholicos*, tum *Chriſtianiſſimos.* Priorum Diplomata exceptis, quæ Caroli V. antè memoraui, inſpicere mihi non contigit. Sed inſpici diligenter curauit Sereniſſimus Archidux Alber-

Albertus,vt ipſe profitetur in ſuo, quod paulo poſt indicabo. Fatetur ibi, litteris exhibitis oſtenſum ſibi fuiſſe, iam inde ab antiquiſſimâ memoriâ, Abbates, Monachos, Monaſterium, eiuſque miniſtros, & res, ac bona omnia, peculiari Principum, Maiorum ſuorum patrocinio frui ſolita. Inter eos ſuos Maiores ponit Carolum V. & Philippum II. Reges Catholicos. Atque illius,præter Diplomata antea mihi memorata, affert etiam anni 1522. & 1528. Huius verò,anni 1578.& 1580.

Chriſtianiſſimorum Regum litteras plures, eaſque ampliſſimas, & beneuolentiſſimas vidimus,quas vocant Fauoris, Gratiæ, Protectionis: quibus omnibus, eorum ſingularis pietas, affectus, zelus in Sanctum noſtrum, Sole clarius apparet, & eidem obſequendi incenſum ſtudium.

LVDOVICVS XII. anno 1507. profitetur, ſe *maximâ reuerentiâ, amore, & deuotione affici erga Corpus glorioſum* S.HVBERTI, *& Locum quietis eius.* Ac inter eos, quos refert Monaſterij Miniſtros; clarè etiam ponit eos, quos vocari ait PRÆTORES S.HVBERTI, de quibus nos ſuo loco aliquid diximus.

FRANCISCVS I. anno 1527. litteras ſuæ *Protectionis* ampliſſimas, promulgari iubet.Iuſſus promulgauit Carolus Luxemburgius Comes Briennenſis, &c. Complectitur ea Protectio (vulgo *Sauuegarde*) non modò Monaſterium

rium S. HVBERTI, & quæ proximè adhærent: ſed. &, vt in alijs litteris ſupra vidimus, etiam Villicos, Prætores, ADDICTOS, & *Confraternitati* inſcriptos; etſi in alienis, imò hoſtilibus terris degentes, &c.

HENRICVS II. anno 1551. Similia beneuolentiſſimè concedit; ac præterea *conſeruationem, & tuitionem Priuilegiorum pollicetur, quæ à Regibus Franciæ, Maioribus ſuis, Monaſterio conceſſa agnoſcit.* Permittit & toto Regno ſuo *Quæſtas*, quas vocant, factitare, & *Confraternitatis* Indulgentias promulgare, quicquid tandem belli ſit, aut aliquando exiſtere poſſit, &c.

HENRICVS III. anno 1579. *priorum Regum*, vt ipſe profitetur, *morem, mentemque, & pietatem ſecutus*, bona omnia Andaïnenſis Monaſterij, quæ in Galliæ regno, *omnibus oneribus*, vt vectigalium, tributorum, penſionum, libera fuiſſe antiquitus, declarat: ac modo, & deinceps eſſe iubet: *propter reuerentiam*, inquit, *& deuotionem, quo erga ſacrum illum locum ferebantur.* Nec omittit, SOLITVM *fuiſſe ijſdem prioribus Regibus, quotquot annis eò munus aliquod mittere, &c.* Denique ait, ſe *conſcio, & aſſentiente ſuo Senatu, ita ſtatuere, &c.*

HENRICVS IIII. Anno 1602. ſimilia fere litteris ſuis, beneuolentiæ pleniſſimis, inculcat, & diſertis verbis præfatur, Abbatiam S. HVBERTI eſſe *Fundationis, & Protectionis Regiæ.*

Eiuſdem HENRICI IIII. Epiſtolam vidi, anno eodem, penultima Decembris ſcriptam ad Dominum *Buzanual*, ipſius Regis in Belgio Legatum: quâ diligenter, ac ſeriò admodum mandat, omnem diligentiam adhibeat, vt Hollandi, & Abbatem Andaïnenſem, quem captum tenebant, dimittant liberum: & quæ è Monaſterio rapuerant, reſtituant,&c. *Obligor*, inquit, *eam Abbatiam tueri, vel hoc ſolo nomine, quòd Rex Chriſtianiſſimus ſum,&c.* Non ſilet tamen, *Reges Franciæ fuiſſe Fundatores*: quâ de causâ, tanto teneatur magis omnem iniuriam propulſare,&c.

Adiungamus poſtremò de Regibus Chriſtianiſſimis, MVNVS illud, quod Henricus III. à Regibus, Andaïnenſi Monaſterio mitti ſolitum dicit, eſſe trecentas libras. Teſtantur hoc HENRICI IIII. &

LVDOVICI XIII. Epiſtolæ ad Andaïnenſem Abbatem, quas facilè duodenas vidi: quibus tum gratum ſibi eſſe annuum Abbatis *munus* teſtificantur (*Canes, & aues venatui aptæ* id *munus* eſſe ſolet) tum viciſſim trecentas illas libras mittunt, eleemoſynæ nomine,& excipiendis pauperibus peregrinis. Sequuntur iam Imperatoribus & Regibus proximi

PRINCIPES.

Difficile eſt, hoc in genere ſemper,& omnium produ-

producere Scripta Teſtimonia. Plurium vicem, pluribus æquandus obtinebit

ALBERTVS AVSTRIACVS, Archidux Sereniſſimus, Dominus noſter Clementiſſimus: ſed heu! qui fuit. Deſeruit nuper terras, cælo maturus. Hic igitur quinquennio ante ſibi beatam, nobis acerbam mortem, anno *1616.* hic, inquam, & ſimul SER^ma^ ISABELLA CLARA EVGENIA, tunc tali Marito beata: nunc eius deceſſu afflictiſſima, litteris patentibus, datis FVRÆ (quo loco S. HVBERTVS ante nouem fere ſecula, mortalitatem exuerat) primũ fatentur, glorioſæ memoriæ Principes deceſſores ſuos, *antiquitus Protectores fuiſſe Andainenſis Cœnobij*, omniumque tum hominum, tum rerum, quæ quoquo modo eius ſint. Produxi antea ex ijs litteris *Carolum V.* Cæſarem, & *Philippum II.* Hiſpan. Reges: ſed addunt præterea *Maximilianum*, & *Philippum, Auſtriæ Archiduces*, quorum litteræ, illius affectus teſtes, extent anni 1485. Ipſe porrò ALBERTVS, & ISABELLA, *ob ſingularem* (ita verba ſonant) *deuotionem, quâ* S. HVBERTO *afficiantur, &, quòd ſe participes fore ſperent, bonorum operum, quæ in deuoto illo Monaſterio futura ſint,* omnia priorum Principum Diplomata, & ijs impenſos fauores confirmant, conceduntque fere, quicquid ab alijs Principibus antea conceſſum legiſti. Sed vnum præterea apponunt, quod in alio nullo hactenus legiſti: quod ſeruatis re-

ligioſè verbis hîc ponam. Nempe, *Quoniam præ omnibus optent ſpirituale bonum, & progreſſum eorumdem Abbatis, & Monachorum, reformationemque diſciplinæ monaſticæ; mandant, atque iniungunt ſuis, qui in Conſilio Luxemburgenſi, vt manum, auxiliumque præſtent Abbati, in omnibus, quæ expedire iudicabit ad eum finem conſequendum, &c.* Hoc demum eſt exhibere ſe Principes Chriſtianiſſimos, & religioſiſſimos.

Deſinam hanc Andaïni maieſtatem prædicare, vbi vnum addidero, in quo eius ſpiritualis poteſtas, & authoritas magnificè eluceſcit, & quaſi triumphat, Pontificiæ, ſi fas dicere, quodammodo æmula: etſi dubitandum non eſt, quin ab ipsâ Pontificiâ manauerit. Nemini non notum eſt, cuiuſmodi fulmina in impios vibrentur Romæ quotannis, recurrente die Cœnæ-Domini. De *Excommunicatione* loquor. Generalia illa ſunt, & quibuſuis Eccleſiæ Catholicæ filijs communia. At habet *Andaïnenſis* Domus particularius aliquid, & âſtrīctum magis, & quod ipſam tantum, & viciniam tangat: etſi aliquot capita, etiam remotiores, atque adeò omnes attingere poſſint. Integram *formulam* hîc ponere mihi viſum eſt, quod & pijs iucundum futurum ſit, eam cognoſcere: & impijs, dum terrorem incutit, ſaluti eſſe poſſit. Prius monebo Lectorem, ante annos minimùm 600. ſimile aliquid iam factitari ſolitum,

vt

vt repetere licet ex Cultu propag. cap. 8. vbi *ſacrilegio ſublatum Pſalterium ex Andaïnenſi Monaſterio,* MVLTIPLICI ANATHEMATE, *per diuerſas regiones, publicè quæritur.* Vide ibi. Quod ego Exemplar vidi, vernaculo ſermone Gallico deſcriptum eſt, ſoletq; eâ linguâ quotannis, multo concurrente populo, legi. Ego Latinè, quantum licebit, ad verbum exprimam. Epigraphe omitti non debet, quæ ſic habet.

RITVS EXCOMMVNICATIONIS Solemnis, quæ quotannis in Eccleſiâ S.HVBERTI *pronuntiatur, primâ Dominicâ Iulij, à Decano Baſtonienſi, aſſiſtente vniuerſo populo: & maximè qui ſpectant ad Cruces Bannales eius Decanatus: qui hoc die in Proceſſionem compoſiti aſſunt, ad reddenda ſuæ obligationis vota.*

SEquitur ipſum *Anathema* in ſua capita diſtributum, quæ ſubiungimus.

HODIE *authoritate S. Sedis Apoſtolicæ, & vi antiquarum gratiarum, & Priuilegiorum, venerabili Eccleſiæ, & Monaſterio* S. HVBERTI, *Arduennæ Tutelaris Diui, conceſſorum,*

I. EXCOMMVNICAMVS, *& excommunicatos publicè declaramus, omnes eos, eaſque, qui, quæue impedimenti, aut remoræ aliquid obijciunt, quibuſuis pijs Peregrinis, pium hunc locum, deuotio-*

niſi ſuæ exercendæ, aut muneris offerendi cauſâ, adeuntibus.

II. EADEM *authoritate excommunicamus, quotquot turbant, aut vim afferunt honeſtis mercatoribus, nundinas, aut forum huius oppidi* S. HVBERTI *petentibus. Eiuſmodi enim quietis publicæ turbatores commercium, & commoda impediunt, huic ſacro loco neceſſaria.*

III. TVM ETIAM *excommunicamus, & excommunicatos proclamamus, omnes eos, & eas, qui, & quæ fraudulenter verſantur in ſoluendis Decimis, cenſibus, reditibus, oblationibus, caſeis cruciatis, alijſque debitis quibuſuis, & obligationibus, quibus erga pium hunc locum, &* S. HVBERTI *Monaſterium, aſtringuntur.*

IIII. EODEM *anathemate generatim percutimus eos, & eas, qui, vel quæ ſecundum* DEVM, & *conſcientiam ſuam, non perſoluunt, quicquid eidem Monaſterio, quoquo modo debent: ſiue ex voto, ſiue aliâ obligatione, tum antiquâ, tum nouâ.*

V. OMNES *hos, & ſingulos fraudatores, excommunicamus, tamquam ſacrilegos rerum ſanctarum vſurpatores: & eos declaramus alienos à Sacrificijs, ſuffragijs, precibus, operibus bonis, quæ toto Orbe in Eccleſia DEI fiunt, maximè autem in hoc Templo, & celebri* S. HVBERTI *Monaſterio.*

VI. QVI EXCOMMVNICATI, *manu DEI excuſſi, à communione Sanctorum, & Fidelium conuerſatione eiecti, traditi ſunt in manum diaboli,*

&

& reproborum communionem, in damnationem perpetuam, eò vſque, dum contriti, & pœnitentes, ſatisfecerint, & quæ debent, reſtituerint.

VII. IN SIGNVM *porrò Anathematis, & Maledictionis, cum Regio Propheta Dauide, clarè pronuntiamus:* [Hic humi abijciuntur accenſi cerei.] *Sicut cera fluit à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI. Amen, Amen.*

QVÆSTIO IX.

DE CVRATIONIBVS IN ANdaïno adhiberi ſolitis, ijs, quos imminens ab RABIE *periculum ad* S. HVBERTI *opem poſcendam, eò adducit.*

Diſputatur hâc Quæſtione de ipſâ Curatione: *de eius modo, & circumſtantijs; de vetitis, aut præſcriptis quibuſdam* cibis: *& alijs obſeruandis, aut cauendis.*

Maximè autem,

AN SVPERSTITIONIS ALIQVID contineant?

Eâdem operâ examinantur ea, quæ alijs etiam locis, ad eumdem finem fiunt, eiuſdem D. HVBERTI *interpoſitâ deprecatione.*

TOL-

TOLLENDÆ confuſioni in *Quæſtione* hâc longiuſculâ, & *Argumenti varij*; adhibebo, quàm potero clarum ordinem, & accuratam methodum. Primo igitur loco, excutiam, quæ in ANDAINO fiunt; tum quæ alibi.

ANDAINVM.

Habent *Andaïnenſes* FORMVLAM, Vernaculo ſermone Gallico, & Germanico, typis excuſam, cuius Exemplar ſingulis tradunt, quibus, arcendæ Rabiei, Sacræ Stolæ particula fronti inſeritur. Eam ipſam *Formulam*, Latinè à me verſam ecce habes;

RATIO, *ac Modus obeundi Nouemdiale Sacrum Diuo* HVBERTO.

CVI FRONTE *inciſâ, Sacræ* STOLÆ *fragmentum inſitum fuerit, cultûs gratiâ* D. HVBERTO *adhibendi, hæc capita diligenter obſeruato.*

I. PECCATA *expiato, & SS. Euchariſtiam nouem deinceps diebus accipito.*

II. SOLVS *dormito: idque vel in linteis recens lotis; vel non depoſitis veſtibus.*

III. SOLVS *item bibito: neque, dum bibit, caput fontibus, fluuijſue acclinato.*

IV. AD POTVM, *vinum album, rubeum, heluolum, (* Claretum *vulgo vocant) adhibeto: ſed aquam admiſceto. Si mauult, puram putam aquam haurito.*

V. PANEM *vel candidum, vel cibarium edito.*

VI.

VI. CARNEM *Porcus maſculus, Capo, Gallina prabeto. Sed animal infra anniculum ne eſto.*

VII. PISCES, *ſi quos ederit, ſquamati ſunto, vt Carpiones, Haleces, aliique.*

VIII. OVA *nonniſi dura eduntor.*

IX. QVICQVID *hactenus edulij præſcriptum eſt, frigidum, non calidum ſumitor.*

X. CAPVT *totos quadraginta ab inciſione dies, ne pectinato.*

XI. SI EVMDEM *beſtia iteratò vulneret, mordeatue ſanguine tenus, ab iiſdem iam memoratis triduum dumtaxat abſtineto: neque ideo ad Diui limina reuertitor.*

XII. DECIMO *die, faſciam, quâ frontem vinctus fuit, Sacerdote ſoluente, deponito: igni abſumito: cineres in ſacrampiſcinam redigito.*

XIII. S HVBERTI *natalem diem, qui tertius eſt Nouembris, quotquot annis, religioſè feſtum, & feriatum habeto.*

XIIII. DENIQVE, *ſi cui alteri morderi contigerit à beſtia, rabie agitatâ; ei tempus cum authoritate prorogato; & quadragenos dies iterum, ac ſæpius, quoties opus fuerit, indulgeto.*

Hactenus vulgatam formulam, quantum licuit, ad verbum fere expreſſimus. Iam, vt polliciti ſumus, eamdem examinemus. Quamquam quid opus examinare, quod tot ſeculis in con-

ſpectu omnium, &c, (vt cum Scripturâ dicam) *in oculis ſolis huius;* conſciâ totâ Eccleſiâ, atque etiam gratulante, & in DEO, Sanctiſque eius gloriante, factum eſt, & porrò fit? DEO ipſo (iterum cum Scripturâ) *Domino cooperante, & ſermonem*, ac totam iſtam curandi œconomiam, *confirmante*, SEQVENTIBVS SIGNIS? Signa hîc non inculco. Dixi de ijs ſuo loco.

Sed tamen examinemus, & totam rem, DEO, diuoque HVBERTO opitulantibus, ita tractemus; vt & blaſphema hæreticorum ora opprimamus, & Catholicis hominibus ſatisfaciamus; quorum pars vel curioſitatis prurigine, vel ignorationis caligine impediti ægrè veritati acquieſcunt: pars DEI magnalia, vti par eſt, venerantes, & Sancti potentiam admirantes, piè tamen, & humiliter, rationem, quãtum fas eſt, eorum petunt, quæ & admirantur, & venerantur.

PRINCIPIO igitur eò minus Catholicos hæc admirari par eſt, quòd alijs paſſim locis, in Sanctorum item cultu, alias *Cæremonias* obſeruari videas, nihilo minus, quàm iſtæ ſunt, admirandas. De ijs, quæ alibi vel ad *Reliquias*, vel ad *Memoriam* huiuſdem S. HVBERTI fiunt, dicam hâc ipsâ Quæſtione paulò pòſt. Renatus Benedictus, Pariſienſis Vniuerſitatis Theologiæ Doctor & Profeſſor, in poſteriore Tomo, duorum, quos Gallico ſermone, de vitis Sanctorum Pariſijs edidit, anno 1603. in vi-

ta

ta S. Marculphi, refert, Reges quidem Chriſtianiſſimos, totâ Eccleſiâ teſte, poteſtate à DEO donatos, ſtrumas ſanandi: ſed negat, vllam ijs vim eſſe, antè quam *conſecrati, diademate redimiti, & ſolemni vnctione delibuti fuerint.* Quinetiam vllum Regem quicquam poſſe negat, niſi prius adierit locum, quo *S. Marculphi* ſacræ Exuuiæ quieſcunt, atque *Nouemdiale Sacrum* obierit. Id Sacrum ait, ante omnem hominum memoriam extitiſſe, & conſtanter etiamnum retineri. Conſiſtere autem in eo, vt *honorando S. Marculpho, Nouem dierum iter fiat, cum obſeruatione magnarum* (Authoris verbis ad verbum vtor) *& ſanctarum Cæremoniarum, præter alias Singularitates deuotionis.* Porrò ipſos ægrotos, ſcrophulis laborantes, *nouem* itidem *dies* ait ad S. Marculphi corpus, certo ritu, exigere oportere, ac nominatim à certis cibis abſtinere; cuiuſmodi, exempli gratiâ, ſunt *Allia, piſa, caro bubula, anguillæ, &c.* Atque horum quædam, in totam vitam ijs negat attingenda. Ne videar multa aliena voluiſſe congerere, hoc de S. *Marculpho*, tam ſimile noſtro, attuliſſe ſufficiat. Iam ad *Formulam Andainenſem* redeamus, & eam primum generatim; ac deinde quoad particularia capita, conſideremus.

Primo loco illud inter generalia occurrit, quod *Obſeruatio* iſta præſcribitur

NOVEM DIEBVS.

Cur certo dierum numero? & cur potius *Nouem*

uem, quàm pluribus, paucioribuſue? Qui moleſtior ſit, in vrgenda *Numerorum* ratione, is mihi dicat, Cur ipſo mundi exordio, magnus ille Opifex, ſenis diebus omnia condiderit, qui momento poterat? Cur idem *diei ſeptimo* potius *benedixerit, & ſanctificauerit illum?* Cur *animalia munda ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam* in Arcam induci iuſſerit. Geneſ. 7. 2. Cur pluuia diebus *quadraginta* diluuium terris induxerit? Gen. 7. 17. Cur Moyſes, Elias, Chriſtus *quadraginta* diebus ieiunauerint? Et, ne iſta, aliaque plurima ijs ſimilia, è veteri Teſtamento petita, vt abolita, reijciantur; dicat curioſus ille percontator, Cur Apoſtoli à Chriſto electi *duodecim* (Luc. 6. 13.) ita præciſo numero, vt Proditore Iuda, viſcera, cum Apoſtolatu, effundente, alium ſuffici neceſſe fuerit? Act. 1. 21. 22. Cur deſignati *duo, & ſeptuaginta* alij Diſcipuli? Luc. 10. 1. Denique cur omnium Dominus, qui *omnia in menſura, &* NVMERO, *& pondere diſpoſuit*, (Sap 11. 21.) ipſemet Numeros ſic obſeruauit, vt & *octauo* die circumcidi voluerit, & *tertio in horto orauerit, eumdem ſermonem dicens*, & die *tertia* à mortuis reſurgere voluerit? Idem πολυπράγμων Sanctos Patres Græcos & Latinos interroget, cur tam ſtudioſi *Numerorum* obſeruatores fuerint, vt totas paginas quandoque in vnius *Numeri* diſquiſitione, & Myſterijs enucleandis conſumant? certè S. Auguſtinus, cum aliâs ſæpe mirè de

de *Numeris* philoſophatur; tum tract.17. in Ioann. vbi de languido illo diſputat, qui *ad Probaticam piſcinam, triginta & octo annos habebat in infirmitate.* De quo numero cum multa, longo circuitu dixiſſet, tandem non ſine lectoris admiratione concludit: *Quid miraris, quia languebat, qui ad quadraginta, duo minus habebat?* Maneat igitur, nihil nouum eſſe *Numeros* certos obſeruari, etiam in nouo Teſtam. etiam à SS. Patribus, etiam ab ipſo Chriſto. Sed manet quæſtio de numero NOVENARIO, cur is potiſſimum in illâ piâ Obſeruatione exigatur. Iterum id tueri poſſum authoritate, eâque & multiplici, & grauiſſimorum hominum, vel veterum, vel recentiorum. Iam antè, hâc ipsâ quæſtione oſtendi, *Scrofulas* neque à Regibus Chriſtianiſſimis ſanari, neque à languidis abijci, niſi adhibito hoc numero, idque ante omnem hominum memoriam fuiſſe vſurpatum. Hoc ſolum exemplum, modeſtis Catholicis ſatis eſſe debet, vt ſuperſtitionem abeſſe credant, ab eo, quod tam antiquum, tam diuturnum, & conſtans ab ipſo Numine habeat teſtimoniũ. Sed maioris confirmationis gratiâ vnum addam è vitâ magni Indiarum Apoſtoli, Gaſparis Barzæi, B. Xauerij in glorioſa illâ expeditione, ſocij & æmuli.

Luſitanus erat vir, in paucis potens (inquit Nicol. Trigaultius noſter, in vitâ Gaſparis, l.2.c.8.) *ſed idem ita ferox, & crudelis, vt authoritate ſuâ*

opprimeret vniuerſos; verus tyrannus; quem proinde oderant ad vnum omnes, & liberrimè de publicá eius animi impotentia obloquebantur. Multum operæ poſuerat Pater, vt eum è vitiorum cœno educeret: ſed haud paulò in Patrem, quam in cæteros mitior, tantam monitus concepit indignationem, vt ſe publicum ſerui DEI, *iuratumque hoſtem profiteretur ----. Vincebat Pater in bono malum, ille in malo bonum. Et tamen (quod ſatis Gaſpar animaduertebat) permagni referebat, illum hominem conuerti. Itaq; ab homine ad* DEVM *conuerſus, ſperauit, ſe citius poſſe diuinam in impium iram, quàm hominis in ſe odium placare. Mutato igitur conſilio, acres eius cauſâ ſuſcipere pœnitentias, flagellationes, ieiunia, cilicia: noctes in oratione peruigili traducere, Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium pro eo offerre, in horas ſingulas ad Dominum ſæpius eius cauſâ exclamare, vt, quoniam ipſe bonitas, ac pulcritudo eſſet immenſa, ab eâ ſe animâ faceret amari, quæ, vt erat cæca, tantam lucem deteſtari non ceſſaret.* NOVEM TOTOS DIES *hanc rationem tenet, quibus expletis, durus ille admirabili ratione, non pro ſuis meritis, ſed Gaſparis honore, benignè à* DEO *eſt emollitus. In lectulo quieſcens, ſub ſecundam à mediâ nocte, horam, ante ſe Gaſparem ipſum vidit, cum tamen ianuas omnes clauſas eſſe conſtaret: vidit autem & ita ſplendentem, & ſuauiſſimum, manibus præſertim, ac vultu, odorem ſpirantem, vt lumine, & odoris ſuauitate tota domus reple-*

repleretur: vnde facilè apparebat, aliquid eſſe diuinum. Aderat quoque ſpecies alia ad Gaſparis latus; quæ neſcio quem referebat: vero ſimile eſt, vel hominis vel Gaſparis fuiſſe Tutelarem, qui ſic eum eſt affatus: Quid agis peccator? quid moliris? quorſum Gaſparem tantopere horres? cur dubitas illi animæ tuæ ſalutem committere? an non vides, quanto eum decore DEVS ornauerit? Euigilauerat tam Nobilis, ac ſibi bene præſens erat. Itaque cum ſe viſis, auditiſque permotum, in eius amplexus promoueret, ſubitò diſparuit, nec manus, aut oculos, magis, quàm cor iam exultatione geſtiens, eſt fruſtratus. Manſit tamen, qui iam locutus erat, atque ita ſermonem proſequens, eum conſolatur: Ne credas, Patrem ita te fugere, vt ipſum hactenus tu ipſe fugiſti ----- Miſſam manè nondum Gaſpar perfecerat, cum eum nuntius ab amico iam ſuo expectabat, rogaturus vt ſui cupidum accederet. Gaudio perfuſus Gaſpar, è veſtigio adit: quem vt vidit, vocem extulit, abiecit ſe ad pedes, multa animi ritè contriti edens argumenta. Poſt hac Confeſſionem de totâ vitâ inſtituit. ----- Addit Trigaultius, eum deinceps miros in virtutibus, progreſſus feciſſe, ſed maximè *caritate in pauperes, quibus paucis diebus, ſupra quinque aureorum millia diſtribuerit.* Credo, me ſilente, videre hîc Lectorem, in hâc tam mirabili dexteræ Excelſi mutatione, præ alijs Numeris, NOVENARIVM à Viro Sancto, ab Angelo DEI, ab ipſo DEO approbatum.

Non eſt mei conſilij, longam diſputationem inſtituere, Cur hic numerus curationibus morborum, vel corporalium, vel ſpiritualium, cæteris aptior videatur. Faciet hoc, cui vacabit, & lubebit. Vt campum aperiam ampliorem, quàm imperito alicui primâ fronte videatur, hoc tantum annotabo, ſolitos SS. Patres, vbi Numeros tractant, non modò quemuis Numerum in ſe conſiderare: ſed ſingulas eius partes ſcrutari. Itaque qui Nouem ſibi proponat inſpiciendum, ſimul inſpiciat & Vnitatem, & Binarium, & reliquos deinceps Numeros, qui infra Nouem. Nam componitur is Numerus, ex Vno, & Octo: item, ex Duobus & Septem: ex Tribus, & Sex: ex Quatuor & Quinque. Poſſunt & minores ſectiones fieri (vt ſi ſumas duo, tria, quatuor) quas omitto. Illud non omitto, in noſtro hoc Numero contineri TER TRIA: de quâ compoſitione mira diceret ſanctus, & doctus aliquis ἀριθμόσκοπος. Sed ego, vt dixi, manum abſtineo.

Alterum generale quæſitum eſto, Cur, ſi Curatio quæ in Andaïno perficitur, Miraculo tribuenda eſt, Cur, inquam, præter Numerum iſtum, etiam tam multa alia præſcribuntur, vel obſeruanda, vel cauenda? Nam DEVS, vt vitæ & mortis; ita Morbi & ſanitatis Dominus, neque iuuari ſanè poteſt, neque impediri, quicquid vel facias vel omittas. Quorſum igitur cibi alij præſcribuntur, alij vetantur? quorſum alia,

alia, quæ *Formulâ* memorantur? Si ad hanc quæſtionem nihil reſpondere poſſemus, non tamen ilico conſequens eſſet, vt vana, ſuperflua, ſuperſtitioſa diceremus, quæ nos ignorare fateremur. In promtu eſſet dicere, DEVM multa præſcripſiſſe, cuius rationes redderenõ facilè quiſquam poſſit. Vna illa ratio ſufficiat, quòd ſic illi viſum, qui *Omnia, quæcumque voluit, fecit*, Pſal.113.11. Addi poteſt, exercendæ noſtræ obedientiæ tantum, multa vel mandari poſſe, vel vetari. Quænam alia ratio afferri poſſit, cur interdictum primis parentibus eſu fructus *ſcientia boni & mali*? Gen. 2.17. Diceret quis: Vel bonus eſt fructus, vel malus. Si malus, vt quid terram optimam occupat: ſi bonus, quid ni edatur? ſed reſponderetur: Bonus eſt fructus, ſed nolo edi. *An non licet mihi, quod volo, facere? Ecce dedi in manu tuâ Iericho, & Regem eius, omneſque fortes viros,* aiebat Dominus, Ioſue cap.6.v.2. Sed vide quid Imperatori imperet: *Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die ſepties circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccinis, & conclamabit omnis populus vociferatione maximâ, & muri funditus corruent ciuitatis.* Redde rationem, ſodes, huius Comœdiæ, quæ in Tragœdiam deſijt. Accipe aliam ex hiſtoriâ Regum, lib.4.cap.13.v.15. Ibi Propheta Eliſeus æger Regi Iſrael Ioæ, ſe viſenti, & lacrymanti ait: *Affer arcum, & ſagittas. Pone*

manum tuam ſuper arcum: Aperi feneſtram Orientalem: Iace ſagittam. Quid tum poſt hæc omnia? *Percuties,* inquit, *Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* Hæc connecte; ſi potes. Ibidem mox: *Tolle ſagittas; Percute iaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt vir DEI contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumtionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Qui hæc inter ſe cohærere oſtenderit, ei ego facilè oſtendam, omnia, quæ in *Andaïno* fiunt, optimè cum Curatione cohærere. Ex his apparet, rectè quandoque exigi obedientiam ab ijs, qui petunt beneficium, etſi cur exigatur, illi non intelligāt. Sed non vtar in noſtro negotio hâc reſponſione. Adferam aliquid, quod non ita omnem rationem, & ratiocinationem excludat, non ita cæcum aſſenſum exigat.

Dico igitur, Magnum DEVM, Naturæ Authorem, & Parentem, ipſi Naturæ eum honorem habere, vt eius operâ, non modò in rebus, & actionibus merè Naturalibus vtatur, ſed & in ijs, quæ Naturæ vim excedentes, diuinâ, & ſupernaturali poteſtate patrantur. Id adeò fit, non quòd cuiuſquam operâ indigeat, qui cum DEVS noſter ſit, *bonorum noſtrorum non eget.* Pſal. 15. 2. Sed quòd velit nos ordinem ſemel ab ipſo conſtitutum non temerè præterire: &, cum ab eo opem petimus, rerum creatarum opem,

opem, quatenus eæ iuuare queant, minimè negligere. Abundat diuina Scriptura id genus exemplis. Durus ille, & terræ penitus affixus populus, cæleſti pane indignus, carnes cogitabat, carnes clamabat. Dedit DEVS, neque quaslibet, ſed Coturnices. Sed modum, & creaturæ miniſterium attende: *Tranſtulit Auſtrum de cælo, & induxit in virtute ſuâ Africum: Et pluit ſuper eos, ſicut puluerem, carnes, & ſicut arenam maris, volatilia pennata.* Pſal. 77. 26. Si cui phraſis Poëtica videtur, & minus aperta, audiat Moyſen, qui negotio aderat, & præerat: *Ventus egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra, itinere, quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum: volabantque in aëre, duobus cubitis altitudine ſuper terram. Surgens ergo populus, toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit Coturnicum, qui parum, decem coros, & ſiccauerunt eas, per gyrum caſtrorum. Numer. 11. 31.* Vides hic *Ventum Africum* diuino Miraculo adminiculantem? Neque cenſeas, ſic Ventum adhibitum, vt Coturnices, more pulueris, aut foliorum propelleret; ſed naturæ, & mori harum auicularum obſequens DEVS, eum Ventum excitauit, quo flante, volare amant. Eſt in eam rem egregius Plinij locus in Hiſt. Natur. lib. 10. c. 23. quo loco de *Coturnicibus* ita ſcribit: *Auſtro non volant, humido ſcilicet, & grauiore vento.* Hinc Dauid: *Tranſtulit Auſtrum de cælo,*

id eſt ſuſtulit,&c, ne flaret, inhibuit. Iterum Plinius: *Aurâ tamen vehi volunt propter pondus corporum, vireſq; paruas. Hinc volantium illa conqueſtio labore expreſſa. Aquilone ergo maximè volant, Ortygometra duce.* Hanc *Ortygometram* minimè ſiluit Sapiens, in Sap. libro, cap. 16. v. 2.

Aliâ ratione idem omnium Dominus *Vento* vſus eſt, cum filijs Iſraël iter per medium mare, formidando miraculo parauit. Exod. 14. 21. *Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante* VENTO VEHEMENTI, ET VRENTE *totâ nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eorum, & leuâ.*

Mittamus Ventos: alia videamus. *Aquas peſſimas*, & ſteriles ſanauit DEVS, *vt non eſſet in eis vltra mors, neque ſterilitas.* lib. 4. Reg. cap. 2. v. 19. ſeqq. Sed iuſſit Propheta ſibi afferri *vas nouum, & mitti in illud ſal; & egreſſus ad fontem aquarum miſit in illum ſal.* Salis naturam ſatis nouimus. Illâ vſus eſt DEVS cum nobile illud miraculum patrare decreuiſſet. Idem Eliſeus, puerum excitaturus mortuum, *incubuit ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* lib. 4. Reg. cap. 4. v. 34. Sic parabat habitaculum rediturae animae, quae non niſi in calido corpore morari ſolet.

E filijs Prophetarum quiſpiam pro ſalubri herbâ, errore *collegit colocynthidas agri* (ibid. v. 39.) Qui guſtarunt, clamauerunt, *Mors in ollâ.*

Quid

Quid Eliſeus? *Miſit farinam in ollam, & non fuit amplius quicquam amaritudinis in ollâ.* Non eſt negandum miraculum. Sed tamen conſtat, lenta, & glutinoſa, cuiuſmodi *Farina* eſt, emendare colocynthidis malignitatem; vt docet Franciſcus Valeſius, Sacræ Philoſ. cap. 36.

Naaman Syrum leproſum, & ſanitatem orantem, idem mirabilium patrator iubet *in Iordane ſepties lauari* (ibid. cap. 5. 10.) *lauit, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.* Præter DEI manum, quæ facit mirabilia, non eſt neganda vis fluuialium aquarum, de quâ idem Valeſius cap. 38.

Spiritum Propheticum ſatis conſtat DEI donum eſſe, quod omnes Naturæ vires longè excedat, & non niſi ſingularibus DEI amiculis concedatur priuilegio ſingulari. Nec tamen dedignatus eſt DEVS animum ad eum accipiendum, Muſicâ præparare, & excitare. Teſtis idem ſæpe iam memoratus Eliſeus, qui, eius Diuinæ voluntatis gnarus, cum futura canere vellet, *Adducite*, inquit, *mihi Pſalten. Cumque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus.* lib. 4. Reg. c. 3. v. 15.

Hanc DEI conſuetudinem, Naturæ miniſterio vtendi in ijs etiam, quæ ſupra Naturam agit, etiam in morbis ſanandis, obſeruare licet. *Ægrotabat* aliquando *Ezechias Rex vſque ad mortem.* Iſaias eum ſanaturus, iubet *afferri maſſam ficorum: ponit ſuper vlcus eius*, & cum ſanat.

lib.4. Reg.cap.20.v.7. Miraculum grande fuit: ſed *Ficus* potius adhibitæ, quàm aliud quippiam, quia vim habent extergendi, diſcutiendi tumores, emolliendi ad ſuppurationem. Ita ex Galeno, & Dioſcoride Valeſius, cap.39.

Tobias, Angelo Magiſtro, *patris* cæci *oculos piſcis felle linit*, & ſanat. Tob.11.13. Adoranda in tanto miraculo, DEI benignitas: cæterum fel ad abſtergendas albugines vtile eſſe, tradit Plinius, lib.25.c.11. Ad Medicinas ſpectat etiam illud quod paulo antè retuli de *Naaman leproſo* ſanato. Si non videor poſuiſſe ſuo loco, cenſeatur hyſteron proteron.

Satis iam, vt arbitror, probatum eſt, quod inſtitueram, Curationibus miraculoſis Naturam ſæpe, DEI nutu, ancillari: ac proinde, rectè præſcribi naturalia, etiam tum, cum à DEO beneficium, naturæ vi maius, expectatur. Ex quo certò conſequens eſt, multo magis cauendum, ne, dum à DEO aliquid petis, quaſi datâ operâ facias, quod contra tuum poſtulatum ſit. Eiuſmodi fuiſſet, ſi Ezechias, cum Vlcus ſuum ſanari rogabat, vnguibus in illud ſæuis graſſatus fuiſſet.

Iam, vt iſta inſtituto noſtro accommodem, nego, in præſcriptâ illâ *Andainenſi formulâ* quicquam vel iuberi, vel prohiberi, quod non ſimili ratione explicari poſſit. Hoc apparebit, cum mox ſingula illius Formulæ capita examinabimus; quod his generatim præmiſſis, iam

facia-

ſaciamus; atque, ne quid ſilentio callidè ſupprimere voluiſſe videamur, verba ipſa iterum, & præcepta, ſed ſeparatim vnumquodque, referamus.

CVI, FRONTE *inciſà, ſacræ Stolæ fragmentum inſitum fuerit.*]

Hæc verba, quamuis clara, non omnes ſatis clarè intelligent. Mei inſtituti eſt, ea explicare. Res ita habet.

Canis rabidus, aut alioqui aliud animal, dentem, vnguemue ſani hominis corpori fortuito imprimit, cruoremque inde elicit. Qui ſic vulneratus eſt, gliſcente per vulneris aditum, maligno humore, nihil minus quod expectet habet, quam ſimilem rabiem. Huic malo, quòd ægerrime, & rariſſimè à merè naturalibus cauſis remedium reperiri conſtat, à DEO petitur, interpoſitis S. Præſulis HVBERTI meritis, precibuſque. Sic viſum ipſi DEO, qui & eo nomine STOLAM illi, vt ſic dicam, perennem miſit, quæ velut inſtrumentum primarium eſſet huius curationis. Ergo, qui tantum malum iure timet, & fere neceſſariò expectat, *Andainum* petit, infortunium aperit, remedium orat, & facilè impetrat. Altare eſt in dexteriore Templi S. HVBERTI alâ, extra Chorum Religioſorum, & Choro proximum; & propter Altare, armarium, in quo capſellæ argenteæ incluſa S. *Stolæ* particula. De hâc *Stolâ*, & in Notis meis, & in aliâ Quæſtione, dixi, vt arbitror, quan-

quantum ſatis fuit. Itaque nihil hîc aliud addo. Vſum eius tantum aperio. Igitur accedente manè vulnerato quopiam, vti dixi, & Diui opem petente, iubetur ſedere in paratâ ad id cathedrâ humiliore, ex aduerſo ipſius armarij; è quo capſella illa argentea depromitur. Tum Sacerdotes duo (eſt fere prior è Religioſis, Inſtituti S. Benedicti, qui cum ſuo Antiſtite ibi degunt: alter Sacerdos alioqui ſecularis, quem Peregrinorum Sacellanum vocant) huic miniſterio ritè deſtinati, adſunt, & negotio ſe accingunt. Alter, Vulneratum à tergo accedens, eius caput erigit, & nonnihil reſupinat. Tum, appoſitâ fronti eius ſiniſtrâ, indice, & medio digito diductis, pelliculam tendit, ne rugæ ſectionem morentur: dextra verò, aptatum ei rei cultellum frontis meditullio eatenus dumtaxat imprimit, vt cutem modice eleuet; cui alter, alterius cultelli extremo, minimum Stolæ Segmentum ſupponit, quod cute tectum fronti perpetuum includitur. Tum lineâ faſciâ vulnuſculum obligatur, quæ non niſi nono die exacto, deponitur. Hæc cæremonia Sectionis eſt. Iam qui ſic ſectus, ſic Stolâ munitus eſt, ei quatuordecim capita præſcribuntur, quæ iam deinceps examinatum imus.

Sed prius monendus mihi eſt Lector, Quod de *Armario* ſcripſi, in quo S. *Stolæ* particula aſſeruaretur; hactenus quidem multos per annos ita vſurpatum: ſed his iam ſcriptis, mutatum nuper

nuper aliquid intelligo. Nam D. *Nicolaus Fanſontus* Andaïnenſis Præſul ampliſſimus, vt multis alijs in rebus pietatem, & religionem egregiè promouit: ita hîc quoque. Iudicauit enim, tum ſecurius ipſam *Particulam* intra Sacrarium aſſeruari poſſe, in quo *Stola*, vnde deciſa eſt, multæque aliæ SS. Reliquiæ decentiſſimè aſſeruantur: tum magis excitandam aſſiſtentium reuerentiam, ſi quoties res poſtulat, eadem *Particula*, è ſacrario depromta, non ſine accenſis facibus, & ſacrâ pompâ, ad memoratum Altare deferatur. Quod hodie non ſine approbatione, & plauſu omnium piorum, obtinet.

I. PECCATA *expiato, & SS. Euchariſtiam nouem deinceps diebus accipito.*

Hoc caput nemo arrodere auſit præter hæreticos: quos hoc loco non moramur. Neque meum eſt, horum Sacramentorum pium & Catholicum vſum tueri. Millies id factum ab alijs, quibus nihil habent Caluiniſtæ, aut aliæ vulpes, quod ogganniant. Porro Catholici facile agnoſcent, ſanctiſſimè inſtitutum, vt, qui corpori ſanitatem orat, animi prius morbos depellat, qui ſæpe corporearum ægrotationum cauſa ſunt. Notum eſt enim illud: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Io. 5. 14. Ergo ſequentia videamus.

II. SOLVS *dormito: idque vel in linteis recens lotis; vel non depoſitis veſtibus.*

Plures afferri poſſunt huius Præcepti rationes. *Prima*, ne quid immunditiæ animus, ex corporis alieni contagione contrahat, quem animum nouemdiali hoc tempore, puriſſimum ſeruare ratio, & Sacramentorum quotidie percipiendorum, ſanctitas ſuadet. *Altera*, quòd ipſius ægri corpus variè lædi alterius propinquitate poſſit, ſiue anhelitu, ſiue impacto à dormiente, pede, manu, cubito: ſiue faſciâ, quam ante Nonum diem deponi nefas eſt, ex capite excuſsâ. Poteſt & immundities quælibet, ſeu hominis, ſeu linteorum, incommodi aliquid afferre. Et conſtat, munditiem valetudini plurimum conferre, quam ſordes non rarò offendunt.

Tertia ratio alterum ſpectat, qui cum ægro, eodem lecto vteretur. Facile enim accideret, vt, vel praui humoris, qui in ægro fuerit, reliquiæ eum afficerent: vel ſola huius imaginatio læderet. Itaque illi quoque hoc capite, prudenter, & Chriſtianâ caritate conſulitur.

III. Solvs *item bibito: neque dum bibit, caput fontibus, fluuijſue acclinato.*

Quod *ſoli bibendum* præſcribitur, ita accipias, non vt nefas ſit bibere, vbi alij quoque ſint, qui & ipſi bibant, aut edant. Nihil hoc ad rem pertinet. Sed ita, vt *eodem cum alijs vaſe, bibendi gratiâ, æger ne vtatur.* Neque laborandum vt cauſas huius præcepti quæramus. Eædem planè hic valent, quæ proximè allatæ ſunt,

cum,

cum, cur ſoli dormiendum ſit, explicaremus. Poteſt enim eâdem ratione vel ægro,vel combibenti,inde periculi aliquid creari: eoque magis,quòd potus intra ipſa viſcera recipitur.

Iam,quòd vetat formula, *caput fontibus, fluuijſue acclinare*, eam rationem habet,quod acclinatio illa, facile vapores cerebro immittat, qui bibentes turbent: & eò magis, ſi aquæ curſum, fontis ſaltum, vndarum motum, & agitationem aſpiciant Nam vertigo, & cerebri rotatio inde orta, ijs maximè fugienda, quibus id periculum imminet. Accedit in quibuſdam peculiaris illa cauſa, quòd è rabioſis non pauci euadant *hydrophobi*, qui aquam maximè exhorreſcant.

IV. AD POTVM, *vinum album, rubeum, heluolum,(* Claretum *vulgo vocant) adhibeto: ſed aquam admiſceto.* Si *mauuls* , *puram putam aquam haurito.*

Præceptum hoc partim ad temperantiam,& pœnitentiam pertinere poteſt, vt cuiuis perfacile eſt videre:partim etiam ad phyſicam, medicamque rationem. Nam *lymphatum* vinum humores non ita accendit , atque merum: ac proinde neque furorem , & maniam. Atqui Galenus, Celſus, Auicenna , Rabie correptis meracum vinum dari iubent. Sic eſt: nam in his ferocientes humores imperium iam obtinent, qui à generoſo vino domandi ſunt. At nos ijs, qui Rabiem imminentem fugiunt,

ob cauſam memoratam, mixtum præſcribimus. Porro in purâ aquâ, minus etiam periculi à calidioribus vaporibus eſſe conſtat.

V. PANEM *vel candidum, vel cibarium edito.*

Poterat hoc omitti, cum error committi non poſſet. Sed ne puſilli animi quiſpiam hoc anxiè requireret; viſum fuit, eſſe verbo addendum.

VI. CARNEM *Porcus maſculus, Capo, Gallina præbeto. Sed animal infra anniculum ne eſto.*

Optimi ſucci cenſentur hæ carnes à Medicis, & nutrimenti conuenientiſſimi. Porro ante expletum annum, humidiores, & frigidiores ſunt, & ad putrefactionem faciliores: quo nihil pernicioſius eſſe poteſt ijs, quibus Rabies minatur. Hoc, cum de alijs animalibus verum ſit, de porcellis tamen maximè eſt intelligendum.

VII. PISCES, *ſi quos ederit, ſquamati ſunto, vt Carpiones, Haleces, alijque.*

Eadem fere hîc ratio, quæ proximè. *Squamæ* enim in piſcibus, argumento ſunt, minus humidos eſſe, & viſcoſos: ac proinde minus habere, quod hominis ſanguinem corrumpere queat, & Rabiem promouere.

VIII. OVA *nonniſi dura eduntor.*

Dura oua non ita in bilem abeunt, atque mollia. Minus proinde periculi afferunt ſtomacho bilio-

bilioſo: cuiuſmodi eorum fere eſt, quibus hæc præſcriptio cauet.

IX. QVICQVID *hactenus edulij præſcriptum eſt, frigidum, non calidum ſumitor.*

Intellige, frigidum *actu*, vt in Scholis loquimur: etſi quædam *potentia* eſſent calidiora. Sed quænam huius præcepti cauſa? Duplicem reperio. Calida enim edulia, in infirmo ſtomacho facilius bilem creant, & augent: & eorum craſſiores fumi, & excitati inde odores, cerebrum vehementius feriunt, nauſeamque, & horrorem excitant.

X. CAPVT *totos quadraginta ab inciſione dies, ne pectinato.*

Hoc, quod imperitus, aut calumniator quiſpiam, ſuperſtitioni deputet, ratione tamen optimâ non caret, eaque triplici. Nam & ad pœnitentiam pertinere poteſt, incultum, & neglectum capillum geſtitare: & Medicorum pueri docent, pectine humores commoueri, neque tamen ſatis diſſipari: ac ſic facilè venenatos vapores ad cerebrum attrahi: & denique reuerentia, ſacræ Stolæ debita, ſuadet, ne imprudenter pectinem pelliculæ impingas, & inſitum fragmentum excutias. Quod triginta totis annis poſt ſectionem, nobili viro contigiſſe, legis in extremo Miraculo ex antiquis: neque ſine diuinâ indignatione, miraculo teſtatâ.

XI. SI EVMDEM *beſtia iteratò vulneret, mordeatue ſanguine tenus, ab iiſdem iam me-*

moratis triduum dumtaxat abſtineto: neque ideo ad Diui limina reuertitor.

Cum iam antè ſacrâ Stolâ munitus ſit; neque tam multa, neque tam diu præſcribuntur: Viſum tamen aliquid eſſe præſcribendum, vt & humilitas, atque obedientia exerceatur: & animus ad beneficium agnoſcendum, gratiaſque Deo, & S. Hvberto agendas excitetur.

XII. Decimo *die, faſciam, quâ frontem vinctus fuit, Sacerdote ſoluente, deponito: igni abſumito: cineres in ſacram piſcinam redigito.*

Ad reuerentiam, & religioſam venerationem, totum hoc pertinere, facile intelligitur. *Faſcia* ideo igni conſumitur, quòd æquum non ſit, prophanis vſibus adhiberi, quæ ſemel ſacro miniſterio fuerit dedicata.

XIII. S. Hvberti *natalem diem, qui tertius eſt Nouembris, quotquot annis, religioſè feſtum, & feriatum habeto.*

Ad eumdem religioſum cultum hoc ſpectat, & grati animi teſtificationem.

XIIII. Deniqve, *ſi cui alteri morderi contigerit à beſtiâ, rabie agitatâ; ei tempus cum authoritate prorogato; & quadragenos dies iterum, ac ſæpius, quoties opus fuerit, indulgeto.*

Hanc authoritatem, & reuera miraculi patrandi poteſtatem accipit quiuis, qui Stolam fron-

fronte excipit. Quâ de re diſtinctius, & plenius dixi Q.5. quæ de *Sacrâ Stolâ* eſt. Illud ſolum hîc addo: Omnibus *Stolatis* eam authoritatem attributam eſſe: nec referre, Sacerdos ſit, an Laicus; ſenex, an iuuenis: Denique

Vir, mulierue fuat, nullo diſcrimine habetur.

Hactenus *Andainenſis formula* nobis explicata ſit. Iam reliquas Curationes, vel hominum, vel pecudum, quæ ibidem patrantur, ideo hoc loco tangere viſum non eſt, tum quòd in ſecundâ huius hiſtoriæ parte, de Propagato S. HVBERTI Cultu (cap.3.) de ijs egi: tum quòd nihil dubium, aut quod interpretatione, aut defenſione indigeat, habere videantur. Ad alia igitur loca iam veniendum eſt: de quibus eo ordine agemus, quem tenuimus in Propagato Cultu, cap.1. De ijs tamen dumtaxat, hoc loco dicetur, in quibus Curationum Modus, ritus aliquos habeat diſputatione dignos. Videamus primum, quæ in Belgio noſtro: tum, quæ alibi.

F L I N Æ.

NON EST conſilium, hîc, vel alijs locis, totas *Formulas* ponere, & præſcriptiones, quibus peregrini aſtringuntur; vt in *Andaïno* feci. Nihil opus videtur, Satis erit, ea referre, quorum ratio reddenda ſit, vt à ſuperſtitionis ſuſpicione vindicentur. Igitur *Flinis* iſta obſeruanda iubentur.

I. Peregrino *clauus nouus, qui* S. Hvberti *Reliquias tetigerit, dator. Eo clauo, è vulnere morſu facto, ſi vulnus eſt, nouem deinceps diebus, tantillum ſanguinis elicito. Ipſum deinde vulnus aquâ profluente abluito. Elapſò nono die, clauum eò, vbi à nemine reperiri queat, abijcito.*

Solent Chirurgi vulneris os latius diducere, vt mixta ſanguini ſanies facilius ex alto euocetur. Quod proinde hîc quoque rectè præcipitur. Sed cur id faciundum *clauo*? cur *nouo*? cur *abijciundo*? Hæc qui legunt, vel audiunt, ægrè ſe tenent (ſæpius audiui) quin *Superſtitionem* clament. Sed oſtendamus, non eſſe. Cum acutulo ferro diducendus vulneris hiatus ſit; *Clauus* aptus ad hoc futurus viſus eſt, & paratu facilis. Quamquam, liceat & *acum*, & *graphium* appellare, quippe cui caput deſit. De ijs loquor, qui vulgo *Flinis* dantur: quos plures vidi. *Nouum* eſſe oportet, ne rubigo, aut alioqui ſordes aliquæ, vulneri obſint. Poſtquam vſus ſis, cauetur, ne à quoquam Clauus inueniatur, ne vulneris videlicet virus, quod Clauo adhæſiſſe credibile eſt, infelici inuentori, nec opinanti, perniciem afferat. Vide, quàm facile depellitur turpis illa, de Superſtitione, accuſatio. Reſtat illud caput, de vulnere, aquâ profluente, abluendo. Conſule iterum Chirurgos, & ab ijs diſce, vulnus, contracto circa extremitates, calore, proflua lymphâ rectè refrigerari; quò facilius cicatrice obducatur.

II. So-

II. Solemnibvs *nouem diebus, neque induſium, neque lodices mutato. Pectine, & ſpeculo abſtineto. Porcinam carnem ne edito: neque panem, niſi die vno antiquiorem. Aromata, Piſces non ſquamatos, Allia, Cepas, Porra, & quicquid grauem anhelitum creat, procul habeto. Solus è ſuo ſibi vaſculo, bibito. Solus, ſi fieri poteſt, cubato. Choreis abſtineto, aliiſque id genus recreationibus. De cuiuſuis animantis capite ne guſtato.* Reſumamus ſingula.

Neque induſium, neque lodices mutato. Prodeſt plurimum, hoc affectu imminente, ſudores elicere. At lintea, dum actu frigida adhibentur, potius repellunt, & erumpentes impediunt: quo nihil peius eſſe poteſt. Itaque præſtat retinere, quibus antè vtebaris: nam potius vapores è malè affecto corpore educunt.

Pectine, & ſpeculo abſtineto. De *pectine*, in Andaïnenſi formulâ ſatis dictum eſt. *Speculum* verò ideò non inſpiciendum, quòd illud hominum genus, vultuoſum eſſe ſolet, & aſpectu toruo, ac turbato. Porro hoc ipſum videre pernicioſum eſt, quod iam antè miſerè affecti, miſeriam ſuam grauius apprehendant

Porcinam ne edito. De *porcinâ* antiquâ & ſalsâ potiſſimum hoc intellige: quæ atram bilem auget: & vbi corpus iam corruptum repererit, grauius afficit; quandoque etiam lepram, furorem, *rabiem* vel affert, vel auget.

Neque panem, niſi vno die antiquiorem. Panis

recens cruſtam habet duriorem, quæ, Salernitanâ ſcholâ teſte,

——choleram progignit aduſtam.

Aromatis abſtineto. Ab hac mente Matthiolus nobilis medicus, cauet, ne matronæ, & puellæ, catellis ſuis, quos in delicijs habent, iuſcula cum *Aromatis*, ſorbenda præbeant: quòd inde propenſius in *rabiem* agantur.

Piſcibus non ſquamatis. Vide formulam Andaïnenſem. Et adde ex Galeno, glabros illos piſces, facile in frigidum, ſiccum, & melancholicum ſanguinem abire: & accedente externo calore, in atram bilem commutari.

Allijs, Cepis, Porris. Bilioſos Galenus his omnibus alijſque acrimoniam habentibus abſtinere iubet

Omnibus, quæ grauiorem anhelitum creant. Nam hæc etiam in corporibus ſanis, facile animi defectiones, & cerebri perturbationes pariunt; præſertim ſi vapor anhelitus per nares, ad cerebrum deferatur.

Solus bibito. Solus cubato. Idem præcipitur in Andaïno. Rationem inde pete.

Choreis abſtineto. Ad Chriſtianam pœnitentiam hoc ſpectat, & modeſtiam, eo tempore meritò maximè commendandam. Adde, quod ex gyris illis, & flexibus corporis, procliue eſt, oriri vertigines, plus ſatis pernicioſas.

De capite ne guſtato. Capitis partes præcipuæ ſunt cerebrum, & cerebellum: de quibus hæc

præ-

præceptio maximè intelligenda. Cauſam è Galeno petere licet, qui docet, iſta pituitoſo, & craſſo ſucco abundare, excrementa generare, nauſeam excitare. Atque ita facilè hæc in ſtomacho putreſcunt. Hactenus, quæ Flinis præſcribuntur.

A R I A.

In PROPAGATO *Cultu*, cap. 10. ſcripſi, Religioſam Virginem *Mariam Chreſſen*, S. HVBERTI noſtri ſtirpe oriundam, eo nomine mirabilia, circa rabiem, & rabidos, præſtare. *Caremonias*, & *Præcepta* eius, conſultò hunc in locum reieci. Iam ex ijs illa ponam, quæ diſceptari digna. Hauſit illa à maioribus ſuis, vti aſſerit: aitque inſuper, neminem impunè ea contemſiſſe: nemini ea fraudi, aut deceptioni fuiſſe. Igitur ſi quis rabidus ad eam adducatur,

I. SANGVINEM *è linguâ, & digitorum vtriuſque manus articulis, elicit.*

Rabiei virus *linguæ* ſæpe communicatur: vt in rabioſorum canum linguâ apparet. Itaque rectè agitur, vt illac erumpat. Porro *digitorum articuli*, iecoris ſunt velut canales, quibus eius praui humores, etiam naturaliter, ſæpe euacuantur.

II. SALE, *& Allio apertam cutem confricat, panniculis inuoluit, & horis 24. inuoluta perſeuerare præcipit.*

 Vide-

Videlicet *Allium* virus ex imo euocat. *Sal* verò, Corn Celſo docente, vulneribus, quæ canis fecit, accommodatè applicatur.

III. EVOLVTAS *manus aquâ, & ſale lauari præcipit.*

Facit hoc ad munditiem; & ne quid prioris veneni reſideat, ipſique rabido, aut ijs, qui circa eum ſunt, quoquo modo noceat.

IIII. FASCIAS, *& panniculos, quibus manus inuolutæ fuerant, exuri iubet.*

Hæc cautela eodem pertinet.

V. GRAVIVS *læſos triduo curat.*

Pro magnitudine mali, æquu . eſt augeri curandi diligentiam. Hæc omnia religioſa illa virgo Ariæ. Sed vnum addit minimè negligendum. In maritimâ videlicet Franciæ orâ, vnde difficilis eſt ad iſta remedia acceſſus, vſu obtinuiſſe, vt

VI. QVOS CANES *rabidi læſerint, in honorem* SS. HVBERTI, *& Euronij, ter in mare mergantur.*

In hoc quidem nihilo plus video ſuperſtitionis, quàm in illo Eliſei: *Vade, lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* (lib. 4. Reg. c. 5. v. 10.) Sed eſt præterea ratio illa naturalis, ex *Celſo*, & *Matthiolo*, quòd in hoc affectu, interna, & externa refrigerantia proſunt. Imo pro *hydrophobis*, potens eſt remedium in aquæ potu, & immerſione: idque tam imminente morbo, quàm iam proue-

ctâ:

ꝺo: maximè, ſi inopinatò, & ſæpius mergantur.

S. PAVLI.

EST HIC, vt alibi ſcripſi, nobilis vir *Guilielmus Counreur*, qui ex eadem S. HVBERTI ſtirpe, multorum rabiem, vel imminentem, vel iam ſæuientem abegit. Huius *Cæremoniæ* eædem fere ſunt, cum ijs, quas proximè in Ariâ poſuimus.

MISSAM vtroque loco inuenio, propriam huic malo auerruncando. *Ariæ* quidem, de Sanctis *Euronio*, & HVBERTO Confeſſoribus: at in S. *Paulo*, de ſolo S. *Euronio*. Sunt in vtrâque, pleraque omnia, eadem: niſi quòd, vti res exigebat, in alterâ, preces, & encomia, multitudinis numero ponuntur: in alterâ, ſingularia ſunt. Vt piè curioſis faciam ſatis, indicabo præcipuarum partium initia; maximè ex eâ, quæ vtrumque ſanctum complectitur, quæ *Ariâ* ad me tranſmiſſa eſt.

INTROITVS. DEDIT *Dominus confeſſionem Sanctis ſuis in verbo gloriæ, &c.* Eccli. 47. 9.

COLLECTA CONCEDE *quæſumus, Omnipotens* DEVS, *vt Eccleſia tua, quæ vſque in finem ſeculorum, ineffabili prouidentiâ, beatorum Confeſſorum tuorum, Euronij, &* HVBERTI, *virtutum, & miraculorum magnitudine coruſcat: eorum meritis, & interceſſione, infirmitatibus, & canum rabidorum morſibus medeatur, & perpetuâ ſanitate, ac incolumitate lætetur.* Per Dominum &c.

EPISTOLA. QVI *timent Dominum, non erunt incredibiles, &c.* Eccli. 2. v. 18. At in Exemplari S. Pauli,

EPIST. MEMORIA *iuſti illius in compoſitione odoris, facta opus pigmentarij, &c.* Eccli. 49. 1.

EVANGELIVM. QVI *crediderit, & baptizatus fuerit --- Signa autem, &c.* Mar. 16. v. 16.

Quam antiquæ ſint hæ *Miſſæ*; & quis, quáue authoritate fecerit, aut confirmauerit, cognoſcere non potui.

A T R E. I V M.

IN HOC etiam nobiliſſimo Monaſterio, varia præſcribuntur illis, qui à rabioſis beſtijs morſi, eò, tutelæ causâ, confluunt. Videamus pauca. Nam reliqua, vel iam in ſimilibus ſuprà explicata ſunt: vel explicatione, cum dubij nihil habeant, non indigent.

I. TOTOS *quadraginta dies, in loco, vbi capræ ſint, ne habitanto: neque carnem, lac, caſeum, è capris edunto.*

Capræ ſæpe laborant epilepſiâ: quam & earum caro excitat, facultate occultâ, & *ſubſtantiali*, vt Medentes loquuntur. Item ſunt Capræ, & Hirci animalia grauiter olentia: qui odor facile nimis, debile, & turbatum iam cerebrum offendit. Hæc apud Galenum, & Hippocrat. tamquam axiomata habentur.

II. AB OMNI *cibo acriore, aut acerbo abſtinento: cuiaſmodi acetum, & expreſſa ex acrioribus herbis iura.*

Eiuſ-

Eiuſmodi, neruis inimica ſunt. Rabidi autem, & ad rabiem propenſi facillimè conuelluntur. Eadem humorem melancholicum augere ſolent: ac ſic rabiei fomitem miniſtrare...

III. ARBORVM *fructus, (cuiuſmodi poma, pyra, nuces auellanæ) ne guſtanto.*

Solent hæc, in ſtomacho præſertim debiliori, facile verti in bilem viridem: quæ, cum nemini proſit; tum ad rabiem vndecumque propenſis maximè nocet.

RESTAT, vt in Germaniâ quoque aliquid explicemus, quod Superſtitionis ſuſpicionem ſubire poſſit

NONWEILLER.

I. NOVEM *diebus Dominica oratio, & Angelica ſalutatio ab infirmo recitator: ſed ſic, vt primo die, nouies; ſecundo, octies; tertio, ſepties: & ſic deinceps, quot diebus minuente numero.*

Qui nimis moleſtè hoc loco moleſtus ſit, & clamet, manifeſtam eſſe ſuperſtitionem: aut explicandam numeri paradoxam in ſingulos dies, truncationem: petam ego viciſſim ab illo, ſed ſuauiter, vt rationem reddat, cur iuſſerit DEVS (Num. 13. 13.) offerri ſibi *vitulos de armento, tredecim*, tum *duodecim, vndecim, decem, nouem, octo, ſeptem:* ac demum, magno ſaltu facto, tot numeris omiſſis, *vnum*. Hoc vbi mihi explicauerit, audacter me ad alios illos numerorum gra-

gradus exponendos vrgeat, & minimè tergiuerſabor.

II. VVLNVS *butyro inungitor.*
Vulnus dicit, quod rabioſæ beſtiæ morſu inflictum ſit. Huius præcepti eam rationem Medici reddunt, quod *butyro* blanda vis ſit ſedandi doloris. Accedit, quòd temperato calore, venenati humoris, qui in vulnere graſſatur, acrimoniam ſuauiter mitiget.

ATQVE ex his, quæ hactenus expoſuimus, ſperamus, abundè factum ſatis ijs, qui *Cæremonias* quaſdam ægrè admittebant in ijs Curationibus, quæ tum in ANDAINO, tum alibi gentium S. HVBERTI ope perficiuntur: neque eas cenſebant Superſtitione vacare. Oſtendimus enim in pleriſque vel cultum diuinum exerceri; vel Chriſtianam humilitatem, & pœnitentiam: in alijs verò rationem eſſe naturalem, eruditis, & pijs Medicis probatam.

Sed, ne turpiter ingratus ſim, omittere non debeo, cum plures eiuſmodi Medicos conſuluerim, qui doctè, grauiterque ex intimâ ſuâ arte, dubia, & difficultates mihi ſoluerint; plurimum præ reliquis me debere Clariſſimo, atque Experientiſſimo Viro, *Erico Southemio*, Phil. & Med. Doctori, Ducatus Luxemburgenſis Medico ſtipendiario: qui non modò coràm verbo; ſed & ſcripto me iuuit. quod penes me conſultò aſſeruo: quò ijs, ſi opus aliquando fuerit, queam ſatisfacere, qui me ſugillarent, tamquã ſi fal-

ſi falcem in alienam meſſem miſerim, & Theologus audacius attigerim Medicinam. Gratiam huic, Lector, mecum debes.

Expectet hîc fortaſſe quiſpiam, vt de alijs quoque Curationibus agam, vel hominum, vel brutorum. Nam & alia pathemata, præter Rabiem, perſæpe ab homine S. HVBERTI ope arcentur: & ipſa Rabies à Canibus, alijſque animalibus, eiuſdem beneficio pellitur. Sed de his vtriſque ſatis dictum videtur in Cultu Propagato, cap. 3. vbi de Miraculis egimus. Neque vllæ Cæremoniæ in illis Curis ſunt, quæ dubium, aut diſputationem mouere poſſint: quæ hanc nobis Quæſtionem potiſſimum pepererunt. Tantum hoc addiderim, Clauem S. HVBERTI, me inibi verbis, quoad aſſequi potui, accuratè deſcripſiſſe: ſed qui non viderint, non æque forſitan omnes animo concipient. Itaque, oculis hoc loco viſum eſt ſubijcere eius imaginem. Quam ecce, ſpecta.



QVÆSTIO X.

LICEATNE PER LEGES CHRIſtianas, ſuffocare Rabidos?

I. ORDIAR cum comico:
Nunquam ita quiſquam bene ſubductà ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui:
Quod mî euenit nunc. ——— ———

Nam ſi quis pridem mihi diceret, futurum, vt proponenda mihi Quæſtio eſſet, ac ſeriò agitanda, liceretne miſerum, & miſerandum hominem, eumque innocentem, non modò publicâ, ſed & priuatâ authoritate, interficere, eo ſolum nomine, quod miſer eſſet: iure abnuerem. Videlicet à puero didiceram, hominem, eo ipſo, quòd miſer eſt, commiſeratione, non ſupplicio, dignum eſſe. Sed ecce, longè præter meam opinionem, Problema illud, velut dubium, mihi hoc loco, proponendum, atque tractandum eſt. Non ſanè, quò dubij quicquam in ſe contineat: ſed, quòd longè, ac latè ſparſus error, & malo errori adiunctus peior

ior vſus, rem alioqui meridianâ luce clariorem, dubiam apud quoſdam efficiat.

II. CORRVPTO cum reliquis humoribus, ſanguine, turbatâ totius corporis œconomiâ, Ratione ipsâ Reginâ, ſolio ſuo deturbatâ, & in furoris, atque inſaniæ ditionem, atque imperium, redactâ; homo hominis iam longè diſſimilis, ea facit, quæ ab eo fieri conſentaneum eſt, cui dira *Rabies* imperat. Verbo vno, ſibi, alijſque, ni caueant, pernicioſus eſt. Hoc ſanè totum, plus ſatis malorum eſſe videtur: & quod Chriſtianum cuiuſuis pectus, etiam quantumuis durum, ad miſericordiam poſſit commouere. Sed longè aliter apud pleroſque rem habere intelligo. Qui, vbi calamitoſum eiuſmodi hominem nacti ſunt: tamquam ſi in portentum, aut feram aliquam beluam inciderint, ita ad eius ſe exitium comparant.

Atque vbi primum commodum viſum eſt, in lectum conijciunt, multorum hominum vi perdomitum: tum alio lecto obruunt, vultu quoque ipſo oppreſſo; àc ſic tam diu coërcent, reſpirandi ademtâ facultate, donec animam, vitamque miſero corpore ſecludant. Quo facinore patrato, nullo ſcelere mentem impiaſſe cenſent. Quinetiam, & illi miſerabili beneficium contuliſſe; & ſibi, alijſque præclarè conſuluiſſe arbitrantur. Si cauſam quæras huius tam paradoxæ opinionis; nullam a-

liam extorqueas, niſi, Rabidum fuiſſe, neque aliter ipſi, alijſque conſuli potuiſſe, aut debuiſſe. Quid hîc primum dicam? Equidem quod primum occurrit ex M. Tullio (*Or. pro Sex. Roſcio Amerino*) C. Fimbria, homo inſaniſſimus, atque audaciſſimus, curauerat, vt Q. Scæuola vulneraretur. At poſteaquam comperit, eum poſſe viuere, inſuper Scæuolæ diem dixit, eo ſolum nomine, *Quod non totum telum corpore recepiſſet.* Subdit huic narratiunculæ Cicero: *Eſtne hoc illi dicto, atque facto Fimbria non ſimillimum?* Ego, meo animo, multò in noſtrâ re rectius. Nam ille quidem inſanus in ius vocabat eum, qui cùm vulnus accepiſſet, non etiam ex eo vulnere obijſſet: at iſti noſtri, innocentem hominem, luctuoſiſſimâ calamitate oppreſſum, non in ius rapiunt, vt eum prorſus perditum eant: ſed ſuis ipſi manibus, horrendum in modum vitâ exturbant, eâ tantum cauſâ, quòd pro eorum voto, non ſatis properè vitam deſerat.

III. QVIBVS quid tandem eſt, quod opponam? nihil prius, aut maius illo Oraculo: NON OCCIDES. Quod cum interpretationes, & exceptiones alibi patiatur; vbi tamen de innocente, & vſquequaque inculpato agitur, planè patitur nullam. Scio, diſputari, Liceatne innocentem Tyranno tradere, qui alioqui ciuitatem totam perdere minetur. Scio, eſſe, qui doceant, tradi poſſe; quandoquidem ipſe innocens;

nocens;tali in re,ac tempore, egredi teneatur. Sed, qui doceat, interfici poſſe, hactenus Catholicum puto eſſe neminem. Quanto igitur minus,eum tangere fas ſit, qui & ſit innocens, & omni commiſeratione dignus, & quem nemo ad necem quærat, niſi hi, qui nullam ſuæ in illum crudelitatis cauſam afferre poſſunt,niſi quod miſer ſit? Imo verò, inquiunt,cauſæ aliæ ſunt,eæq; iuſtæ, & graues.Cedo, quænam illæ? Primùm,Qui eò vſque,Rabie dominante proceſſerit, vt vitæ retinendæ ſpes ſuperſit nulla, quid ei parcere neceſſe eſt? Quin potius non eſt hoc parcere, ſed productiorem illi calamitatem efficere, dum hoc agitur, vt diu viuat miſer. Contra verò, cito tantis eum ſupplicijs eripere, nonne miſericordiæ genus eſt? nonne Chriſtianum opus,& laude dignum? Itane verò, mi homo? innocentem trucidare miſericordia tibi eſt, & Chriſtianæ pietatis opus?Cur igitur tot alijs, quos conſtat, vitam retinere non poſſe, pari ratione non auxiliamur? Quot ſunt apoplexiâ perculſi, aut alio alioqui morbo oppreſſi, & quibus nullus medicus, nulla medicina ſubueniat; quibus ſuauem iſtam tuam miſericordiam nemo Chriſtianus adhiberi patiatur? Anthropophagorum ea commiſeratio eſt, qui parentes ſuos ſenes, & inualidos, tamquam boues, mactant, &, vt amorem augeant, apertiuſque teſtentur, eoſdem intra viſcera ſua ſepeliunt. Dauidem ſi hâc in re iudicem ha-

beas, vide, quid expectare poſſis. Saul à Philiſthijm grauiter vulneratus, vitâ deſperatâ, ac veritus, *ne incircumciſi illi illuderent*, iuuenem *Amaleciten* rogat, (vt quidem ipſe Amalecites narrat, lib. 2. Reg. c. 1.) illis verbis: *Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt.* Quid ad hæc iuuenis? *Stanſque ſuper eum, occidi illum.* Sed attende, quam rationem afferat, quâ rectè à ſe factum, probare ſe putat: vide, an non ſit ea ratio gemina tuæ; imò ipſa tua: SCIEBAM ENIM, QVOD VIVERE NON POTERAT POST RVINAM. Iam Dauidis iudicium, & percuſſoris mercedem audi. *Vocans Dauid vnum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percuſſit illum, & mortuus eſt. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſum te, dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini.*

IIII. SATIS iam, opinor, vides, quanti prima tua ratio ſit. Audiamus aliam. Rabidus, inquis, pernicioſus eſt: &, niſi è medio tollatur, alios ipſe interficiet. Audio. Et quidem ſi ita intelligas, eum in te, aliumue ſic irruere, vt aliter euadere non queas, niſi vitam ei euites; aſſentior ipſe, id ius, faſque eſſe; ſeruatâ dumtaxat diligenter formulâ, *Cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Non ita accipio, inquis, ſed hoc volo, nihil vnquam tutum cuiquam fore, dum ille viuet. Cum enim minimè expectabitur,

bitur, erumpet alicunde è latebris, & obuios quoſque inuadet. Quæro à te, Quâ tandem ratione ille tam ſæuus, & furioſus inter geminos lectos compingitur, & inibi mori cogitur? Multâ vi multorum hominum, inquis. Adhibe igitur eamdem vim, aut, ſi placet, multo etiam maiorem: & omiſſis duriter mollibus lectis, inter quatuor muros miſerum compinge. Dices mihi: ſeipſum ibi nihilominus interficiet. Fac, ita eſſe. At tu innoxium ſanguinem non fuderis: & ipſe ſuiipſius homicida nihil peccauerit; qui quid agat, neſcit: & denique qui adeo ſibi timebant, breui, omni periculo, ac moleſtiâ liberabuntur. Obijcies, paſſim id ita fieri; atque etiam alicubi publicâ authoritate. Ad hoc quod dicam, aliud modo non occurrit, niſi improbam conſuetudinem, nunquam efficere, vt quod conſtat non licere, liceat tamen: neque æquum eſſe, vt cuiuſcumque hominis, aut Magiſtratus lex, DEI legem euertat. Quod de publica authoritate dictum eſt, ſi verum eſt, tanto eſt pernicioſius, & damnandum magis. Cæterum, quòd aliqui decepti, aiunt, In *Andaïno* quoque Rabidos, eâ, quâ dictum eſt, ratione, necari: indignum, & turpe figmentum eſt. Alia ratione S. HVBERTVS miſeris opitulatur; vt ſuo loco oſtenſum eſt.

Habes

Habes à me, Lector optime, quæ de S. Hv-BERTI rebus, quærenda, & diſputanda viſa ſunt. Poteram congerere plura : ſed hæc in tempore ſufficere iudicaui: quæ opto tibi probari, ſi id obtineri poteſt. Sin minus, tua tamen tibi humanitas perſuadebit, vt lapſibus ignoſcas eius hominis, qui, vt conatus eſt tuæ pietati obſequi : ita beneficium cenſebit ſemper, à te ſaniora doceri.

Fac hoc. Ego hic finem facio.

HVMA-

HVMANISSIME
LECTOR.

ME ALIQVANDO *ſilente, audientiam tuam poſtulat* ARNOLDVS A BOECOP *Societatis noſtræ Sacerdos. Ne nega. Præſtare audeo, fore, vt nunquam te pœniteat. Audi, quid velim. Secundam Quæſtionem ſcis me ſuprà propoſuiſſe, de nomine* S. HVBERTI, *nec tamen diſputaſſe, ob cauſas, quas tum afferebam. Promiſi hîc repræſentaturum. Polliciti memor, ecce exhibeo. Familiariter ab illo quæſieram, Vnde tandem cenſeret fluxiſſe nomen,* HVBERTVS, *& alia eodem fine cadentia? Expectabam breue reſponſum. At ille è pleno velut horreo, liberaliſſimè hauriens, pro breui Epiſtolio, luculentum mihi commentarium miſit: quo me, & te, non illud modo docet, quod rogaueram: ſed inſuper alia accumulat, quæ, quiſquis intelliges, meras gemmas, & quidem Orientales cenſeas. Itaque nefas iudicaui, vel ſyllabam omittere. Hoc aſſequar, vt, ſi minus eruditum aliquid de meo, toto hoc opuſculo, tibi promere potui: de alieno theſauro (quamquam meum,* ARNOLDVS *meus ſe facere profeſſus eſt) hîc ad finem, eruditiſſima promam. Lege, & fruere.*

QVÆSTIO II.

DE NOMINE, HVBERTVS, Atque eâdem operâ, de tot alijs, quæ ſimili fine cadunt.

EPISTOLA R.P. ARNOLDI A BOECOP, Societ. IESV *Presbyteri, ad P. Iohannem Roberti.*

R.P. IOHANNI ROBERTI Societatis IESV Sacerdoti.

QVAM deſideratæ mihi tuæ litteræ, tam gratæ & iucundæ fuerunt; ſed in fine quis ſcrupulus, quæ moleſtia in exiguâ iſthâc *Quæſtiunculâ?* maximè de re tam oblitâ, ac vetuſtâ, ac in quâ toties pænè erratum, etiam à Doctiſsimis & ſubtiliſsimis viris, quoties petitus ſcopus? Terruiſti me, verè dico; & eò magis, quòd præiudicio te occupatum intelligam, & tantum pro alterâ parte non determinaſſe. Vt proin metuendum mihi, ne, præterquam quod fiam, cum Ariſtophanæo Socrate *Sacerdos tenuiſsimarum nugarum*, ἱερεὺς τῶν λεπτοτάτων λήρων, riſum porro, & ludos iure tibi debeam. Attamen, cum in *Honorem* & ſplendorem S. HVBERTI inſtituta quæſtio, in eiuſdem & DEI laudem hanc aleam ſubito; & tibi Prætori, qui mappam miſiſti, gratificabor lubens; ac, quà potero, lumen præferam ad ſaniorem opinionem. Sed meo modo, & pro ratione otij, non adeo meditato

tato ordine, aut ſtilo. Nam concinnè omnino & exactè, vt res exigit, omnia diducere, ſeuerior mea & Theologica occupatio non permittit; eum *opus faclâ & viatico* foret, cum Plautino illo, ad iſthæc *Nomina* enodanda; *à quorum primo ſi ante lucem ire occepero, concubium noctis ſit priuſquam ad poſtremum peruenero.* Sed ad rem. *Vnde arbitraris,* inquis, *eſſe tot Nomina in BERTVS, vt HVBERTVS, ROBERTVS, LAMBERTVS? an à Barba? vt Hubertus (ſiue vt Codex Viennenſis, & plures alij, ſcribunt, Hugbertus, aut Hucbertus) ſit Barba acuminata? Seu quid ſuo Idiomate ſit huc vel hæck. Sic Robertus à rufâ, Lambertus à longâ dici poßit.* Poſsit equidem, nec barbara omnino Opinio, aut abſona; imo paſsiua ferè in vulgo, & aſſerta olim ac propugnata à diuerſis. Alij tamen aliter ſenſerunt, ſed etiam abs re. Nam

—— veluti ſiluis vbi paßim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit, vnus vtrimque
Error, ſed varijs illudit partibus; ——

Sic in *Nominum* iſthac indagatione, ſuus quemque genius, aut ingenium, in auia & deuia rapit, extra Veritatis viam, dupli fere diſceſſu, *Orthographiæ*, & *Significationis*.

Orthographiæ declinationes minimum ſex ſunt, *Bardus*, *Brehtus*, *Berehtus*, *Berchtus*, *Brechtus*, *VVertus*. Primæ autor & aſſertor *Bodinus* eſt, qui ideo illam commentus eſt, vt nomina in Bertus terminantia ad *Bardos Gallos* commode referat. vt habet Iunius in Batauia cap. 21. Qui ſatis aſperè illum eâ quoque de cauſsâ excipit: an ſat æquè, alibi diſcutiendum. Secundæ opinionis defenſor eſt *Pontus Heuterus* lib. de veterum ac ſui ſeculi Belgio: Tertię *Adrianus Schriekius*, ſecundo Indice librorum Originum rerum Celtic. & Belgie. Quarta non tam autorem habet, quàm vſurpatores diuerſos. Quintam plurimi Heluetij tuentur, & propugnant acerrimè: atque ab ijs decepti pauculi alij. Primarij ſunt *Ioannes Auentinus* initio annal. Boicorum, B. *Rhenanus* de reb. German. lib. 3. *VVolffgangus Lazius* de Genealog. Auſtriaca, *AEgidius Schudus* in Rhætiâ Alpinâ, *Andreas Althamerus* in comment. ad Germaniam Taciti. Sexta inuentores habet duos; *Anonymum* vnum, cuius Germanicorum nominum Catalogus adiectus in fine tomi 1. hiſtor. Germanicæ, & alterum *Ioannem Goropium Becanum*, in Originibus. Sed cum falſo nitatur fundamento, facilè euertitur: Alienum enim à vero eſt quod Auentinus ipſi ſuggeſsit B. & V. vel VV. eamdem vim habere apud Belgas & Saxones, ſemperque in ſe mutuo transformari; vellem Hiſpanos & Vaſcones dixiſſet, qui literam B. emolliunt, & ad V. digamma torquent, homines ſobrij ſcilicet & quibus, ioco Lipſij, non placet *Bibere* ſed *Viuere*. Secun-

Kakographia varia. *Bardus.* Reijcitur. *Brehtus.* *Berehtus.* *Berchtus.* *Brechtus.* *VVertus.* Reijcitur ſexta:

Secunda, tertia quarta:

da, Tertia, & Quarta opinio vitio vnius alteriuſue litteræ aut adſcititiæ aut tranſpoſitæ, aut vtroque ſimul peccat. Nam, cum *Bert* antiquitus ſcriberetur, ſine fraude aliqui in fine, aliqui ante finalem characterem, aduocarunt aſpirationem & *Berth* vel *Berht* expreſſerunt: quibus aſpera magis placuere ſociam notam C. ſpiritui appoſuerunt & Bercht dixêre; eodem candore quo olim vulgatiſsimè ſolebant ex *Ludovvick* facere Hlodovvick, & *Chlodovvick*, ex *Lothario*, *Hlotharium*, & *Chlotarium* Inſulſiſsimè illi fecere qui non contenti litterarum incremento, niſi ſimul inuerterent ordinem, & vel ſine C. *Brebt* & duplicatâ vocali *Berebt*, vel cum C. *Brecht* protulerunt. Quos poſtremos ſi ranarum coaxationem amare dicerem, & Ariſtophanæum Brekekekex, haud multum aberrarem; maximè cum ſuauitatem huic ſono, & elegantiam ineſſe velint, genuino duritiem & aſperitatem.

quinta:

BERT probatur;

Ceterum ego antiquitatem in *Berto* & HVBERTO probo, & primæuam illam lectionem aſſero. Imo ſi otium eſſet, ex omnibus Hiſtoricis, Chronographis, Geographis eam ratam darem; ex omnibus Oratoribus, Poëtis, & ipſo Iure certam; apud omnes gentes & nationes in Europâ vſitatam, & omni ætate agnitam. Nunc tantum ſpecimen promam ex diplomatibus aliquot, quæ certiſsima veritatis teſtimonia. *Franciſcus de Roſieres* in ſtemmatum Lotharingiæ, ac Barri Ducum, tomis ſeptem, plurima habet in initio operis, quorum tria prima Dagoberti Francorum Regis ſunt ab anno Chriſti DCXXII. & DCXXIII. in quibus expreſſa nomina *Sigibertus*, *Theodebertus*, *Dagobertus*, *Cunibertus*. & alia ſimilia in ſequentibus, quæ non accumulo. Eadem ſcriptio clare exprimitur in Epiſtolis *D. Gregorij*, circa annum DCXIX. vbi nomina *Gildebertus*, *Theodebertus*, *Edilbertus* paſsim occurrunt. vt hoc non memorem quod apud *Bedam* hiſtor. Angl. lib. 1. c. 32. eiuſdem Gregorij epiſtola ad Regem Angliæ *Edilbertum* reperiatur. Denique *Dagobertum* primum Francorum Regem, ſiue Ducem, qui defuncto Patre VValtero anno Chriſti CCCV. regnum adijt, quis vnquam aliâ, quàm hac, terminatione expreſsit? Atque hactenus Orthographiam paucis Examinatam habemus.

ex Diplomatibus, ex Gregorij Epiſtol. etiam Beda referente.

Significatio variè tradita,

Significatio & Nominum interpretatio varia eſt: Bodinus omnes *Bertos*, Gallos *poetas* facit & *cantores*, Heuterus nunc ad veterum Germanorum Sacerdotes *Bardos* (iudicet alius) refert; nunc ad *Barbam*, nunc ad *naturalem grauitatem*, nunc ad *Bertam* amaſiam, aut alias nugas detorquet. Schrickius, in notatione conſtantior, Bertum *Iudicem* eſſe vult; iudicia ſine neceſsitate multiplicat & nouendiales pupulos aut pupas ad tribunalia euehit. Auentinus ſuum *Brecht* aliquando à *Prangen* deducit, & *pompam* atque *apparatum* transfert; aliquando a *Prechen*, quod *frangere* vel *domare* aſſe-

& refutata.

rit;

rit; aliquando etiam à *Bringen* & *Brengen*, quod *adferre, adducere parare* eſt: Sed vbique incommoda ſunt, in honorato ac nobili nomine honoris ac nobilitatis euerſio; in rationis experte grauis cura; in innocente dominatus, ſuperbia, faſtus. Licet in *Gerbrechto* pompam & faſtum non faſtidiat Goropius. Rhenanus & Althamerus ex *Bert* aut *Brecht gloriam* aut *famam* eruunt, & hominis *celebritatem* commodo ſatis ſenſu. Lazius & Schudus ad *Barritum* ſiue *pugnantium fremitum* eadem nomina referunt; aut (Lazius certè) ad *maieſtatem*, & *potentiam* attollunt. Anonymus *Bert charum* ſiue *pretioſum* transfert: Auentinus & Goropius in *Berta* Caroli Magni matre *Dignum* aſſeuerant, alter ab altero inductus fictitio fulcimento. Tanta autem inter hos omnes pugna & controuerſia eſt, vt facilè de vitio ſuſpicetur lector. *Iunius* ex profeſſo *Barbaticus* eſt, & omnia nomina in Bert ab iſthac mentali veſte deriuat. Sed nonne probè? inquies. Neutiquam, niſi Infantibus promiſcuè (ſuppono enim infantibus, non adultis nomina indi) barbas appingere velimus. Nam quid illis cum barbâ, vt eos à ruſo, flauo, fuſco, nigro iſtius colore indigitent parentes? aut à curuâ, acuminatâ, longâ, breui formâ? cum ominari non poſsint qualis quantaue aliquando futura, & an omnino futura. Aut ſi futuram ſciunt, cur inde nomen petunt, vnde conuiciari nos alios rectè arbitramur? & nemo lubens audiat vitia corporis etiam ab amicis obijci? Eſſent autem ſimilia, iuxta aliquorum interpretationem, *Segebertus* à Segen, & *Geibertus* à *Geitz-baert*, id eſt caprarum & hircorum barbâ; *Swinbertus* à *Swins-baert*, id eſt barba porcina, quæ tamen nunquam in animali iſthoc eſt viſa, *Strombertus* à Stroebaert, *Bertboldus* ab Holt-baert; id eſt ſtraminea & lignea barba; & plura quæ omitto. Dein cum non Barba vir vocetur, quod gratis aſſerit Iunius, & temerè S. Paulum in teſtimonium aduocat, ſed à barbâ denominetur, non Barba ſed barbatus dici oporteret. aut noſtro Idiomate *gebaert*. Siquis tamen contendat primam illam ſyllabam, *Ge*, euphoniæ gratiâ elidi, rem confectam non habebit, ob illas, quas vrgebo, rationes. Nam *primum* etiamſi concederem à barbis homines denominari potuiſſe, non in pueris tamen, ſed in viris tantum, & quidem barbatis, id permittam; Atque ita non Nomen (de quo agimus) ſed Cognomen, aut Agnomen fuiſſe, & plerumque inuitis impoſitum. Quale in C. Domitio, & Friderico Imperatore, Ænobarbus & Barbaroſſa; quale in Tarquinio, Superbus; in multis, Impius, & Contumax; in paucis, Pius, & Bonus. Quale etiam apud Tacitum, Caligula militari vocabulo. Caio Germanici Filio adhæſit, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum vtebatur.

Deductio à *Barbâ*, multis modis improbata.

Secundo, quandocumque tale fuit, id in poſteros non translatum,

niſi item vice Cognominis, & prius genuino ac proprio nomine inſignitos. Neque vnquam me legiſſe, aut obſeruaſſe memini, Cognomen patris aut familiæ, loco nominis impertitum filijs; ſed aliquando contra, Tandem illa nomina, in *Bertus* deſinentia, nec Cognomina omnia (aliquando enim facilè concedam, ſed ea ipſa nunquam facta Nomina) fuiſſe ex Barba diducta, ab ipſâ rei naturâ & nomenclaturâ, demonſtro. Quis enim vnquam tam eff.ons, vt affirmare audeat, Engelbertum à Bart ſeu barba dictum? cum Angelici illi ſpiritus nec barbam habeant, nec cum barba vnquam aut pingi aut fingi viſi ſint? quis non vereatur barbam vocare Nobilem in *Adelberto*, Victorioſam in *Sigeberto*, Glorioſam in *Romberto*, Dominam in *Hereberto*, Reginam in *Cuniberto*, Claudam in *Lamberto* &c. cum illæ animi, naturæ, vel dignitatis affectiones ſint, minime applicandæ barbitijs excrementis? Porro ſi ex opinione Iunij, *Gildebertus*, vel, vt aliqui annales habent, *Childebertus* dictus ſit à barbâ rutilâ, *Theudibertus* ſiue, vt Iornandus legit, *Tuidibertus* à barbâ ſecundâ, quaſi Tuede baert, vnde dicitur Gildericus, Tuedericus, alij? à diuitijs flaui coloris, & ſecundis? nugæ. Sed poſtremum & ſexus ipſe pro me contra Iunium eſt; non enim Berta, Bertilia, Bertrada, Berthaidis, Bertgictis, Bertrudis virgines & mulieres à barbis dictæ, quas nunquam habuerunt: aut *Godeberta* à bona, Deiue barba, *Ausberta* ab auulſa barba, *Magdelberta*, vel Madelberta, à Nobili Virgarum aut familiarum barba, &c. quæ nota illis, *qui nondum ære lauantur*: ſed ab alia & meliori deriuatione. Atque ita quid non ſit, puto me vtrumque ſatis declaraſſe; nec æſtimo vel Iunium ipſum, ſi ſuperſtes eſſet, ita male feriatas aures, animumque habiturum, vt iſtis auditis pro ſuo errore aut inaduertentiâ pertinacius ſtare deinceps cuperet. Reliquos prolixius hic refutare non volui. Reſtat igitur altera reſponſi mei pars,

Vnde BERTORVM Etymon.

vt dicam & probem quid ſit, & vnda tandem *Bertorum* illorum etymon? quod vt commodius fiat, ſuppono nomina ſiue prænomina aliquando ab inſolito euentu, circumſtantiâ partus, indole prolis, impoſita; aliquando à gaudio vtriuſque vel alterius parentis, à dolore & moleſtiâ, à ſpe conceptâ, aut aliunde indita; aliquando etiam inſtar præſagij fuiſſe de futura filij vita, vt præteream hodieque vſitatam renouationem nominum patrinorum, parentum, auorum, principum, in filijs ſpiritualibus, naturalibus, nepotibus, vaſallis & ſubditis. Sic apud Virgilium lib. 1. AEn.

Iulius à Magno demiſſum nomen Iulo:

& lib. 6.

BERT, particula compoſita.

Nomen dui referens Priamus ——

Nec cenſeo quemquam hic ambigere aut contari, vt opus ſit ſingula exemplis aſſerere. Res clara eſt. BERTVS ergo altera pars

HV-

HVBERTI & multorum aliorum nominum, non ſimplex ſed compoſita vox eſt, & Celtice vel Germanice *Bert* ſonat, ex *Be* præpoſitione & *Ert* vel *Art* aut *Aert*. Nam E biuocale mihi in illa vocula eſt; ac proinde pingue etiamnunc & craſſum, quod ad vitandum hiatum, coiuit ex E & A vel ex E duplici, vel certè ex E & Ae. Atque hoc ſolenne noſtratibus eſt, vt compendium dictionis faciant & eloquentiæ conſulant. Cum igitur dicere ac ſcribere ex naturâ rei debuiſſent, *Beert*, *Beart* vel *Beaert*; ipſi pro ingenio, & aurium ſuarum iudicio, elegantius maluerunt *Bert*. *Ert* autem vel *Art* verbalis vox eſt ab *Ert* vel *Art* quæ participia ſunt à verbis *Eren* ſiue *Erden*, vel ab *Aren*, ſiue *Arden*; vnde verbalia *Art*, *Aart*, *Aert*, & *Ar*, *Aar*, *Aer*, monoſyllaba omnia; & *Ert*, *Eert*, *Er*, vel *Eer*. ERT.

Prior illa ART in ſua ſignificatione prorſus idem eſt, quod Græcè φύσις, & Latinè Natura, Ingenium, Indoles, rei cuiuſque *quidditas*, & frequentiſsimè viuentium *generatio*, quæ Natiuitas vocatur. Imo hæc prima & germana tam apud Celtas & Germanos, quam apud Latinos & Græcos huius vocis notatio eſt: Adeo vt pari modo Germanis *Art* deriuetur ab *Arden*, quo Natura apud Latinos à naſcendo, apud Græcos φύσις ἀπὸ τοῦ φύειν, quod eſt naſci. Et hinc, quia generatio ab interno principio oritur, deflexum eſt naturа nomen, *Art* ſcilicet, ad ſignificandum internum cuiuſque rei principium, potentiam & virtutem. ART. Poſterior autem vocula ERT à ſuo verbo vim ſignificandi deducit & pro *Honore*, *veneratione*, *gloria* & *famâ* fere ſubſtituitur. Sed cum characteriſmis binæ illæ voces vicinæ valdè ſint, alteram pro alterâ vſurpare eligereque licet; maximè ab illis, qui aut norunt alteram ex alterâ pullulaſſe, & vim ſignificationis habere; aut qui ſciunt *Belgis* noſtratibus, & præcipue *Sicambris*, *Batauiſque*, imo priſcis etiam *Celtis*, & *Francis*, inter A & E magnam pronunciationis conſonantiam eſſe, atque in dialectorum varietate, alterum pro altero ſæpius in vſum venire, præcipuè ante caninam litteram R, quod tam notum, vt ſuperuacaneum autumem multis declarare. Hoc attexam, M. *Velſerum* idem notaſſe de *Germanis* in Epiſcopo *Aribone*; cuius viri nomen exponit, & *Erbon* ac *Arbon* maioribus Bois, & Germanis, Hæredes dictos, ex *Otfrido*, Germanicorum ſcriptorum antiquiſsimo, aſſerit; idemque *Ericius Puteanus* obiter in nomine Arminij ſiue Erminij indicat.

Porro vt diſtinctius & ſolidius procedamus, vtriuſque originationis aliqua nomina obiter adferemus. ART igitur ſimpliciſsimum & primarium eſt, quod primis ferè & præſtantiſsimis, quales primogeniti eſſe ſolent, impoſitum filijs, Latini *Artum* transferunt, & cum aſpiratione *Arthum*, quod nunc frequentius. Ex Art mox *Arnt* factum, vnicâ tantum interiectâ conſonante, more poſterio- ART, præſtantiæ nomen. Arnt.

ſteriorum Germanorum (notauit in ſimili Velſerus lib. 5. rerum Boicarum) vel euphoniæ gratiâ, vel imperitiâ librariorum & lectorum. Nam cum priſca ætas A A R T vel Aert ſcriberet, ſecuta poſteritas apicem longitudinis notam,& compendi faceret, pro geminatione vſurpauit & ſcripſit A R̄ T; vnde ignari artis A R N T legerunt. Idem, vt alibi ſæpè, ita & in *Dieſt* contigit, ipſo *Lipſio* mihi aſtipulante in D. Sicheminſi cap. 3. Nam *Dieſt* antiquitus Martem noſtris ſignificabat, vnde Dieſthepnium in Brabantiâ quaſi Martis & belli ſedes, quem deinde adiecta littera N, Dienſtum vocauimus; quod planiſsimè confirmat Dies ab illo *Dienſt-dagh* etiam hodiè appellatus, qui Romanis Martis eſt. At nec conſtans etiam vbique A R N T vel Aernt fuit, ſed vt quiſque ſciuit aut ignorauit primogeniam illam Scripturam, ita pro ſuo arbitrio & iudicio rectè ſecuſue ſcripſit, aut confudit: factumque ſtatim *Arent*, ſiue ab illis qui norant Aert olim ſcriptum fuiſſe, putaruntque, decentius fore E vltra caninam transferri, quam expungi omnino, cum N. vſu obtentum eliminari nequiret: ſiue etiam vt ſuauior foret, retento N pronunciatio, & ex vna duriuſculâ ſyllabâ molliores naſcerentur gemellæ: ſeu tandem ex vſu priſco, quo inter conſonantes crebro accerſere amabant vocalem mediam. Sed necdum mutationis finis; nam ſicuti conſuetudine ſæculi priſci aliquando aſſumptum E inter R & N, ita eadē lege aut licentiâ diuiſa ſunt N & T; & pro linguæ dialecto illa e vocalibus litteris adſcita, quæ placeret huic aut illi, è Celtarum poſteris nationi. vnde factum vt nunc Arnat, nunc Arnet, nunc Arnot, & Arnut, imo & duplicatè Arnaut & Arnout, & apud illos quibus grata lenis illa littera L maiori augmento Arnolt, Arnoult, Arnault, Arnalt, & cum adſpiratione Arnholt, Arnhalt &c. aut ſcribatur aut pronuncietur, & tam varia apud Latinos lectio ſit, Arnoldus, Arnaldus, Arnolphus, Arnoltus, Arnotus, Arnutus, Arnautus &c. quæ omnia originem habent ab vno A R T. An autem ſimplicia omnino ſint, an verò compoſita potius aliqua ab *Art*, & *holt*, quod probabilius, alibi diſpiciam. Hoc pœnè certum ab eodem *Art* denominatam communem noſtram & magnam matrem *Terram*; quæ ſortita nomen *Die Aert*, vel *die aerd*, & per augmentum finale litteræ E, quod frequens apud Belgas, *Die aerde*: ita abſolutè & κατ᾽ ἐξοχὴν vocata, quaſi illa primum & principium omnium virtutum, natiuitatum, Naturaturum, quas magno, & fecundo ſinu parit, & benignè fouet, ac ſuſtentat, intereunteſque clementer rurſum excipit. Elegantiſsime illam, & hunc eius effectum, depinxit Naturalis Poëta *Lucretius* lib. 2.

Principio T E L L V S habet in ſe corpora prima,
Vnde Mare immenſum, voluentes flumina Fontes
Aſsiduè renouent: habet, Ignes, *vnde oriantur;*

[Margin notes: Dieſt. — Arent. — Arnot. Arnut. Arnaut. Arnout. Arnolt. Arnoult. Arnaault. Arnalt. Arnholt. Arnhalt. Arnoldus. Arnaldus. Arnolphus &c.]

Nam

Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ;
Eximijs vero furis ignibus impetus Aetnæ.
Tum porro nitidas Fruges, Arbuſtaque *læta*
Gentibus humanis habet vnde extollere poſsit:
Vnde etiam fluidas Frundes, & Pabula *læta*
Montiuago generi poſsit præbere ferarum.
Quare Magna DEVM MATER, Materque *ferarum,*
Et noſtri Genitrix *hæc dicta eſt* corporis *vna.*

Hanc autem fœcunditatem, & gignendi potentiam, vt explicatius
inſinuemus, eandem Terram compoſitâ voce *Aert-ryck* vocamus,
id eſt *Naturarum-diues.* Verè namque diues eſt, & in viuentium
gratiam, omnium rerum Naturas, ſuo quaſque tempore, & loco
commodatiſsimo, tanquam è theſauris, & inexhauſtis arculis de-
promit, ac liberaliſsimè offert. Indidem nomen ſortitus Rex Gepi-
darum *Ardricus*, quaſi art-ryck, id eſt, naturæ & indolis diues: quam — Adricus.
vocem ſi inuertas habebis nomina Sanctorum diuerſorum; in ci-
uitate Lucenſi S. *Richardi* Regis, Patris S. VValburgis; in Germania — Richardus.
S. *Richardis* Imperatricis, S. item *Richarij* & ſimilium, qui omnes — Richardis.
vel à diuite terrâ, vel locuplete naturâ, ſuam denominationem in- — Richarius.
uenerunt. Verum nec terram tantum *aert* dicimus, ſed etiam (cauſ-
ſam ſupra inſinuaui) ERT, permutatione dubiæ litteræ; & cum
leni flatu HERT. Sub quâ appellatione Gentiles olim, noſtri Ma- — HERT.
iores Germani, illam pro DEA coluerunt: quod omnino verum
teſtimonio Corn. Taciti de moribus Ger. vbi ita habet: *In commune*
HERTVM, id eſt, Terram MATREM colunt; eamque interuenire re- — HERTVS
bus hominum, inuehi populis arbitrantur. Imo ab Art, vel Ert etiam do-
mus cuiuſque *Larem* præſtitem, quem HART vel HERT, hoc eſt — HERT,
Focum, hodieque vocamus, nomen accepiſſe autumo; & fere eodem — Focus.
aut affini conſilio. Ab ART porro vel ERT ductam dictamque
aſſero Reginam, & Principem Auium *Aquilam*, quam olim, & nunc
noſtrates *Arn, Arnt, Arent*, vel *Aar*, & *Art* vocant, Germani hodie — Arn, Aqui-
Superiores multi, Belgæque *Adler*, quaſi adel-art, hoc eſt, nobilis — la.
aquila, vel nobilis natura. Rurſum ab Aar, vel Arent Aquilâ, co-
pioſam adducere poſsim diuerſorum nominum deriuationem, de-
nominationem, & compoſitionem; ſed quia vix otium eſt, & for-
taſsè alias hæc copioſe examinabo, paucula libaſſe ſit ſatis. Innu-
mero eſt Geldriæ ciuitas *Arnhemium* (Tacito & alijs Arenacum) — Arnhemi-
& equeſtris inibi ordinis familia *Arnhem*, ab *Arnſ-heim*, aquilæ — um.
domicilio. Quam autem & familia & ciuitas pro inſigni habent,
vt originem nominis prælatâ velut imagine confirment. Idem pla- — Arnburg.
nè eſt de *Arnburg*, monaſterio Haſsiæ, cuius nomen & inſigne ea- — Arnholt.
dem aquila implet. Ab Aquila *Arnholt* eſt in comitatu Zutphanienſi, — Anholt.
atque ibidem Illuſtres Comites ab *Anholt*: *Arſchot* in Brabantia, ſi- — Arſchot,

ue *Areſcotum* (ita enim teſte Lipſio D. Sichemienſis cap. 3. vetuſtiores dicunt) & Illuſtriſsimi inde Duces Arſcotani; prius, quaſi *Aquilæ cuſtodia*, hoc enim eſt Arn-holt; poſterius *Aquilæ repoſitorium*, quaſi Aren-ſchot. An vero Ducatus Germaniæ Superioris *Anhalt* idem ſit, quod Arnholt quaſi Aren-halt aquilæ cuſtodia, non temerè aſſero: nec puto tamen ſi ſic ſentiam, me cuique iniuriam facere. Neque hic mihi diſplicet coniectura *Vlyſſis Aldrouandi* Ornithologiæ lib. 1. pag. 23. & 53. in nomine Arnoldi; quem Aquilæ ſuum nomen debere autumat & Aquilini animi ſeu Indolis heroem denotare. Quamuis Mallem, ſi in hanc ſententiam pronior eſſem, non tam ab Aquilino animo, quam ab *Aquilâ ſeruandâ*, cuſtodiendâ, & in prælium ferendâ Arnoldum vocitari. A qua etiam denominatione quos in Imperio *Heroldus* ſeu *Heraldos*, Latini caducearores, vocant, non multum abeſſe non nemo iudicarit: præſertim cum ij Aquilæ Imperialis inſignia Ṣagulo ſuo intexta præferant. Ab eadem Aquila eſt *Arnſtat* in Thuringiâ, *Arnſtein*, & *Arnſtat* in Comitatu Manſfeldiæ, *Arnſtain* in Auſtriâ, *Arenberg* vel Arenburg in VVeſtphaliâ, *Arensburg* arx cum oppido. Imo & *Arles* in Galliâ, Straboni *Arelate*, quaſi Aren-late, id eſt, aquilæ ſedes; à *Laten*, quod relinquere eſt: Et veſtra *Arduenna* ab *Art-vvenne* vel *Art-vvone*, ſignificanti ſatis compoſitione, quaſi Aquilarum conſuetus & naturalis locus, vel Aquilarum habitatio, Inde quod magna in Arduennâ multitudo fuerit, egerintque inibi tanquam manſuetæ & cicures. Ab ART Natura etiam *Hart* vel *Hert* eſt, Latinis *Cor*, quod in animali ſe habet ſicut Terra in magno mundo, de quo prolixius non diſcurro. Demum à verbo ARDEN, à quo ART eſſe dixi, præteritum perfectum eſt *Geart*, contractè *gart* & ſimile participium, vnde ingens compoſitionis & deriuationis ſilua, quam feſtinanti non lubet ingredi.

Venio ad ER & ERT Honorem & Honeſtum Latinis, & ERT participium verbi Eren; in quibus Similis ferè nominum deriuatio eſt, qualis ab Art; & vocalium ac conſonantium eadem aſſumtio. Nam ab Ert, primo eſt *Ernt* & *Erent* & *Ernot*, *Ern‿ut*, *Ernoult*, *Ernolt*, *Ernalt*. &c. Imo & *Erenbolt* & *Erkenbolt*; omnia antiqua ab Honore & Honeſto nomina, & apud Latinos tum terminatione accommodâ, tum genuinâ translatione vſurpata. Qualia ſunt Ernodus, Ernaudus, Ernoldus, Ernaldus, Honorius, Honoratus, Honorinus, Honoricus, Honeſtus. Quibus à perito annumerari poſſunt Græca Timotheus, Titus, Honorabilis, &c. Compoſitorum in numero ſunt Erembertus, Erenboldus, Ercanvvaldus, Ermengaudus, Ermelinda, Ermelendis, Ereliua; & *Erminus*, *Arminius*, *Erminon*, *Ermine* ab Er & minne, id eſt, honoris amore; quæ inter honeſtiſsima Germanorũ nomina; & poſtrema: idẽ prorſus ſunt quod *Irmina*: imo

Her-

Anhalt.
Arnoldus.
Heroldus.
Arnſtat.
Arnſtein.
Arenberg.
Arensburg
Arles.
Arelate.
Arduenna.
Hert, Cor.
Geart.
ER ERT,
Honor,
Honeſtum.
Ernt, &c.
Erenbolt,
Erkenbolt.
Ernodus,
&c.
Honorius
&c.
Thimotheus, &c.
Erembertus, &c.
Erminus,

Herminno apud Tacitũ De Moribus Ger. hilũ ab illis non diſsidet, præter adſpirationem; vti nec *Hermannus*, commune adhuc nomen; & *Herminnefridus* Pacis tantum ſignificationem amori honoris addit, quaſi dicas *Er minne-fride* loco *frede* in alijs nominibus ſæpe etiam eſt *gart* & *gardus*; vnde *Irmingardis*, & contractè *Irmgardis* filia comitis Zutphaniæ & Henrici III. Imp. neptis. Eſt autem Irmgardis quaſi *Er-minne-gart*, hoc eſt *honeſti amoris indoles.* vel honoris amor naturalis, vel honoris amorem in ſe repræſentans, &c. Ab vtroque participio compoſitum eſt, nomen *Erardus*, Er-art, & inuerſe *Arterus*, & cum adſpiratione *Harterus* & *Hartgerus*.

Irmina. Hermannus. Herminnefridus. Irmgardis. Erardus. Arterus. Harterus.

Atque hactenus de alterâ particulâ vocis Bert, quæ eſt ERT. Reſtat vt addam de alterâ, *Be* ſcilicet. De qua tamen magnoperè non habeo quod dicam, niſi quod antiqua admodum & vſitata apud Celtas, Cimbros, Sicambros, & Germanos propoſitio fuerit, talis efficaciæ, vt ſignificationem eius voculę cui adnectitur, aut intendat, aut augeat, aut ad certum determinet. Patet in *geren* & *begeren*; illud enim ſimpliciter *cupere* ſignificat, hoc, cum affectu *deſiderare*; ſimile eſt in *Sien* & *beſien*, *moeien*, & *bemoeien*, *wyſen*, & *bewyſen*, &c. Ex quibus omnibus concludo *Bert* & *Berta* (celebre & Sanctum id in multis nomen) vim & ſignificationem. Nam ſi ab ART Natura, Ingenio, Indole, Natiuitate, quidditate, &c. compoſitionem acceptemus, vt quaſi contractum ſit ex *Be* & *Art*, erit *melioris* & *fecunda natura* nota, *ingenij atque optimæ indolis* indicium, *Eſſentia ſolidioris ac Natiuitatis* Symbolum, & *innatâ virtute atque animi dotibus parentes referentis* nomenclatura. Si verò ab ER & ERT Honoratis & Honeſtis vocibus coniunctionem petamus, erit Berta quaſi Be-erte, hoc eſt, *honore, decore, gloriâ & famâ Clara* & conſpicua; & omnes illi qui ex Bert nomen compoſitum aut deriuatum habent, CLARI, *decori, honorati*, Nomine tenus erunt. Quod, ne quis temerè aſſertum exiſtimet, probabo Veterum autoritate. Circa tempora Caroli Magni Scriptum Pſalterium vetus eſt, latinum quidem, ſed inter lineas ad ſingula verba germanicâ interpretatione ſuperſcripta. Eruditiſsimus Lipſius illud apud Inſignem & optimarum artium virum *Arnoldum VVachtendonck* vidit, legit, & ſtudioſè quædam elegit, quæ abire ab hodiernâ linguâ videbantur; deditque ex ijſdem paucula velut in guſtum; inter quæ etiam hæc, FILOBERTH *Præclara*, FILOBERTHON, *Præclaris*: Clarus autem & Præclarus figuratè pro eo accipitur, qui fulgore honoris, famæ & gloriæ reſplendet, vt Valla alijque indicant: Galli *renommé*, & *fort renommé* dicunt. Cicero Clarum & Præclarum frequenter cum honorato coniungit, vt indicet, aut idem eſſe, aut omnem virum honoratum Clarum & Præclarum eſſe. Quod autem FILOBERT ſit compoſitum ex noſtro BERT & FILO, id

BE. BERT, ab ART, *indole.* BERT, ab ERT, *Honore.* Berta. FILOBERT.

id dilucidè mecum Lipſius exprimit, quando aſſerit in his talibus vocabulis Filo eſſe veel ſiue multum, vt *Filobert* (hodie ferè *Philibertus*) ſit is, qui eſt Excellenti & illuſtri honore clarus, magno honore & fama celebris: Græci pari cum Germanis facilitate & felicitate vnâ compoſitâ voce vocant πολύφημον. Idem teſtatur magnus Antiſtes *HRabanus* circa annum Chriſti DCCC.XIIX. in nomine *Iſanberti*, De Diuerſis 25. ad quem hunc in modum ſcribit:

Philibertus.

Iſanbertus nomen à Rabano expoſitum.

Accipe primitias Muſæ Pater hoc breue carmen,
Et noſtra ſtudet iuque fructo pius.
Dignus nam doctis cum ſit vt carmina ſoluas,
Ignoſcas noſtris, ruſtica cum videas.
Cuncta quidem ſublimes Virtutum inſignia condunt
NOMEN, quo CLARVS. DIGNVS HONORE fias:
FERRVM, te fortem, CLARVM, VIRTVTE DECORVM
Signant, per multas creſcis in arte vias, &c.

In Epitaphio autem introducit ipſum *Iſanbertum*, hunc in modum loquentem;

Noricus ex genere fueram atque Aquinaticus ortu,
Francia me aluit, quoue fui monachus.
FERRVM mi CLARVM dudum dixere parentes,
Mortis nunc tumulo vincula dira premunt.

Vides quam planè à meâ ſententiâ, Archipræſul Maurus ſit? eamque ſuis verſibus & expoſitione clariorem faciat,

Quam Solis eſſe radij, cum ſudum eſt, ſolent?

In duas partes Iſan-bert ſecat, & *Iſan* ferrum, *Bert Clarum*, & *honore dignum* transfert; vel aliâ phraſi, *Clarum virtute & decorum*. Atque hoc nomen non caſu, aut ab externis, inditum docet, ſed ab ipſis parentibus; præſagium tamen & omen futuræ ſanctimoniæ & virtutis fuiſſe. Plura teſtimonia ab alijs habeo, maximè *Venantio Fortunato*; ſed illa nunc, vti, & multorum nominum in *Bertus* explicationem (quorum etſi copioſum apud me amici viderint Catalogum, cum obſeruationibus & annotationibus, non, vt putant ipſi, vulgaribus & iniucundis) ocij tamen anguſtijs, vt ſæpe dixi, impeditus, omitto.

HVBERTVS.

Igitur ad ſolius S. HVBERTI nominis, quod maximè à me deſideras, Explanationem me accingo: & quidem ſecundum triplicem lectionem HVBERT, HVG-BERT & HVC-BERT. Quarum prior HV-communis eſt. Sed quid illud? An *ſonus latrantis Canis*? abiit cum ipſis beſtijs,

Quæ, cum deſerte, baubantur in ædibus omnes.

Et licet *Galeatius* I. Matthæi Magni Vicecomitis Mediolanenſis filius, ideo ſic dictus ſit, quod *Barra* mater, cum eum in multo gal-

lorum

ſorum cantu enixa eſſet, & ipſe infans apertis oculis altè vagiret, per iocum *Gallatzum* appellârit; non velim tamen cuiquam tale quid de S. HVBERTO in mentem veniat, quaſi etiam ipſe in canum latratu genitus, denominationem inde ſortitus ſit. Nam licet S. HVBERTI inuocatio & reliquiarum contactus, in hunc vſque diem, rabidorum canum venenato & letifero morſui infallibiliter perſanando ſint; cum tamen meritis eius & tranſnaturali virtuti totum id adſcribamus, non libet Sancti nominis exordium hinc emendicare: niſi fatidicum quid, & occultum, ſubeſſe quis putarit, aut certe ſingularis ab illo quadrupedum genere S. HVBERTO puero exhibitus honor. Facilius in *Pipino* (de cuius etymo multi fruſtra laborant) ſimile quid admitterem, nomenque petitum concederem aut à pallaſtri ſono gallinaceo, aut ab imitamento eiuſdem in *Pipino* puſione: cum noſtri etiamnum *Pypen* vocent pullorum ſonum imitari; qui propriè, etiam Latinis, *pipiunt*. Ad Hebræos igitur eumdum & ab illis deſumendum prænomen HV? neque hoc velim, licet fortaſsè quibuſdam aptum videretur. Nam ſi id tentarem, dignus eſſem qui fruſtra in vaſtiſsimo deſerto *minutum rotundum inſtar pruinæ ſuper terram* quærerem, & non haberem fratrem cui dicerem, MAN HV? Petam à mæſtificâ vocali V. quæ, cum reliquæ quatuor ſororculæ gaudij dolorisque indices promiſcuè, ipſa ſola mæroris tantum nota eſt? & ab eâ triſte HV, HVI, commodato accipiam, vt perpetuo vlulet noſter HVBERTVS? Ah id inuenuſtum atque indecens nimium! nec lacrymas aut doloris inſignia illi appingam, qui candidâ veſte & Stolâ albâ triumphat, & cum Sanctis ſecurum iſtud Io ingeminat. HVE ergo aut HVO, priſcâ etiam linguâ Francicâ, *Berto* noſtro præfixum contendam? quorum illud *Quis*, hoc *quantus* transfertur: næniæ meræ ſunt, & puerorum nugamenta, quibus nec immorari libet, neque inter ſeria locum concedere. Auentinus illud *Hu* in *Hau* transformat & deducit ab *Hauen*, *Haugen*, *Hougen*, quod ipſi *cæſim ferire eſt*. Nonne, vt cum poëta id efferam. *Hic homo pugilatum incipit?* At non libet redhoſtire contra, neque *Neceſſum eſt verſis gladijs depugnarier*; cum quæſita res ſit, & vix guttam habeat Veritatis. An veriſimilius illud, quod de *Haunen* gentibus addit idem? ſi *Hunnos* intelligat, quos Belgæ Huinen vocant, non omnino abſurdum erit. Sed hic id non examino. Clariſsimus *Adrianus Scrickius Rodornus* primam HVBERTI ſyllabam vult eſſe VP, quod Superiorem deſignet; ſitque ita HVBERTVS quaſi *vp berecht*, hoc eſt, ipſius interpretatione, *Superior Iudex*; Francis, le Iuge ſuperieur. Quo Iudice id ſtabiliet? aut cui aſſentiendi legem ponet? nunquam mihi. Anonymus ille, quem ſupra citaui, *Humbertum* ſcribi vult, & pari licentiâ, niſi quod in malignam explicationem

Exod. ca 16. v. 14. & 15.

HAV.

HAVN.

VP.

pronior ſit, componit ex V M- vel *vn-wert*, quod *Non-charus* eſt, *Ingratus, Indignus*. Sed iſtas coniecturas ego, pluriumque, quos non euoco, ſeſtertio nummo non emerim, aut Plauti titiuilitio.

Prope verum, & meæ conſonans, expoſitio Heuteri eſt: qui HV-
HVIS. BERTVM quaſi *Huiſ-bertum* dictum indicat, à *domeſticâ dignitate* ſcilicet. Ego *dignitatem*, nihil ad monetam facere arbitror; de *domo* vel *huis* hic opinionem meam pono, iudicium aliorum eſto. Hoc tantum præfari liceat, nil obſtare quo minus vnum idemque nomen ad diuerſas ſignificationes Extendatur.

Erit ergo HVBERTVS quaſi *Huiſ bert*: ita vt Bert ſit vel à Beart, vel Beert, vel vtroque ſimul: & quidem *Huibart* Familiæ & Domus Aquitaniæ (Pater enim *Bertrandus* Aquitaniæ Dux fuit) à Natura inſertus vel datus; vel Familiæ & ſtirpi eidem confirmandæ & propagandæ genitus; vel Familiam Aquitanicam & maiorum in illa mores & virtutes naturâ & indole exprimens aut repræſentans. *Huibert* erit Familia & ſtemmate clarus, honoratus; domus & familiæ honos &c. Et iunctim, Naturalis & legitimus confirmandæ ac ſtabiliendæ familiæ clarus & honoratus filius. Et profectò cum firmamentum, decus, honor, familiæ, aut domus, in progenie & filijs hærere aſſolet, meritò id de noſtro HVBERTO dici potuit, vt examinanti facilè patebit. Aut dic per *Huis* in HVBERTO intelligi *Maiordomatum*, vel *Domum* Francicam; cuius *Maiores* (titulo enim *Maiorũ-domus* iſthæc dignitas notabatur) ipſe aut ſanguine & indole referebat, aut cognatione vicinus erat iiſdem; quod eſt Huiſ beart, aut ab iiſdem Maioribus Domus honoratus & condecoratus. Cognationem autem inter Maiores Domus & Duces Aquitaniæ fuiſſe manifeſtum eſt illis, qui iſtiuſce æui hiſtorias callent, ſciuntque Maiores Domus, Aquitaniæ Duces fuiſſe; & Carolum Pipini ex Alpaide filium, Eudone Duce defuncto, Prouinciam Aquitanicam recepiſſe, atque interim Maiorem Domus & Auſtraſiorum Principem vixiſſe. Poſsit etiam HVBERT quaſi *Hiuf-bert*, hoc eſt, Poſſeſſa natura vel poſſeſſus honor, vel addicta na-
HVIF. tura, adiudicata, occupata, quod proprie *Huif* vel *Hiuf*. & Huifare in Conſtitutionibus Caroli Magni ſignificat cap. de decimis: ſed id
HVP. non placet. Et licet etiam coniungi queat ex *Hup bert*, hoc eſt, *ſaltatrice naturâ*, vel naturâ & naturaliter ſaltans; ad honorem tamen id
HVPPEN. non æque accommodabitur. Eſt autem *Hup* à verbo *Huppen*, quod leniter ſaltare eſt, & in altum niti, maximè more puerorum, & puſionum tenellorum, qui naturæ benignitate fortiores, & ſpirituum ſuaui appulſu excitati aut erecti, Exultando ſe recreant: haud aliter quam pecorum

——— *noua proles*

Lucr. lib. I. *Artubus infirmis, teneras laſciua per herbas*

Ludit,

Ludit, lacte mero menſes percuſſa nouellas;

Vti eleganter vetuſtus poëta. Interim cum id à re alienum non
ſit, etiam Etymologia inde petita omnino abſurda videri non de-
bet. Nam & P facilè elidi ob affinem ſonum B litteræ ſequentis
poteſt; idemque vero ac rationi propius accedit, quam *Vp* Schrikia-
num, in quo primo eadem littera P addita, ſecundo aſpiratio de-
tracta, & tertio incommoda eſt ſignificatio; quæ duo poſtrema in
meo *Hup-bert* non reperiuntur. Imo iſtud adeo planum eſt & popu-
lare, vt incurioſo alicui & ſimilia alia nomina ac naturam rei non
exactè penſitanti, hinc ſuboriri dubium poſſet, annon integrum
nomen *Hubert* aut *Huppert* (nam ita ſæpiſsimè à ſuperioribus Ger- HVPPERT
manis ſcribitur) à verbo Huppen deriuatum ſit? & plene referat
eius verbale *Huppert*, quod ſaltatorem & Exultatorem deſignat?
Profectò ſi quis pertinaciter id tueri vellet, non tam ſubitò deijcere-
tur aduerſariorum argumentis de gradu. Sed cum nemo id ante
me aſſeruerit, & *Berti* originem aliunde deduxerim, inhærebo po-
ſitis fundamentis. Vnum addam, non tam pro confirmatione Sal-
tatoris *huppert*, quam vt omen in nomine oſtendam. Ita planè, nam
inter ſaltantes illos, qui Magdeburgi tempore Henrici Imperatoris
toto anno choreas Ex maledictione Sacerdotis duxere, primarius
ferè *Hubertus* fuit, profectò nimis feſtiuus Huppert. Quod de *Hup* HOP.
dictum, hoc ſuo modo etiam aſſeri in aliâ ſignificatione de Hop HOPEN
poſſet, quod ſpes eſt, à verbo *Hopen*, ſperare; ſiquis vocalium tranſ- HOPBE-
migratione non turbetur; & erit *Hopbertus*, ſperatus filius, Sperans TVS.
honores, honorata ſpes, &c. Quid ſi HVBERTVM deducamus,
aut rectius aduocemus, ad Cuſtodiam? non carcerem tamen, ne er-
res, ſed *ſollicitam curam*? quæ *Hu* & *Hue* transfertur, à verbo *Huen* & HV, & HVE,
Hueden cuſtodire, & diligenter curare. Quod propriiſsime de ijs di- *Cuſtodia*
citur, qui omnem operam in cuſtodiam curamque impendunt. Siue
Paſtores illi ſint ſiue opiliones, eritque HVBERTVS Cuſtodia
naturalis, Cuſtoditus honor &c. Atque hoc ominis & præſagij, quid
habuiſſet de ſecuturâ viri vitâ & officio; fore ſcilicet talem, qui tan-
quam bonus paſtor curam populi & ſubditorum habeat, & gregem
ſibi à DEO commiſſum diligentiſsimè exemplo, inſtructione, & de-
fenſione in DEI cultu cuſtodiat. Si Hu abbreuiatum ex *Hubs* vel *Hups* HV, pro
accipiamus, vt HVBERTVS ſit quaſi *Hubſ-bertus*; ab elegantiâ & HVBS.
pulchritudine, indolisque ac naturæ ſuauitate nomen habebimus,
eritque ipſe ante alios pulcherrimus. Tandem HVBERTVS accom-
modè reſolui poteſt in Hu & Bert; ita vt *Hu* Celſum, Excelſum, HV, Celſum.
Sublime, Altum ſignificet; ſitque Hubertus Excelſæ naturæ, Genero-
ſæ indolis, Alti ac ſublimis animi vir aut puer: vel Celſis illuſtribus,
& ſublimibus progenitoribus natus; vel altè honoratus, illuſtris ho-
nor, excelſis honoratus, &c. Hu autem illam ſignificationem habere
noſtra-

noſtratibus planiſsimum eſt: nec ignorat id Clariſsimus Dominus Schriekius, qui in Libris originum, Indice ſecundo, expreſſè habet *Hn, Hne, Hoche*, Celtis eſt eleuatus, altus, celſus; Francis, *eleué*, haulte. Adeo vt mirum ſit non hinc potius compoſitionem petiuiſſe. Sed quiſque in ſuo ſenſu abundat; neque ego Rodornæ Domino quicquam detractum cupiam. Subtilis eſt, & vir planè veteris genij ac melioris æui, & cui cum paucis pectus ſapit; cuius ingenium atque animi dotes vt exquiſitè amo, ita ignoſci mihi poſco, ſi pro libertate interdum diſſentiam.

HVG-BERTVS.

Altera lectio HVG-BERTVS à Codice Viennenſi eſt, quam mihi ternis ad minimum litteris ſe inibi obſeruaſſe ſignificauit magnus Iuris Sacerdos & Antiquitatis conſultus *D. Marcellus Frankenius*, amicus mihi notitiâ penitiori, & longiſsimâ conſuetudine coniunctiſsimus. aſſeruitque in Vitâ à *Iona* Epiſcopo ſcriptâ vbique HVG-BERTVM legi; vt de Orthographiâ nihil dubitem. Eſtque mihi *HVG* primo ſignificatu cum poſtremo HV plane concors, nec quicquam aliud quam quod *Hog, Hoech, Hoge*, hoc eſt, Altum, excelſum, ſublime. Adeoque iunctis viribus fortiter binæ illæ lectiones partes ſuas & excellentiam tuebuntur, & veritatem ad ſe rapiet.

HVG. & HOG. HVBERTVS, & HVGBERTVS, præ cæteris placent.

Si cui tamen Sublimitas illa in Huberto non vſque adeò placeat, per me licet *Lætitiæ* illum dedicet & Exultationi; vt dictus ſit, veluti *Hueg-bert* filius lætitiæ, Naturâ lætus, honoratus lætitiâ, Honos lætitiæ, Exultationis, &c. Nam *Huegen* & *Verhuegen* lætari & exultare. eſt. Poteritque ita vel ab ipſorum parentum gaudio, vel à fereno vultu & blandâ ad riſum facie, nomen acquiſiuiſſe Eodem etiam modo deduci fors poterit à verbo *Huegen* quod *Meminiſſe* ſignificat, & erit filius reminiſcentiæ, bonæ Memoriæ, Honeſta & Honorata Memoria, &c. Hoc obiter obſeruandum quod noſter S. HVBERTVS Anno Chriſti 698. inuitus à Sergio Papa Romæ Epiſcopus creatus ſit, & S. Lamberto Martyri ſubſtitutus: Ante illum igitur Boicus Princeps Theodiberti filius fuit, quem Velſerus lib. 4. rerum Boic. *Hugibertum*; Arno (ex quo Velſerus habet) *Hucbertum* ſcribunt: qui patri circa annum 638 Succeſsit in Boica, nec diu ſuperuixit. Si proba lectio Arnonis eſt, ad HVC pertinebit; ſi Velſeri tunc huc ſpectabit, & erit nomen Principis *Hugebert* vel *Huge-beart*, aut beert, quod Hugonis Naturam interpretor, vel Hugonis Honorem: aut Hugone genitum, Hugonis filium, patrioſue Hugonis mores, indolem & ingenium in ſe repreſentans &c. Et tamen ſi illa deductio ab Hugone & bert neq; in noſtro HVBERTO, neque in illo Boico locum habeat, potuit tamen in alio habuiſſe, cuius pater ſcilicet Hugo fuerit. Manifeſtum id eſt in *Huberto* Abbate in Hugeshouen qui teſte Lazio *Hugone* patre progenitus. Et ita apud procopium filius Theuderici eodem conſilio vocatus eſt *Theude-*

HVEG BERT. *Filius lætitiæ, aut, Præſtans memoriâ.*

Hugonis natura, aut honos

Theudebertus: Sic *Hildegardis* filia Hildeberti & Mechthildis ab vtroque parente ſuum *Hilde* trahit. Imò ex iiſdem principijs videtur eſſe nomen S. *Roberti*, qui è Lotharingiæ Ducibus; cum pater eius *Robolaus* fuerit, ipſe dictus eſt Robertus quaſi Robol-beart vel beert: aut etiam Robol-art, aut rectiſsimè Robertus ex vtriuſque parentis nomine conflatum erit vnum nomen, vt æquali iure patrem *Robol*, & Bertam matrem præferrat filius. Theudebertus. Hildegardis. Robertus.

Tertia lectio HVC eſt, parum diſſona à priori: & fortean omnes tres, non niſi dialectis à ſe abeunt. Dabo tamen & huic ſuam ſignificationem, & omnibus tribus quoddam veluti ſuperpondium adijciam. An igitur Hucbertus quaſi *Hoeck-bert*? intinuas id cum *Angularem barbam* interpretaris, & acuminatam. Et dici poſſet, ex meis principijs, ab Hoeck beart, hoc eſt in Augulo natus, aut loco aliquo vili & abiecto, ad exemplum Domini IESV, cui in diuerſorio non erat locus. Et talis pietas ſi in matre fuiſſet, merito illam filij nomine aut ipſa, aut Bertrandus pater, poſteritati conſecraſſet. Atque iſthæc acceptio vocis Hoeck proba magis quam illa, quâ Hoeck-bert dici poſſet à curuitate ipſius infantis corpuſculi; cum raro parentes ipſi defectus, & vitia naturæ, nomine exprimere aut exprobare filijs ſoleant. HVC. HVCBERTVS.

Triplicem illam, quam iam aſsignaui, ſcriptionem confirmat trigemina item cum *Baldo* vel *Boldo* compoſitio; *Hubaldus*, *Hugbaldus*, & *Hucbaldus* in quibus nominibus ſiue Balden aut Bolden pro *Behalden* aut *Beholden* accipias, quod retinere & conſeruare eſt; ſiue pro *Balt* aut *Bolt*; feſtinationis ſignis; ſeu pro *Baldo*, quod ex fide Lipſij cen. tertia ad Belgas, *fiducialiter* ſignificat, & fortaſsis alio flexu fidem, fidelitatem, animoſitatem indigetat; aut pro alio etiam ſignificatu, ſemper conſtabit compoſitionis ratio, & quam ex dictis ſine difficultate elicies. Hoc non omitto etiam alias in vtroq; nomine ſcripturas eſſe; quarum celebrior illa, quæ M. vel N. adſciſsit & *Humbertum*, *Humbaldum* frequenter exprimit, aut ſignificantius *Humbertum*, *Hunbaldum*. Illum tamen abſit vt cum Anonymo, Minimè clarum, interpreter: A crabronum bombo & ſoni ipſorum imitamento (Hummell & Hũmellen vocamus) ſi duxiſſet, minus decrraſſet. Ego Hunbertũ aut Hunibertum ſcribendũ arbitror, & alterâ cõnexionis particulâ cũ nominib. Hunibaldo, Hunoldo, Hunerico, Hunimũdo, Hunifrido, Hungarico, Hunegunde &c. concordare; quam ſiue ab Hunnis, ſiue aliunde deriues, ſi peritè id feceris, non delinques. Hubaldus. Hugbaldus Hucbaldus

Non determino quænã ex omnibus meis opinionib. probabilior, & quid potiſsimum Hu, in HVBERTVS ſignificet; vt Reuer. Tua habeat quod enucleet & inuẽtis meis de ſuo ſuperaddat: fiantq; ita probabiliora quæ hactenus dixi, ſi teſtis ſupernumerarius accedat. Mallẽ tamẽ, ab *Hoeg*, ſiue *Hu*, Huc, iuxta ſupra dicta deduci, vt HVBERTVS

ſit Latinè. Multū honoratus, ſummo honore clarus, &c. & fortè idem quod Græcis πολύφημος. De ROBERTO & LAMBERTO addā aliquid? Hoc, præter illa, quæ iā dixi, de nomine cognomine tuo; non inde dictū, quod *otium quietemq; frangat*, vt Auentinus, qui *Robrecht* legit, explicat in annal. Boicis: Sed ideo Robertū & Rubertum vocari, quod *quietæ naturæ* & indolis ſit, & in quiete ac trāquillitate honoratus. Nā cum raro infantuli taciturni & modeſti eſſe ſoleant, inquieti & queruli plurimū, iure ab iſthâc morū compoſitione appellationē mereri potuit. Eſt autem *Ru* quies, à verbo *Ruen* quieſcere. Quanquā nec diffitear aut à Rubro corporis colore Rôt ſcilicet, aut Rufo pueri capillo, idem nomen deſumi potuiſſe; aut à *Rot* cohorte, militari vocabulo; quod aut parentes, aut natiuitatis circumſtantia, aliaue infantis conditio inde quid traxerit, quod in nomen redundaret. An autem pro eodem quid colligi poſsit ex illo *Abbonis* de obſidione Lutetiæ Pariſiorum à Normannis lib. 1.

ROBERTVS.

Tranquillæ indolis.

RV.
Ruen.
Rot.

—— *magalia poſcit,*

Quæ Rotberto *aderant, Pharetrato agnomine claro*, non determino, etiamſi ſaluo carmine legamus

——*Pharetrato nomine claro*

Porro ſi Robertū ex *Rat*, & *Berto* coniungamus. Conſilium cum Honore vel cum Natura componemus. Quæ itidem in inuerſo nomine *Bertrat* Bertrada. *Lambertus* autem vel Patriæ naturæ & indolis dici poteſt, quod eſt *Lant-beart*: vel Patrius honor, quod eſt *Lant-beert*: vel potius Lam- ſiue *Lams-bert*, quod Agninam naturam & pacificam indolem indicat.

Rat,
Cōſilium.
Bertrat.
Bertrada.
Lambertus.
Patriæ indolis,
Patrius honor,
Agnina natura.

Et iſthæc hactenus veriſimiliora iudicauī, mi dilecte Pater; Tu,

—— *Siquid noniſti rectius iſtis,*
Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.

Moguntiæ VI. Nonas Martias Anni CIↃ IↃC. XIX.

Reuerentiæ Tuæ Seruus in Chriſto,

ARNOLDVS A BOECOP S.I.

FINIS QVÆSTIONVM HVBERTINARUM, & totius Hiſtoriæ S. HVBERTI.

DISQVI-

DISQVISITIO HISTORICA DE REBVS
S. HVBERTI
Primi Epiſcopi Leodienſis, Arduennæ Apoſtoli.

IN SVBSIDIVM SCRIBENDÆ eius Hiſtoriæ.

HANC DISQVISITIONEM quatuor linguis pridem vulgatam, & ſparſam, eo conſilio hîc recudi curaui, Lector pie, vt, in cuius manus iſta Hiſtoria inciderit, ſi fortè hæc Quæſita antè non viderat, & ei aliquid occurrerit, quod S. HVBERTI honorem augere poſſit, & ſecundæ Editioni, ſi aliquando prodibit, adijci; videat, cuiuſmodi illa ſint, quæ de hoc Diuo inueſtigantur. Vale, & eumdem pro me ora.

AD gloriam DEI qui dignatur ſe oſtendere *mirabilem in ſanctis ſuis*, perque eoſdem ſanctos operari mirabilia ſua, pridem rogant & vrgent multi, pij, DEI ſanctorumque eius cultores, conſcribi ſancti HVBERTI Principis Aquitani, Leodienſis vrbis fundatoris, & Sedis primi Epiſcopi, vitam & hiſtoriam. Hæc cum latiſsimè pateat, quod DEVS, *Sanctum* hunc *ſuum* toto penè orbe ſingulariter *mirificauit*: plurima memoriâ digniſsima, omitti neceſſe eſt, niſi ſubſidia ex ijs locis ſubmittantur, vbi aliqua celebris huius Diui memoria viget. Porro apparatum, & veluti pompam diuinorum eius monimentorum, viſum eſt in certam hanc methodum redigere, vt certo ordine capita appareant, de quibus quæri & perſcribi poteſt. De his aut ſi qua alia memorabilia occurrent, quæ in hunc indiculum relata non ſunt, rogantur omnes quos Catholicæ religionis zelus, quos DEI Sanctorumque honos tangit, vt diligenter, & clarè ſcribere dignentur, aut ſcribi curare per eos, qui id rectè, atque ordine poſsint.

Etſi autem dignum eſt, & æquum, pios homines tam piam operam præſtare gratis, & ſine ſpe vllius mercedis, non dubitent tamen eam copioſam expectare ab eo, qui & magnificum illud oraculum edidit, *Qui honorificant me honorificabo eos*, & id liberalius etiam exhibebit, quam promiſit.

Neque hiſtoriæ ſcriptor quod in ſe erit, ingratus futurus eſt. Non omittet eorum honeſtam poſteritati prodere memoriam, quibus tanti Sancti memoriam celebrare cordi fuerit.

Hoc ferè monere fugerat, quod tamen, vt ad rem maximè pertinens, magnoperè omnes rogantur; vt quæ publicâ fide confirmanda videbuntur, ea, quo maior ijs authoritas ſit, Magiſtratuum ſiue ſacrorum, ſiue politicorum diplomatis, litteriſue cõmunita tranſmittant.

SVMMA CAPITA QVÆ DE S. HVBERTI *Hiſtoriâ quæri poſſunt.*

I. CVLTVS PVBLICVS ET SOLEMNIS.

TEMPLA, *Sacella, Altaria in huius Diui honorem erecta.*

Feſti dies inſtituti.

Imagines, & ſtatuæ ex voto, aut in publicam cultus

cultus pij teſtificationem poſitæ.

Sodalitates, ſiue Confraternitates ad eius honorem inſtitutæ.

Peregrinationes, & hominum Externorum concurſus ad eius Templa, Reliquias, memoriam, &c.

Vota publica.

Munera ſolemnia ſpontanea, pecuniæ, frumenti, vini, caſeorum, rerumue aliarum.

Preces, inuocationes, ſacra ſolemnia.

Collectæ. Intellige autem per collectas, pecuniæ, fructuum, aut quarumlibet rerum comportationem à varijs factam, quæ in cumulum redactæ, certo tempore, aut ad Beati huius limina per deſignatos deferuntur; aut ab eius loci Præſule, miſſis domeſticis, afferri iubentur; ſiue in pecuniam redigi, quæ ſacræ domus vſibus cedat.

Reliquiarum eiuſdem Sancti ſolemnis circumgeſtatio.

De his ſingulis quæri & ſcribi expedit diligenter.

Vbi nam ſint aut fiant? Quo fine?

Quam antiqua habeantur?

Quiſnam ſingulorum Author, qui Promotores, vel ſint, vel cenſeantur?

Quis ſplendor, quæ pompa, quæ cæremoniæ abhibeantur?

Quæ ſingulorum ſit æſtimatio & dignitatis opinio? Quâ pietate fiant?

Itemque quò fructu? aliaque memoria digna.

Magni etiam referet de pleriſque ſcire, extentne ſcriptis, an ſolâ Chriſtianâ traditione habeātur.

II. SODALITATES.

Quoniam has & multas paſſim, & ſplendidas eſſe conſtat, de ijs hæc opera pretium eſt inueſtigare.

Quis author? Qui Promotores, fautores? Quæ inſtitutio? inſtitutionisue ratio?

Quæ & à quo confirmatio?

Num aliqua, & quæ, & quorum Pontificũ, Præſulum, Principum, in eam rem diplomata?

Quæ Sodalitatum forma? quæ leges ſiue regulæ?

Quis earundem finis?

Quæ ſodalium qualitas? quis numerus?

Quæ pietas? quis fructus? quæ opera pia?

Qui, quam frequentes, quibus diebus ſodalium conuentus?

Quis conuentuum ſplendor? qui ſumtus?

Qui præſides? qui Adminiſtri?

Quæ priuilegia? quæ indulgentiæ? & à quibus Pontificibus?

Quam hæc antiqua? & quibus litteris cõfirmata?

An & quæ ſodalitatum inſignia aut geſtamina? Et quæ alia ad ſplendorem facere poſſunt.

III. PEREGRINATIONES.

Vnde & quo fiant? A quibus? Quam frequentes, & quando? Quo fine? aut quo impellẽte? Qua fiduciâ? quo fructu?

Quibus adhibitis cæremonijs?

Alia pleraque annotari poſſunt ex ijs, quæ de ſodalitatibus poſuimus.

IIII.

IIII. MONIMENTA.

Templa, Sacella, Altaria à S. HVBERTO, *ædificata, aut celebrata, aut conſecrata.*

Vrbes, Arces, Pagi eodem authore extructi, Item Pontes, portæ, &c.

Leges ab eodem conditæ. Alia generis eiuſdem.

V. MIRACVLA.

AN, Quæ, vbi fiant?

Eorum qualitas, magnitudo.

Quam ſint frequentia? an quotidiana?

Quam varia? & an circa homines, eoſque ſanos aut ægros? item circa beſtias, Dæmones, alia?

Quam ſint certa? & an conſtent fide publicâ, an & monumentis ſcriptis? & quibus.

An ad ea magni hominum concurſus, & quorum? & vnde? an & Illuſtrium?

Quæ circumſtantiæ? quæ cæremoniæ?

Quæ obligatio eorum, quibus beneficium per ea miracula offertur?

Quæ, & quam multiplex miraculi Propagatio?

Voco autem Propagationem, cum per miraculum quis ſanatus, aut ſeruatus, ipſe poſtmodum eo ipſo, poteſtatem habet patrandi miracula, vt verbi gratiâ, propagandi temporis ijs, quibus infortunium alioquin imminet; vel ſi quis miracula faciat, quia ſit ex ſtirpe ipſius S. HVBERTI, *quâ de re paulo infra.*

VI. RELIQVIÆ.

AN alicubi S. HVBERTI *ſint reliquiæ?*

Vbi

Vbi ea ſint? quæ? quanta? Quales? quam certa? & authentica?

Quibus teſtimonijs probatæ?

Vnde à quo & quando delatæ?

Quæ earum veneratio?

An & quæ ad eas miracula?

VII. OBLIGATI ET ADDICTI.

VT intelligas quos ſic vocem, ſcito, fuiſſe quorundam Chriſtianorum tantam aduerſus hunc Diuum reuerentiam, & religionē, vt ſe vltrò ei obligarent; quandoq́; & ſuos, & ſua. Fuerunt, & ſunt, qui ex hâc obligatione, ad eius ſacra limina, quotannis ferant, aut mittant pecunias, frumenta, vina, caſeos, alia. Sunt qui certis temporibus ſeipſos inibi ſiſtant.

De his ergo hæc quæruntur.

Quinam obligati aut alio atque alio loco obligari ſoliti?

Quæ huius obligationis origo?

Ad quid obligati? id eſt an ſit obligatio corporum, actionum, rerum? & quænam ea in ſingulis ſit?

Quæ viciſſim erga hos obligatio Abbatis aut Monaſterij, aut alterius loci pij?

Quæ obligatorum priuilegia, immunitates, exemptiones, inſignia dignitas?

Certum enim eſt ex antiquis litteris eiuſmodi quædam fuiſſe.

Quæ litterarum formula, quibus ſe obligabant?

Quæ formula Abbatis aut Conuentus recipientis & admittentis?

An

An alicubi obligata integra oppida, Pagi, regiones, familiæ? Idque quomodo? & ad quid?

Et quia hi obligati quandoque ea quæ promiſerunt, in Collectas, *& quaſi in* depoſitum *dant alicui ad hoc conſtituto. Quæritur etiam de iis qui hæc* depoſita *ſeruant, quos alicubi in Germania vocant Prætores* S. HVBERTI.

Qui ſint? quot? quales?

A quo conſtituantur? quâ ceremonia? quâ mercede? quo honore?

Quibus priuilegiis?

Quæ geſtent inſignia? ſiue quæ domui aut foribus appingant?

VIII. COGNATI S. HVBERTI.

SVnt hodieq́; nonnulli, qui ſe huius Sancti ſtirpe editos affirmant, & eo nomine mira poſſe & patrare, maximè ad rabiem eiuſque periculum arcendum.

De iſtis operæ pretium eſt intelligere hæc aut alia ſimilia.

An ex familia ſint S. HVBERTI?

Quâ ratione ſtirpem ſuam oſtendant? vbi ſint? qui? quot?

Quâ conditione? an Nobiles?

Quâ vi polleant circa rabiem, aut rabidos homi-

 nes,

nes, aut animalia ſiue aliis in rebus quæ mira poſ-ſint?

Quid in ſanando faciant?

Quomodo? an verbis? & quibus?

An medicinis? & quibus?

An geſtibus? & quibus?

An reliquijs, aut benedictionibus, quibus?

Quænam aliæ cæremoniæ?

Quis effectus? an ſemper certus?

An qui de eâ familiâ, omnes eam poteſtatem habeant? An ſoli primogeniti?

An omnes? & ſoli Maſculi? An & Fœminæ? An harum quoque poſteri etſi ex aliarum familiarũ patribus? Poſſint ne hæc ſcriptis libris probari? an ſola traditione?

An nunquam iſta examinata à Magiſtratu, Epiſcopis, viris doctis? De his alijſque eiuſmodi rogãtur Ampliſſimi Magiſtratus, ſiue ſacri ſint, ſiue politici, vt tanquam fideles, & veritatis amantes, teſtimonium perhibeant veritati.

Porrò ne hæreat quiſpiam, quonam mittenda ſint quæ petuntur; nuſquam rectius miſerit, quàm ad eius Beati, de quo agimus ſacroſancta limina, videlicet vbi ſanctum corpus eius quieſcit, vbi concurrentibus vndique populorum turbis, Deus. Opt. Max, talis ſerui ſui deprecatione, ſtupenda in dies patrat miracula. Crediderim neminem tam eſſe in tantis rebus hoſpitem, qui locum ignoret. Tamen vt humana ſunt, ſi quis requirat, ſciat oppidum eſſe, cui ab ipſo S. HVBERTO *nomen olim Andainum,*

ſiue

ſiue Andagium in Arduenna, diœceſis Leodienſis, & adiunctum eſt nobile Monaſterium & Abbatia S. Benedicti.

Huc dirigito (niſi aliud particulariter ab aliquibus poſtuletur) cui aliquid erit memoria dignum; cui animus gratificandi huic Sancto, & obſequendi Regi ſanctorum, cui laus & gloria in ſanctis ſuis in ſecula ſæculorum. Amen.

Hæc rogat memorati Cœnobij Abbas, pollicetuŕq; omnibus memorem, & gratum animum, & ſuas, ſuorumq́; demiſſas ad Devm, eiuſque famulum D. Hvbertvm, preces, quas huius interceſſione ſperat non fore irritas. Amen.

TABVLÆ GENEALOGICÆ.

LECTORI.

TABVLAS iſtas debeo Sancto meo HVBERTO, vt, qui illum ignorant, videant, non modò Reges, Cæſares, Principes, Dynaſtas habuiſſe Progenitores, Poſteros, Cognatos, Affines: ſed, quod his omnibus longè maius, SANCTOS. Debeo Auguſtiſſimæ Familiæ AVSTRIACÆ, quæ, præter cæteros cæleſtes fauores, eo etiam dignata à DEO eſt, vt omni æuo viderit domeſticos, aut cognatos, non ſanguine magis, & ſtirpe, quàm *Sanctitudine* illuſtriſſimos. Debeo, in hâc ipsâ Familiâ, Sereniſſimæ Principi ISABELLÆ, quæ Originis ſuæ pluris facit, vti debet, *Sanctitatem*, quàm *Maieſtatem*: Debeo denique Lector, etiam tibi, quia promiſi. Faciam igitur tot creditoribus ſatis quàm potero integrè, & cumulatè.

TABELLAS do, vt vides, omnino ſex: & addo ſupplementum eorum *Sanctorum*, qui in eas commodè referri non potuerunt, etſi o-

omnino

mnino ad eamdem ſtirpem pertineant. Iudi-ces facio peritos.

HABENT ſex iſtæ, non modò *Sancti* noſtri ſtirpem à primâ origine: nec modò plures *Sanctos*, eius cognatos: verumetiam, ſunt velut baſis, quâ reliquorum *Sanctorum* cognatio ni-titur: ſunt, vt radix, aut truncus, e quo illi ra-mi: vt fons denique, vnde illi riuuli.

INSTITVTVM meum his *Tabulis*, eſt, o-ſtendere, *Familiam* S. HVBERTI, *Familiam eſſe Sanctam, & Sanctorum.* Quæ reliqua acce-dunt, illa, inquam, tot Regum, ac Principum, longa ſeries, illa Seculi gloria, illa Orbis Ma-ieſtas, ſponte intercurrunt, & non vocata. Non nego tamen, Stirpis AVSTRIACÆ peculiarem me habuiſſe rationem.

NON texo integras, & ex profeſſo, *Genealo-gias*: ſed è tot Regiæ Arboris Ramis, eos tan-tum exhibeo, qui fructum illum inueſtigatæ tæ nobis *Sanctitatis*, ipſi exhibent: aut cer-tè, velut matres, eoſdem ramos porrò produ-cunt.

POSTERIORES *Tabellæ* è prioribus fere aptæ, pendent, & ex illis oriuntur. Malui eâ ratione plures texere, quæ ſingulæ, ſingulis ſuis pagellis caperentur; quàm longo tractu, im-menſas chartas implere; quæ & libello iſto, non niſi incommodè replicatæ, continerentur:& ſpectantium oculos, intentionemq; con-funderent. Cui tamen hæc ratio magis placeat,

non difficulter ipſe confecerit. Viam aperuimus.

FIDEM ne quis iure mihi derogare poſſit, abunde opinor, curatum à me eſt. Nam & Tabulas ipſas, appoſitis Authoribus, conſtabilui: & Sanctos, quos in Tabulas commodè referre non potui, aliјs Authoribus eodem pertinere oſtendi

DE AVTHORIBVS porrò ipſis, viſne verbum addam? Ego quidem tales eſſe cenſeo, vt eorum neminem ſine iniuriâ quiſquam reijciat. DV TILLET apud Gallos pro Oraculo habetur. MOLANVS nihilo eſt minor apud Belgas noſtros. RADERVS noſter in Germaniâ, eruditione, diligentiâ, fide, id aſſecutus eſt, vt nemo eruditus aut probus, fidem ei deroget. PIESPORDIVS in Regij Stemmatis Regio planè opere, regnat ipſe: tot bonis, magniſque Authoribus ſtipatus, quos eius Præfatio producit. Reſtant duo Authores, HAPPART, & REBREVIETTES; quorum authoritatem abundè aſſeruero, ſi vnde hauſerint, oſtendero. Oportunè hîc mihi occurrit, quòd DEI voluntate, Iudæis conſuetum erat, diligentiſſimè ſtirpem ſuam deſcribere, & aſſeruare. Paſſim legere licet in Diuinis Libris. Quinetiam in ſacris hominibus ita id obſeruabatur, vt quoties iuberentur, eam deſcriptionem exhibere tenerentur: neque ſine mulctâ, ſocordes deprehenderentur. Memorabile planè

planè eſt, quòd deprehēſi Sacerdotes, qui *quæſierunt Scripturam ſuam in Cenſu, & non inuenerunt*, EIECTI SVNT DE SACERDOTIO; *dixitque Aterſatha eis, vt non manducarent de Sanctis Sanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus, & eruditus.* (lib. 2. Eſdr. cap. 7. v. 64. 65.) Miretur quis, quorſum euadam cum hâc narratione. Dicam. Vt ſancti, & religioſi homines, omni æuo id egerunt, vt priores Sanctos, tamquam Maiores, & Præceptores ſuos, in ijs, quæ honeſta, & pia ſunt, imitarentur; maximè quæ DEI nutu acta cognoſcerent: æquum itidem eſt, exiſtimare, in hoc quoque negotio idem factitaſſe. Hinc in Andaïno tam diligenter, & accuratè deſcripta *Genealogia* Patroni, & Principis S. HVBERTI. Hinc Niuellæ, S. Gertrudis, quæ cognata illius fuit. Iam de fide earum deſcriptionum dubitare, iniquum planè eſt. Nam præter ſingularem Maiorum noſtrorum affectum, & diligentiam, erant etiam tanto viciniores ipſorum Sanctorum tum vitæ, tum origini: eratque ijs minimè difficile, ex eorum ore omnia haurire, qui cum illis vixerant, ſtirpemque totam accuratè nôrant; aut ipſi eius ſtirpis pars aliqua, & membrum eſſent. Iam ex his antiquis Deſcriptionibus hauſerunt Happart, & Rebreuiettes: ille ex Andainenſibus; hic ex Niuellenſibus. Ex quo facile videas, quàm tutò ijs credere poſſis. Si tanti facere ſolemus quæuis

bonæ

bonæ notæ antiqua MSS. quanto magis hæc, ſic ſtudioſè conſcripta, & (quod omnino credibile eſt,) publicâ authoritate? Nec te moueat, quod quædam in ijs ſunt, quæ apud alios Authores non reperiantur. Hoc enim perpetuum eſt in alijs quoque Genealogijs, atque adeò hiſtorijs omnibus. Et cauſa nulla eſt, quin eâdem ratione alios reijcias, quòd ea non habeant, quæ in illis optimæ fidei MSS. Porrò quæ de Andaïnenſibus, & Niuellenſibus dixi, de *Hagiologo Brabantinorum* itidem intelligi velim, quem IOAN. GIELEMANS è ſimilibus collegit. Extat hic in Monaſterio *Rubræ Vallis* prope Bruxellas.

TABELLA

TABELLA I.

Regiæ Stirpis S. HVBERTI *primi Authores.*

PHARAMVNDVS *Franciæ Rex.*

Clodio *cognomento* Crinitus,

Meroueus,

Childericus.

Clodoueus Magnus, *primus Chriſtianus Franciæ Rex.*
Huius vxor S. BATHILDIS, *ſiue* CLOTHILDIS.

Clotharius, *ſiue* Lotharius.

Chilpericus *Rex Sueſſionum.* — Lotharius *Rex Franc.* — Dagobertus *Rex Franc.* — S. SIGEBERTVS *Rex Auſtraſiæ.*	Cherebertus, *vel* Aribertus *Rex Franc.*	S. GVNTRAMVS *vel* GVNTRAMNVS *Rex Burgundiæ.*	Sigebertus *Rex Auſtraſiæ, à quo Habsburgo-Auſtriaci Principes.*	Hildericus *Dux Aquitaniæ, Proauus Sancti* HVBERTI *paternus.*	Cloſinda *ſiue* Blitildis, *Proauia* S. HVBERTI *Materna. Huius maritus* Ansbertus S. R. *Imp. Marchio ad Scaldim.*

AVTHORES, *Genealogia Andaïnenſis, Happart, Rebreuiettes, Pieſpordius.*

TABELLA II.

Stirpis S. HVBERTI *linea paterna.*

CLOTHARIVS, *ſiue* LOTHARIVS Rex.

- Hildericus *Dux Aquitaniæ.*
  - Boggis.
    - Bertrandus. *huius Vxor* Hugberna.
      - S. HVBERTVS. *Eius Vxor* Floribana.
        - S. FLORIBERTVS.
      - Eudo *Dux Aquitaniæ.*
        - Emericus.
        - Aiſtulphus.
        - Iohannes VVillibrordus, *Hungariæ Rex.*
          - Beatrix. *Huius Maritus* Godefridus Dacus.
            - Ogerus Princeps.
- Cloſinda, *ſiue* Blitildis.

AVTHORES, *Genealogia, Happart.*

TABELLA III.

Stirpis S. HVBERTI *linea materna.*

CLOTHARIVS Rex.

Cloſinda, *ſiue* Blitildis.
Huius Maritus
Ansbertus, *ſiue* Aribertus,
S. R. *Imp. Marchio ad Scaldim, à Rege Socero.*

Arnoldus *Marchio.*

S. ARNVLPHVS
Epiſcop. Metenſis.

S. ANSEGISVS, *ſiue*
ANCHISISES, S. R.
Imp. Marchio.
Vxor eius
S. BEGGA, *Dux Brabantiæ.*

Pipinus Herſtallus *Dux Brabantiæ.*

Carolus Martellus.

Boggis, *ſiue*
Bugiſiſes, *Princeps Pictauorum.*

Hugberna, *ſiue*
Afra. *Eius*
Maritus.
Bertrandus.

S. ODA.

S. HVBERTVS.
Vxor
Floribana.

S. FLORIBERTVS.

Pipinus Rex.

S. ITISBERGA.

S. CAROLVS
Magnus *Imp.*

Ludouicus Pius *Imp. & alij deinceps Imperatores, & Galliæ Reges.*

S. CAROLOMANNVS *Auſtraſiæ Princeps.*

Landrada.

S. GODEGRANDIS *Epiſcop. Metenſis.*

AVTHORES, *Genealog. Happart, Molanus, Du Tillet.*

TABELLA IIII.

S. HVBERTI *Cognatio cum Auguſtiſſimâ Familiâ* AVSTRIACA.

CLOTHARIVS REX.

Sigebertus *Rex Auſtraſiæ, à quo Auſtriaci Principes.*
Childebertus.
Theodebertus.
Sigebertus Exul.
Sigisbertus.
Ottobertus.
Babo.
Rotherius.
Hettoprechtus.
Rambrechtus.
Guntramus I.
Luithardus.
Luitfridus.
Hunifridus.
Guntramus II.
Bet-zo.
Rapoto.
VVernerus I.
Otto
VVernerus II.
Albertus
Rudolphus
Albertus
Rudolphus I.
Rom. Imp.
Alber-tus I. *Rom. Imp. Dux Auſtriæ.*
Albertus II. Sapiens. *Archidux Auſtriæ.*
Erneſtus Ferreus, *Archidux Auſtriæ.*
Fridericus *Rom. Imp.*
Maximilianus I *Rom. Imp. Rex Hungar. Archidux Auſtriæ.*
Philippus I. *Caſtellæ Rex, Archid. Auſtriæ, Burgundionum, & Belgarum Princeps, &c.*

Hildericus *Proavus* S. HVBERTI *paternus.*

Clofinda, *Proavus* S. HVBERTI *maternus.*

Carolus V. *Imp.*
Philippus 2. *Hiſpan. & Indiarum Monarcha, Belgarum Princeps.*
Philippus 3. *Hiſpan. & Ind. Monarcha.*
Philippus 4. *Hiſpan. & Ind. Monarcha*
Vxor eius
Eliſabetha Francica, *Henrici 4. filia.*
Iſabella Clara Eugenia, *Hiſp. Infans Belg. Princeps. Huius Maritus,* Albertus *Archid. Auſtr. Belg Princeps.*

Ferdinandus I. Imp.
Maximilianus 2. *Imp.*
Rudolphus *Imp.*
Erneſtus *Archidux.*
Matthias *Imp.*
Maximilianus *Archidux.*
Albertus *Archid. Burgundionum, & Belgarum Princeps*
Vxor
Iſabella Clara Eugenia.
Ferdinandus, *Archidux.*
Carol⁹ Archidux
Ferdinandus 2. *Imp.*
Leopoldus *Archidux.*
Carolus *Archidux.*
Ferdinandus Erneſtus, *Archidux.*
Leopoldus VVilhelmus *Archidux.*

AVTHORES, *Geneal. Happart. Pieſpord.*

TABELLA V.

S. HVBERTI *Cognatio cum tribus* REGVM GALLIÆ *Stirpibus.*

STIRPS.

I. MEROVINGICA.	II. CAROLINA.	III. CAPETIA.
MEROVEVS.	CLOSINDA.	CLOSINDA.
Childericus.	Arnoidus — Boggis.	Arnoldus. — Boggis.
Clodoueus.	S. ARNVLPHVS. — Hugberna.	S. ARNVLPHVS. — Hugberna.
Clotharius.	S. ANSEGISVS. — S. HVBERTVS.	Clodulphus — S. HVBERTVS.
Hildericus — Cloſinda	Pipinus Herſtallus.	Martinus *Dux Moſellanicus.*
Boggis. — Boggis.	CAROLVS Martellus	Childebrandus.
Bertrandus — Hugberna.	Pipinus Rex.	Theodoricus.
S. HVBERTVS.	S. CAROLVS Magnus.	Robertus I. *Comes Andium.*
Vide Tabell. 1. 2. 3.	*Vide Tabell. 3.*	Robertus II.
		Hugo Magnus *Comes Pariſienſis.*
		HVGO CAPETVS, *Rex Francorum.*
		Vide Tabell. 3. & Pieſpord.

TABELLA VI.

S. HVBERTI *Cognatio, cum illuſtriſſimis* BELGII SANCTIS.

VAVBERTVS *Princeps Arduennæ & Hannoniæ.*

- Ansbertus, S. HVBERTI *proauus maternus.*
  - Arnoldus.
    - S. ARNVLPHVS
      - S. ANSEGISVS *Vxor* S. BEGGHA.
        - * CAROLVS *Brabantiæ, & Tungrorum Dux.*
          - Carolus, *Brabantiæ Dux.*
            - Carolomannus.
          - Agilulphus *Hasbaniæ Comes.*
            - S. BAVO, *Patronus Gandenſium.*
    - S. MODOALDVS, *Epiſcopus Treuir.*
    - S. SEVERA, *Sanctimonialis Treuirenſis.*
    - S. ITTA, *ſiue* IDVBERGA. *Huius Maritus,* S. PIPINVS de Landis.
      - S. BEGGHA.
      - S. GERTRVDIS.
  - Boggis.
- Vaubertus, *Princeps Arduennæ, & Hannoniæ.*
  - Vaubertus. *eius Vxor* Bertilia.
    - S. VVALDETRVDIS, *patrona Montenſium. Huius Maritus* S. MADELGARIVS VINCENTIVS.
      - S. LANDRICVS *Epiſcop. Meldenſis.*
      - S. ALDETRVDIS *virgo Malbodienſis.*
      - S. MADELBERTA, *virgo Malbodienſis.*
      - S. DENTLINVS, *Infans.*
    - S. ALDECVNDIS, *Fundatrix Malbodienſium.*

S. PIPINVS de Landis. *Huius Vxor* S. ITTA, *aut* IDVBERGA.

- S. AMALBERGA. *Maritus,* VVitgerus.
  - S. ABLEBERTVS, *ſiue* EMEBERTVS, *Epiſc Cameracen.*
  - S. PHARAILDIS, *Virgo.*
  - S. REINELDIS, *Virgo.*
  - S. GVDVLA *Virgo.*

AVTHORES, *Hagiologus, VVaſſeburg, Molanus.*

SERE-

SERENISSIMA
DOMINA,

AD Pietatem, quam tot iam annos, magno Tuo, Tuorumque Populorum bono, tam impensè colis, & excolis; longum iter eſt per præcepta; breue per Exempla. In Exemplis, nulla potentiora Domeſticis. Domeſticorum nulla violentius agunt, quàm quæ in Excelſo ſita loco, Orbis terræ, quàm latè patet; imo Cæleſtium etiam oculos, ſui admirabilitate tenent. Et qui magis tenent, quàm Eccleſiæ, & Seculi Principes, magna illa nomina, Pontifices, Cæſares, Reges? Vtique ſi Sanctitatis magis, quàm Stirpis Maieſtate excellunt. Nam abſque illâ, terræ dumtaxat incolis venerationi eſſent. Quâ euecti,

1. Cor. 4. 9. ęti, Spectacvlvm *facti ſunt* Mvndo, *&* Angelis, *&* Hominibvs. Hoc Spectaculum in his Tabellis, tamquam in Theatro, ſpectare potes. Eminentiſſimæ, inquam, Sanctitatis Exempla, & Tuorum Domeſticorum, quippe Tui Sanguinis. Atque ij, quò Te ſuauius ducant, totius Anni Orbitam, & Orbem, ſuis Tibi veſtigijs, longo ordine, ſacrâ Pompâ ſignant. Specta: & crede, hunc verè

Iſa. 61. 2. eſſe Annvm Placabilem Domino.

FASTI

FASTI SANCTORVM, S. HVBERTO, & AVGVSTISSIMÆ DOMVI AVSTRIACÆ *Cognatorum.*

IANVARIVS.

Dies menſis.	SANCTI.	AVTHORES.	Anni Domini	Locus.
2.	*ADALARDVS* Abbas Corbeienſis, Cognatus Caroli Magni.	Molanus *in Natal. SS. Belg.*	720.	In Gallia.
4.	*PHARAILDIS* Virgo, S. Amalbergæ Sororis Pipini Principis, filia.	Tabul. 6. Molan. *in Natalib.*	670.	In Flandria: Gãdaui.
8.	*GVDVLA* Virgo, Soror S. Pharaildis.	Tabula 6. Molan. Surius *ex MS.*	670.	In Brabantia, Bruxellæ.
15.	*ABLEBERTVS*, ſiue *Emebertus*, Epiſcop. Cameracenſis, Frater SS. Pharaildis, & Gudulæ.	Tab. 6. Molan.	670.	Malbodij.
26.	*BATHILDIS*, ſiue *Clothildis*, aut *Crothildis*, Regina, Clodouæi primi Chriſtiani Galliarum Regis vxor. Francorum Apoſtola.	Tabula 1. Surius, *ex Anonymo, eius coætaneo.* Martyrolog. Roman. Chronicum magnum Belg.	514.	Turone in Gall.
28.	*CAROLVS MAGNVS*, Imperator.	Tabula 3. Molan.	814.	In Belgio.
30.	*ALDEGVNDIS* Virgo, ſoror S. VValdetrudis.	Tab. 6. Molã. Sur. *ex Hucbaldo Elnonenſi.* Mart. Ro.	664.	Malbodij.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
1.	*SIGEBERTVS*, Rex Auſtraſiæ.	Tabula 1. Molan. Surius *ex Sigeberto Gemblacenſi.*	657.	Metis, in Auſtraſiâ.
3.	*BERLENDIS* virgo, S. Amandi neptis ex ſorore.	Molan. ex *Offitio Eccleſiæ Merbecenſis.*	630.	Merbeccæ, in Brabantiâ.
6.	*AMANDVS*, Epiſcop. Tungrenſis, filius Sereni, Aquitanorum Ducis, Apoſtolus Gandenſium.	Molan. *ex Officio Gandenſi.* Surius. Harigerus, *apud Chapeauille, Tom.* 1. Martyrol. Rom.	662.	S. Amâdi, in Tornaceſio.
21.	*PIPINVS DE LANDIS*, Brabantiæ Dux.	Tab. 3. Molan. Sur. *ex MS.*	640.	Niuellæ in Brab.
25.	*ALDETRVDIS* virgo, Abbatiſſa Malbod. neptis S. Aldegundis.	Tab. 6. Molan. *ex Hucbaldo Elnonenſi, in vitâ S. Aldegundis.*	660.	Malbodij, in Hannoniâ.
27.	*LEANDER*, Archiep. Hiſpalenſis.	Pieſpord. Sur. Martyrol. Rom.	589.	Hiſpali, in Hiſp.
27.	*FVLGENTIVS*, Epiſcopus Aſtigitanus, Frater S. Leandri.	Pieſpord. Sur. *ex Prudentio Sandouali Benedictino, Philippi 3 Regis Catholici Hiſtoriographo.*	620.	In Hiſpaniâ.

MARTIVS

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
3.	*CVNEGVNDIS* Auguſta, Coniugata-Virgo.	Pieſpord. Sur. *ex antiq.* *MS.* Martyrol. Rom.	1030.	Bambergæ, in Germaniâ.
4.	*CASIMIRVS*, filius Caſimiri Regis Poloniæ, & Eliſabethæ Auſtriacæ, filiæ Alberti 2. Cæſaris.	Martyrolog. Rom. Zacharias Ferrerius, *Epiſcopus Gradenſis, Legatus Apoſtolicus in Poloniâ*	1489.	Vilnæ, in Lituaniâ.
6.	*GODEGRANDIS*, Epiſcop. Metenſis, filius Landradæ, filiæ Caroli Martelli.	Tabula 3. Molan.	800.	Metis, in Auſtraſiâ.
17.	*GERTRVDIS* virgo, filia S. Pipini de Landis Ducis.	Tabula 6. Martyrol. Ro. Molan. Surius, *ex Anonymo coætaneo.*	659.	Niuellę, in Brabantiâ.
27.	*RVPERTVS*, Epiſcop. Saliſburgenſis, Bauariæ Apoſtolus, è Regio Francorum ſanguine.	Raderus, *in Bauariâ S.* Martyrol. Rom. Surius, *ex Tom. 6. Antiq. Lect. Caniſij.*	628.	Saliſburgi, in Germaniâ.
28.	*GVNTRAMNVS* Rex Franc.	Tabula 1. Martyrol. Ro. Sur. *ex Gregor. Turon. de glor. Mart. cap. 76.*	597.	Cabilone, in Galliâ.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
4.	*ISIDORVS* Archiepiſc. Hiſpalenſis, Hiſpaniarum Doctor, S. Leandri frater.	Pieſpord. Martyrolog. Rom. Sur. 27. *Febr. in Leandro.*	630.	Hiſpali in Hiſpaniâ.
9.	*VVALDETRVDIS*, ſoror S. Aldegundis, vxor S. Maldegarij.	Tabula 6. Molan. *ex Chronicis Hannoniæ, & libris Montenſis Eccleſiæ.*	630.	Montib. In Hannoniâ.
13.	*HERMENIGILDVS* Rex, Martyr. Huius frater, natu minor fuit	Pieſpord. Martyrolog. Rom. Surius *ex S. Gregor. lib. 3 Dialog. c. 31.*	580.	Hiſpali in Hiſp.
13.	*RECAREDVS* Rex, à Concilijs Hiſpaniæ laudatus.	Surius 27. Febr. *ex Prudentio Sandouali, in Leandro, &c.*	599.	In Hiſp.
13.	*IDA* vidua, mater Godefridi Bullonij.	Hagiologus Brabant. Molan. *ex Iperio.* Sur. 4. Sept. *ex Vſſingo.*	1070.	In Flandr.
17.	*LANDRICVS* Epiſcop. Moldenſis, filius S. VValdetrudis.	Tabula 6. Molan. *ex Officio Sonegienſi.* Chronic. Camera. *lib. 2. c. 46.*	660.	Sonegijs.
19.	*BRVNO*, ſiue *LEO IX.* Pontifex Max.	Pieſpord. Martyrol. Ro. Surius *ex VViberto Archidiacono, coætaneo.*	1050.	Romæ.
22.	*ALDEBERTVS*, Comes Auſtrouandiæ, maritus S. Reginæ. Vide 1. Iulij.	Molanus, *ex Officio Dononienſi.*	680.	Dononij.
25.	*FLORIBERTVS*, filius S. *HVBERTI*, & in Epiſcopatu ſucceſſor.	Tabula 2. Molanus. Anſelmus *Canonic. Leod. Tom. 1. Chapeauill.*	750.	Leodij.

MAIVS.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
1.	*SIGISMVNDVS*, Rex Burgundiæ, & Martyr.	Hagiologus. Pieſpord. Martyrolog. Roman. Gregor. Turonen.	515.	Seduni in Galliâ.
8.	*ITTA*, ſiue *IDVBERGA*, vxor S. Pipini.	Tabula 6. Molan. Sur. 12. *Maij, in Modoaldo, eius fratre.*	640.	Niuellę, in Brabantiâ.
12.	*MODOALDVS* Epiſcop. Treuirenſis, frater S. Arnulphi, Epiſcopi Metenſis.	Tabula 6. Martyrolog. Rom. Surius, *ex Stephano Abbate Leod.*	612.	Treuiris.
21.	*ITISBERGA*, Virgo, S. Caroli Magni ſoror.	Tabula 3. Molanus *ex MS.*	800.	Ariæ.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
1.	*REGINA*, Pipini neptis, mater S. Ragenfredis virg.	Molan. *ex Officio Donenienſi.*	680.	Dononij.
2.	*PETRVS DE LVXEMBVRGO*, Epiſc. Metenſis, & Cardinal.	Molan. *ex MS.*	1387.	Aueni-one in Gall.
4.	*ELISABETHA*, Infans Aragoniæ, Dionyſij, Portugalliæ Regis vxor.	Pieſpord. Perpinianus.	1332.	Conimbricæ, in Luſitaniâ.
8.	*LANDRADA* virgo, neptis S. Pipini, Carolomanni filij.	Molan. Surius. Chapeauille, *Tom. I. in Lamberto cap.* 10.	670.	Belyſiæ.
10.	*AMALBERGA* vidua, S. Gudulæ mater.	Tabula 6. Molan. Sur. *ex MS.*	640.	Lobijs.
13.	*HENRICVS* Auguſtus, S. Cunegundis maritus, virgo.	Pieſpord. Molan. Surius *ex MS.* Martyrol. Rom.	1024.	Bambergæ in Ger.
14.	*MADELGARIVS VINCENTIVS*, Hannoniæ Comes.	Tabula 6. Molanus *ex Geſtis.*	630.	Sonegijs.
14.	*DENTELINVS* puer, Madelgarij filius.	Tabula 6. Molan. *ex Officio Reſſenſi.*	630.	Reſſæ, in Cliuiâ.
15.	*GODEFRIDVS* Bullonius, filius S. Idæ.	Hagiologus Brabant. Molan. *ex VVilh. Tyrio &c.*	1096.	Ieroſolymis.
16.	*REINELDIS*, Virgo, Martyr, Soror S. Gudulæ.	Tabula 6. Martyrol. Ro. Molan. Surius *ex MSS.*	670.	Santis.
20.	*SEVERA* Virgo, ſoror S. Modoaldi Epiſcop. Treuirenſ.	Tabula 6. Martyrol. Ro. Sur. 12. *Maij in Modoaldo, lib. 2. c. 13. 14.*	660.	Treuiris.
22.	*VVANDREGISILVS* Abbas, nepos S. Arnulphi Epiſcopi Metenſis.	Molan. *ex Martyrol. Blandinij.* Surius *ex Anonymo coætaneo.*	655.	In Blandinio.

AVGV-

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
13.	*RADEGVNDIS*, Regina, Regis Clotharij vxor.	Hagiologus. Martyrol. Rom. Surius *ex Fortunato, & Baudominâ.*	570.	Pictaui.
15.	*ARNVLPHVS* Sueſſionenſis Epiſcopus.	Martyrol. Rom. Molan. 16 Aug. Surius *ex Liſiardo eius ſucceſſore.*	1070.	Sueſſione in Galliâ.
16.	*ARNVLPHVS* Epiſcop. Metenſis.	Tabula 3. Molan. Surius *ex Iona Abbate.* Baron. 615. Martyrol. Rom. *18. Iulij.*	612.	Metis in Auſtraſiâ.
17.	*CAROLOMANNVS* Auſtraſiæ Princeps, filius Caroli Martelli, Monachus Caſſinenſis.	Tabula 3. Molan. *ex Reginone, & alijs.*	760.	Viennæ in Gallia.
19.	*LVDOVICVS* Epiſc. Toloſanum.	Pieſpord. Martyrol. Ro. Surius, *ex MSS. Diploma* Ioann. 22. PP.	1290.	In Galliâ.
20.	*STEPHANVS*, Hungarorum Rex, & Apoſtolus.	Pieſpord. Martyrolog. Rom. Sur. ex Epiſcopo Chartuitio.	1034.	Albæ, in Pannonia.
25.	*LVDOVICVS* Rex Franciæ.	Pieſpord. Martyrolog. Rom. Molan. Surius *ex Gaufrido de Bello loco, Regis Confeſſario.*	1270.	Pariſijs in Galliâ.

SEPTEM-

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus	Locus.
1.	*LVPVS* Epiſc. Senonenſis.	Hagiologus. Martyrol. Rom. Surius ex *MS.*	630.	Senone in Gall.
7.	*MADELBERTA*, Virgo, neptis S. Aldegundis.	Tabula 6. Molan. *ex Officio Malbodienſi.*	684.	Malbodij, in Hannonià.
28.	*VVENCESLAVS*, Bohemorum Rex.	Pieſpord.	938.	In Bohemia.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
1.	*BAVO*, S. Pipini propinquus, Gandenſium Patronus.	Tabula 6. Martyrol. Ro. Sur. ex *Theoderico Abbate*. Molan.	600.	Gandaui in Flandr.
8.	*RAGENFREDIS* virgo, filia S. Reginæ.	Molan. ex *Officio Dononij*.	700.	Dononij.
15.	*HEDVVIGIS* Duciſſa Poloniæ, matertera S. Eliſabethæ Vngaricæ.	Martyrol. Rom. Surius ex *Anonymo*. Lipſius *Virg. Hall. c. 2*.	1243.	Cracouiæ, in Poloniâ.
23.	*ODA*, matertera *S. HVBERTI*.	Tabula 3. Molanus ex *Hiſtoriâ Eccleſiæ Amanienſis*.	660.	Amaniæ, ad Moſam.
31.	*NORTVVRGIS*, ſiue *NOITBVRGIS* Virgo, filia Pipini Herſtalli ex Plectrude.	Barlandus *de Ducibus Brab*. Molanus. Surius ex *MS*.	720.	Coloniæ in Germ.

NOVEM-

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
3.	*HVBERTVS.*	Lege hanc Hiſtoriem.	727.	Andaini, in Arduēnā.
15.	*LEOPOLDVS*, Auſtriæ Marchio.	Pieſpord. Martyrol. Ro. Surius. Conſiſtorium Romanum.	1136.	In Auſtriā.
19.	*ELISABETHA*, Haſsiæ, & Thuringiæ Landgrauia.	Pieſpord Martyrol. Ro. *ex Theodorico Turingo.*	1250.	Marpurgi in Haſsiā.
21.	*ALBERTVS*, Epiſcop. Leodienſis, & Martyr.	Pieſpord. Martyrol. Ro. Molanus *ex Martyrol. Bruxell.* & c. AEgid. Aureæ-Vallis, *tom* 2. *Chapeauille.*	1191.	Rhemis in Gall.
23.	*TRVDO* Presbyter, & Comes.	Hagiologus. Martyrol. Rom. Molan. *ex Theodorico Abbate.* Surius.	689.	In Haſbaniā.
23.	*ADELA*, S. Trudonis mater.	Molan. 23. *Nouemb.*	620.	Dieſt.

Dies.	SANCTI.	AVTHORES.	Annus.	Locus.
17.	*BEGGHA* vidua, filia S. Pipini, vxor S. Anſegiſi.	Tabula 3. Martyrol. Ro. Molan. Surius *in Modoaldo, & Gertrude.*	670.	Andane. Namurceu. Comitatus.
	ANSEGISVS, S. R. Imp. Marchio, maritus S. Begghæ.	Tabula 3. Molanus.	670.	
	INCERTO DIE, ET MENSE.			
	THEODO, primus Boiorum Dux Chriſtianus. cuius vxor Reginotrudis, Childeberti Francorum Regis filia.	Raderus in Bariâ S.	616.	In Bauariâ.

RATIO

HISTORIA.	An Chriſti.	Pontif. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vitæ S. HVB.	Epiſc. S. Lamb.
S. HVBERTVS naſcitur. Vide *Q. 1. S. Lambertus S. Theodardo Martyri in Epiſcopatu Tungrenſi, ſurrogatur.*	656	1.	16.	13.	1.	1.
S. VVillibrordus naſcitur. Sandelin ex Alcuino. *Idem* S. HVBERTO *familiaris, poſtea eodem anno ordinatus eſt Epiſcopus; vt infra videbis.*	657	2.	17	14.	2.	2.
	658	3.	18	15	3.	3.
S. *Gertrudis,* S. HVBERTI *cognata moritur.* Bucherius.	659	4.	19.	16.	4.	4.
Chlodouæo Regi Franciæ ſuccedit Lotharius filius.	660	5.	20	17. †	5.	5.
	661	6.	21.	1.	6.	6.
S. Amandus, S. HVBERTI *propinquus, migrat.* Bucherius. Faſti 6. Febr.	662	7.	22	2.	7.	7.
	663	8.	23.	3.	8.	8.
Moritur Lotharius Rex: Succedit Hildericus. Mors S. Aldegundis, Abbatiſſæ Malbodienſis, S. HVBERTI *cognatæ.* Vide Faſtos 30. Ianuar.	664	9.	24	4. †	9.	9.
S. VVandregiſilus, S. HVBERTI *cognatus, moritur.* Vita. Bucherius. Faſti, 22. Iulij.	665	10.	25.	1.	10.	10.

HISTORIA.	An. Christi.	Pontif. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vitæ S. HVB	Episc. S. Lamb
	676	6.	9.	9.	21.	21.
Adeodato Papa mortuo ſuccedit Donus, ſiue Domnio. Anaſt. Onuphr.	677	7. †	10.	10.	22.	22
	678	1.	11.	11.	23.	23.
Donus Papa decedit. Agatho ſuccedit. Anaſt. Onuphr.	679	2. †	12.	12.	24	24
	680	1.	13.	13	25.	25.
	681	2.	14.	14.	26	26
Agatho Pontifex moritur. Vacat ſedes ſupra ſeſquiannum. Anaſt. Baron. *Circa hunc annum credibile eſt, S. HVBERTVM vxorem duxiſſe Floribanam.* Vide Notas §. 31.	682	3. †	15.	15	27	27
Leo Papa 2. creatur. Baron. ex Anaſt. *Venanti S. HVBERTO, Chriſtus Crucifixus videtur inter Cerui cornua, & loquitur. Mutatur S. HVBERTVS, & ad S. Lambertum profectus, ab eo inſtituitur.* Quæſt. 3.	683	1.	16.	16.	28	28
Leo Papa moritur. Succedit Benedictus. Onuphr. Baron. *S. Madelberta, Abbatiſſa Malbodienſis, S. HVBERTI cognata, decedit.* Molan Faſti 7. Septemb.	684	2. †	17	17	29	29
Benedictus Papa defungitur. Succeſſor Ioan. 5 Baron. *Conſtantino Imp. defuncto ſuccedit Iuſtinianus filius.* Cedr. Baron. *Naſcitur S. HVBERTO filius Floribertus: moritur in partu vxor Floribana.* Notæ §. 31.	685	1.	† 1.	18	30	30.

RATIO

An. Chriſti.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	R. g. Franc.	Vitæ S. HVB.	Epiſ. S. Lamb.	HISTORIA.
686	† 1.	2.	19.	31.	31.	*Ioanni Papæ mortuo ſuccedit Cuno.* Onuphr, Baron.
687	1. †	3.	20	32.	32.	*Pipinus S. HVBERTI cognatus, Maior-Domus Auſtraſiæ, fit etiam Franciæ. Cuno Papa decedit: ſuccedit Sergius.* Onuphr. Baron.
688	1.	4.	21.	33.	33.	*Ad pœnitentiam, & vitæ ſanctitatem anhelans S. HVBERTVS, Regi Theodorico torquem, & balteum reddit. Patris Bertrandi triſtem exitum videt. Eudoni fratri iuniori Principatum cedit, & filiolum Floribertum commendat,* Notæ §. 31.
689	2.	5.	22	34.	34.	*Pipinus Ratbodum Friſiorum Ducem prælio ſuperat, & citeriorem Friſiam occupat.* Bucherius ex Appiano. *S. Trudo, S. HVBERTI cognatus, moritur.* Bucherius ex Vitâ. *S. HVBERTVS ſeptennem pœnitentiam in Arduennæ eremo aggreditur.* Vita.
690	3.	6.	23.	35.	35.	*S. VVillibrordus cum II. ſocijs Vltraiectum veniunt, & inde ad Pipinum, prædicandi licentiam petentes.* Bucherius & Sandelin, ex Beda, Alcuino, Baronio.
691	4	7	24 † 1	36.	36.	*Moritur Rex Theodoricus: ſufficitur Childebertus.*
692	5	8.	2.	37.	37.	*S. Lambertus è Taxandriâ ſæpius S. VVillibrordum viſit, agitq; de fidei propagatione.* Bucher. & Sandelin ex Vitâ S. Lamb.
693	6.	9.	3.	38.	38.	
694	7.	10. †	4 †	39.	39.	*Pipinus neglectâ Plectrude vxore, Alpaidem pellicem adamat.* Bucher. ex Vitâ S. Lamb. *Iuſtiniano eiecto, Leontius Imperium occupat.* Cedren. Zonar. Bar. *Chlodoueus Rex decedit: ſuccedit Childebertus.* Bucher.
695	8.	1.	1	40	40	*S. Lambertus Pipinum adulterij arguit. Alpaidis propinquos grauiter exterbat.* Bucherius ex Vitâ. *S. HVBERTVS, monente Angelo, Pœnitentiæ modum ponit, & ad magiſtrum ſuum S. Lambertum regreditur,* Notæ §. 33.

RATIO

HISTORIA.	An. Christi.	Pontif. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vitæ S.HV.	Episc.S.HVB.
S.HVBERTVS, tum ſuâ voluntate; tum S.Lamberti conſilio, Romam petit, & Apoſtolorum limina. Notæ §. 33. *Item S.VVillibrordus.* Sandelin ex Beda. *S.Lambertus à Dodone Alpaidis fratre iugulatur.* Bucherius ex Vitâ. *Tiberius Abſimarus ab exercitu Imperator creatur, abdicato Leontio.* Cedren, Baron.	696	9.	2. †	2.	41.	41. †
Angelo monente, & S.Lamberti ſacrum Veſtitum afferente, S.Sergius Papa, S.HVBERTVM nequicquam reluctantem, Epiſcopum conſecrat, & Tungrenſi Eccleſiæ præficit. STOLA *cælitus affertur. Redit. S.HVBERTVS Traiectum, Dodo inſidiatus, cum ſuis miſerè perit.* Notæ §. 41. 51. *S.VVillibrord.Vltraiect. Epiſc. conſecratus, Româ redit.* Sandelin.	697	10.	1.	3.	42	1.
Pipinus, S.HVBERTO vrgente, eiectâ Alpaide, vxorem Plectrudem reuocat. Notæ §. 51. *Alpaidem S.HVBERTVS Beliſienſi Eccleſiæ, pœnitentiæ causâ includit: deinde in Orpen transfert. Sed hinc extractam Plaudus Comes igne exurit.* Ibid.	698	11.	2.	4.	43	2.
	699	12.	3.	5.	44	3.
	700	13.	4.	6.	45	4.
Moritur Sergius Papa: ſuccedit Ioan. 6. Baron.	701	14. †	5.	7.	46	5.
	702	1.	6.	8.	47	6.
Iuſtinianus Imperium recuperat. Baron.	703	2.	7. †	9.	48	7.
	704	3.	1.	10.	49	8.
Moritur Ioan. Papa 6. ſuccedit Io. 7. Baron.	705	4. †	2.	11.	50.	9.

An. Chriſti.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vitæ S. HVB.	Epiſc. S. HVB.	HISTORIA.
706	1.	3.	12	51.	10	
707	2 †	4.	13	52	11.	*Joannes 7. Papa vitâ decedit.* Baron. *Ei poſt 20. dies mortuo ſuccedit Conſtantinus.* Baron.
708	1.	5.	14	53	12	*Nocte ſæpius monetur S. HVBERTVS, vt S. Lamberti oſſa Traiecto ad locum paſſionis eius transferat.* Vita, & Notæ, §. 62. *Siſinnius creatur Papa*, Baron.
709	2.	6.	15	54	13.	*Diuinâ voluntate, ieiuniis, & orationibus ſuis exploratâ, & cognitâ, S. HVBERTVS S. Lamberti corpus Traiecto Leodium transfert.* Vita, & Notæ, §. 63. *Transfert etiam Sedem Tungrenſem Leodium.* Notæ ibid.
710	3.	7.	16	55	14	*Hoc & ſequentib. annis S. HVB. Leodiũ muris cingit.* Notæ §. 63. *Idem primam Synodum Leodienſem celebrat.* Notæ ibid. pa. 166
711	4.	8. †	17 †	56	15.	*Philippicus ab Exercitu Imperator electus, Iuſtinianum interficit.* Bar. *Childebertus Rex moritur. Succedit Dagobertus.* Bucherius. *Hoc, vel proximo aliquo anno, cœpit S. HVBERTVS ædificare Eccleſiã in honorem B. V. Mariæ, & S. Lamberti.* Notæ §. 63. p. 160
712	5.	1.	1.	57	16	*In pago Emal, conſecrat S. HVBERTVS Eccleſiam in honorem B. V. Mariæ.* Notæ §. 77. pag. 177. 178. 179.
713	6.	2. †	2.	58	17	*Artemius* Philippicum *exoculat, & ſe Imperatorem conſtituit, & Anaſtaſium vocat.* Baron. *Circa hoc tempus, S. HVBERTVS Eccleſiam S. Petri Leodij ædificat. In hâc, & Cathedrali, Clerum conſtituit, & ordinat.* Notæ, §. 63. pag. 160.
714	7. †	1.	3.	59	18	*Moritur Papa Conſtantinus. Gregorius II. ſuccedit.* Baron. *S. HVBERTVS leges populo ſuo promulgat, & rem publicam conſtituit.* Notæ § 63. pag. 161. *Idem Sigillo Eccleſiæ Leodienſis, inſcribit: SANCTA LEGIA, ROM. ECCLESIAE FILIA.* Ibid.
715	1.	2. *	5. †	60	19	*Anaſtaſio in Monaſterium retruſo, Theodoſius imperare iubetur.* Baron. *Dagobertus Rex moritur: Regnat Helpricus.* Bucher. ex Pith. *Hoc, & vicinis annis, S. HVBERTVS, varias Eccleſias inter Traiectum, & Leodium, quas in translatione S. Lamberti deſignauerat, fideliter complet.* Notæ §. 63. pag. 163.

HISTORIA.	An. Chriſti.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vita S. HVB.	Epiſc. S. HVB.
Leo Iſauricus Theodoſium pellit, & imperat. Bucherius. *S. HVBERTVS corpus S. Theodardi transfert. Monumentum S. Lamberti ornat.* Notæ §. 63. pag. 161.	716	2.	1. *	1.	61.	20
Circa hunc annum S. HVBERTVS corpus S. Seruatij ad honeſtiorem locum transfert. Notæ §. 63. pag. 161.	717	3.	1.	2.	62	21.
	718	4.	2.	3.	63.	22
	719	5.	3.	4.	64	23.
Secunda Leodienſis Synodus à S. HVBERTO habetur, contra oppugnatores ſacrarum Imaginum, Notæ §. 63. pag. 168. *Moritur Chilpericus Rex. Succedit Theodoricus.* Bucher. ex Ann. Pith.	720	6.	4.	5. †	65	24
	721	7.	5.	1.	66	25
	722	8.	6.	2.	67	26
	723	9.	7.	3.	68	27
	724	10.	8.	4.	69	28
	725	11.	9.	5.	70	29

An. Chriſti.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reg. Franc.	Vitæ S. HVB	Epiſc. S. HVB	HISTORIA.
726	12	10	6.	71	30	*S. HVBERTVS proximo ante mortem ſuam anno igneas acies in cælo videt. Domus ſuæ incendium ſedat. Suos à naufragio liberat. Angelo nuntiante, exceſſum ſuum cognoſcit.* Vita pag. 35. ſeqq. *Pijs operibus diligenter ſe ad migrationem parat.* pag. 40. ſeqq. *Locum ſepulturæ ſuæ deſignat.* pag. 41.
727	13	11.	7.	72	31. †	*S. HVBERTVS in Brabantiâ, Baſilicam DEO conſecrat.* Vita, pag. 42. *Febri, poſtremo ſuo morbo corripitur.* pag 46. *Domum ſuam Furam, æger attingit.* pag. 61. *Moritur.* pag. 51. *Leodium defertur corpus.* pag. 52. *Sepelitur.* pag. 55.
728	14	12	8.		1.	*S. Floribertus, S. HVBERTI filius, fit Epiſcopus Leod.*

Anno Chriſti 743. *ab exceſſu S. HVBERTI* 16. *ex Diuinâ reuelatione, Eiuſdem Sancti Corpus incorruptum, à loco ſepulturæ eleuatur.* Vita, pag. 56. & 201.

Anno Chriſti 815. *ab exceſſu S. HVB.* 88. *Andainenſes Religioſi à VValcando Epiſcopo, Eiuſdem S. HVBERTI Corpus petunt. VValcandus rem Ludouico Imperatori proponit.* Vita, p. 67

Anno Chriſti 817. *ab exceſſu S. HVB.* 90. *ad Concilium Aquenſe refertur de transferendo S. HVBERTI Corpore, Andainum. Tranſlationem permittit Concilium.* Vita pag. 68. & 209.

Anno Chriſti 825. *ab exceſſu S. HVBERTI* 98. *S. HVBERTI Corpus incorruptum, Andainum transfertur,* Vita pag. 63. 69. & 209. 210.

Anno Chriſti, & Exceſſus S. HVB eodem, incipit ſacrum Eius Corpus patrare Miracula. pag. 72. *Sacræ Stolæ erogatio inchoatur.* pag. 379.

Anno Chriſti 954. *ab exceſſu S. HVBERTI* 227. *Corpus Eiuſdem integerrimum reperitur.* pag 441.

Anno Chriſti 1515. *Eamdem integritatem Sacri Corporis, Leo X. Pont. Max. credit, & declarat.* pag. 443. 444.

Anno Chriſti 836. *ab exceſſu S. HVBERTI* 209. *Religioſa Reformatio Religioſorum Andainenſium, Abbate* Seuoldo. Epiſtolâ ad R. Abbatem Andainenſem, libri initio.

Anno Chriſti 1055. *ab exceſſu S. HVB.* 328. *Alia inſignis Reformatio, Abbate* Sancto Theodorico. Ibidem.

Anno Chriſti 1302. *ab exceſſu S. HVB.* 575. *alia Reformat. Abbate* Ioanne 3. Ibid.

Anno Chriſti 1344. *ab exceſſu S. HVB.* 617. *iterum reformatum Monaſterium, Abbate* Henrico de Viel. Ibid.

Anno Chriſti 1527. *ab exceſſu S. HVB.* 800. *rurſum reformati mores, Abbate* Nicolao de Maleſijs. Ibid.

Anno Chriſti 1618. *ab exceſſu S. HVB.* 891. *vltima Reformatio inchoata, Abbate* Nicolao de Fanſon.

INDEX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX.

VITÆ PARS I. pag. 1.

Huius Partis Capita ſunt:

I. S. HVBERTI venantis vocatio. Fuga ad Pipinum. pag. 5.
II. S. HVBERTVS à S. Lamberto inſtitutus, in alium virum mutatur. 7.
III. S. HVBERTVS Epiſcopus conſecratur. Stolam accipit. 8.

VITÆ PARS II. pag. 11.

Huius Capita ſunt quatuordecim: quorum plenum Indicem habes pag. 17. 18. 19.

Corporis S. HVBERTI Eleuatio. pag. 56.
Eiuſdem Translatio Andaïnum. 63.
MIRACVLA ANTIQVA numero vigintinouem. 72.
IN VITAM S. HVBERTI, NOTÆ, & PARALIPOMENA. 213.

SECVNDA OPERIS PARS.

CVLTVS S. HVBERTI PROPAGATIO, & ADMIRANDA. pag. 231.

Capitum huius Partis hæc eſt ſeries:

I. Loca, quibus celebris S. Hvberti cultus. pag. 234.
II. S. Hvberti Reliqviæ. 244
III. Miracvla. 248.
IIII. Peregrinationes. 276.
V. Cvltvs Solemnis. 282.
VI. Sodalitates. 286.
VII. Obligati, Addicti. 291.
VIII. Mvnera Solemnia, Primitiæ, Decimæ, Collectæ. 303.
IX. Magistratvs. 311.
X. S. Hvberti, Posteritas. 315.

PARS TERTIA OPERIS.

Qvæstiones Hvbertinæ. pag. 333.

Quæſtiones iſtæ ſunt:

I. De Anno, quo natus S. Hvbertvs. pag. 334
II. De Nomine, Hvbertvs, & ſimilibus. 338. & 514.
III. De Cervi prodigioſo occurſu. 339.
IIII. An S. Hvbertvs, vſque ad Cerui occurſum, Gentilis fuerit? 348.
V. De ſacrâ Stola, S. Hvberto allatâ. 358.
VI. Vnde Leodium translatus Epiſcopatus? 394
VII. An Corpus S. Hvberti integrum duret? 436.
VIII. De Andaïno, loco S. Hvberti Corporis depoſitario. 447.

IX. De

IX. De CVRATIONIBVS, An Superſtitionis aliquid contineant? 471.
X. Liceatne ſuffocare rabidos? 506.

DISQVISITIO HISTORICA. pag 531.

TABVLÆ GENEALOGICÆ. 540.

FASTI SANCTORVM. 553

TABVLÆ CHRONOLOGICÆ. 565.

FINIS INDICIS.

LECTOR,

Poſt finem hoc etiam verbum poſtremiſſimum accipe.

Ex Latino hoc, huius Hiſtoriæ exemplari, Gallicam Interpretationem, ſtudiosè tibi adornari curat admodum Reuerendus, Prænobilis, Ampliſſimuſque Antiſtes, D. NICOLAVS DE FANSON, Andaïnenſis Cœnobij S. HVBERTI Abbas meritiſſimus. Hoc etiam ſcire, forte non pœnitebit.

VALE, ET FAVE.